


DISPVTATIONES LOGICALES

COLLECTÆ EX DOCTRINA

SCOTI

Ab Admodum Reuerendo Pat.

Magistro VINCENTIO

Ciorla de Scaño

Min. Con.

In Aquilano Gymnasio

Regente

DIVO, AC MIRACVLOSO ANTONIO

DICATÆ

Romæ Typis Ludouici Grignani   Superior. perm. 16[illegible]

De Analogo.

Analogum est illud, quod per prius dicitur de uno et per posterius de altero, et est semper coniunctum cum univoco, vel cum equivoco: [illegible]

Nota: quod Analogum est 2x: s. Proportionis, et Attributionis.

Analogum proportionis est quod alicui competit proprie, et alteri competit metaphorice ex. g. videre in oculis, et in intellectu; et hoc semper est coniunctum cum equivocatione.

Analogum attributionis est [illegible] quod reperitur in uno extremo intrinsece, et in altero extrinsece: ex. [illegible] reperitur intrinsece [illegible], et extrinsece in urina, [illegible] sanitas [illegible]. et hoc Analogum est semper coniunctum cum equivocat[ione]. [illegible]

Aliud est quod intrinsece reperitur in omnibus [illegible] ut ens, substantia, et similia quae omnia intrinsece reperiuntur in [illegible] dicuntur, et hoc semper coniunctum est cum univocat[ione]: [illegible]

DIVO ANTONIO PATAVINO

FRATER VINCENTIVS CIORLA DE SCANNO

Minorum Conuentualium, in Gymnasio Aquilano Regens deuotissimus dicat.

VIRVM pietate, & Religione præstantissimum, virtutum splendore corruscantem, doctrinæ nitore splendentem mihi optaueram, Pater Sanctissimè, cui paruulum operis huius munusculum deferens, peramanter aspiceret, non ambitioso fastu, vt magnitudinis suæ prærogatiua illud extolleret, magnumque efficeret, sed vt, quia paruum, & humile, non dedignaretur excipere: Tu Iubar Hyspaniæ, qui miraculorum gloria corruscas, noua lux Italiæ, qui virtutum omnium splendore refulges, mihi occurristi, cui

† 2 hasce

hasce meas, qualescunque sint, Disputationes Logicales ex doctrina Scoti collectas, ingenij mei primitias dicarem: Tibi namque hoc debebatur opus, non solùm, quia tua protectione confectum, sed etiam, quia (vt arbitror) Tyrones iuuabit, te imitando, qui in Religionis primordijs primus Regens constitutus ipsosmet Tyrones perfectos reddidisti; & tandem quia lingua es benedicta, qui Deum semper benedixisti, & alios benedicere fecisti, omnium linguarum debentur opera: suscipe igitur (Pater Beatissime) munus hoc paruum, quod ex corde dicatur, & me paruulum seruum in tuam tutelam ne dedigneris recipere.

DIVO

DIVO
ANTONIO PATAVINO.

QVI
Prodigiorum Chaos, Miraculorum Abyssus:
Virtutis Exemplar, Doctrinæ Prodigium:
Arti, Naturæ, & Hominibus
Factus est in stuporem.
CVIVS
Mirabile Nomen, Diuina virtus, & lingua cœlestis
Cœlestia meruit, mirabilia fecit, Docuit Diuina.
CVI
Diuina virtus, mirabile Nomen, & linguam cœlestem contulit,
Vt Orbis in Auxilium, mirabilia, cœlestia simul, & Diuina
Faceret, & Doceret
AD QVEM
Quamuis errantem, vel erroneum me iudicauerit Impiorũ Garrulitas,
Pietatis in obsequium, hoc opusculum Logicæ, consecrare præsumpsi,
A QVO,
Si dignum quid in eo fuerit, accepi:
Et hoc vnum me recepturum confido,
Quod mordentes Impiorum dentes, sua virtute conteret:
Et hoc Seruitutis meę Testimoniũ, ab omni tẽporis iniuria vindicabit.
Has igitur meæ deuotionis arrhas (Antoni Gloriosissime) suscipias;
Quod meum sit, haud quidquam Fero:
Quod tuum est refero,
Quod tuis meritis accepi, tuis meritò offero.
Opus, & Authorem
Sub tuæ Protectionis Vmbraculo
Fero, Refero, & Offero;
Vtrumque
Capias, Recipias, & Accipias;
Sed Potissimum
Aspicias
Deprecor
COR.

Deuotissimus Seruus, & Filius

Fr. Vincentius Ciorla.

AD

AD LECTOREM.

LABOR in meis ſtudijs ſemper fuit prodeſſe noſtri Ordinis Tyronibus in explicando, ac facilitando doctrinam mei Præceptoris Doctoris Subtilis quantum potui, & quantum valui, vt breuiter, ac diſtinctè habeatur; Verùm ne huiuſmodi labor noſtri tantùm Ordinis limitibus definiatur, prælo mandandum duxi, vt exteris etiam proſit, & ſit prænuncius aliorum ad integrum Philoſophiæ curſum pertinentium, quæ (Deo Optimo Maximo adiuuante, ac Diuo Antonio me protegente) eadem methodo, eodem Ordine typis etiam meditor; Itaque obſecro te (Amice Lector) ea qua ſolitus beneuolentia libros alios, meumque quoque percurras, & te experiar potiùs benignum Mœcenatum, quàm Cenſorium Ariſtarcum. Vale.

REVERENDO ADMODVM P.

P. MAGISTRO

VINCENTIO CIORLA

ANAGRAMMA.

PATER MAG. VINCENTIVS CIORLA DE SCANNO

Ordinis Minorum Conuentualium.

En non error, vt meritis vnius ANTONI PADVANI
LOGICAM tuam consecres MDCVLI.

Hæc tua, quid metuis Paduano scripta vouere?
Votaque quid Sancto, reddere Sancta, times?
Non eris hinc Erro: non hinc Erroneus, at qui
Te talem pingit, fiet vtrumque simul.
Non tardetur Opus: demonstrat Nominis omen
Namque tui, Genium, cui tua vota feras.
VNIVS MERITIS ANTONI sint *PADVANI*,
*CONSECRES*que *TVAM* conuenit, *VT LOGICAM*
NON erit hic *ERROR*: gratu*M*, se*DCVILI*bet offers
Munus: Proficuum (quippè) relinquis, Opus.
Zoile, mordentes Dentes absconde tacendo;
Conferet hos, Operis Fautor vtique Tibi.

Dedicatiss. Seruus

Fr. Antonius Grandmouginus ab Augusta
Prætoria Artium, & S. Theol. Magister.

PA-

P. VINCENTIO DE SCANNO

DOMINI MARTINI PINERII ROMANI

ACCADEMICI FANTASTICI

EPIGRAMMA.

DEcerpunt alij pulchris è Palladis hortis,
Tempora queis ornent ambitiosa, rosas:
Hic texit Veneres, dulces legit ille lepores,
Phæbeæque agitat fila canora lyræ.
Ardua dum prodis Mundi præcepta Sophorum,
Dumetum roseum tu ingeniose colis:
Est illis rosa non spinæ: spineta decores
Aeternos tibi dant his rosa nulla citò.
Dumosa est via virtutis, qua scandere tentas
Tarpeium Scamnum: sydera sic petitur.
Iam sequere inceptum; Stagire est gloria vinci,
Per te dum mortis vincula victa manent.

AD EVMDEM

HEXASTICON.

DOctrina tu animos vincis, pietate reuincis
Vincenti affectus, vincula amoris habes.
Sternis iter Logicæ Scoti, hoc nos scandere Cælum
Discimus in paucis, plus facilemque viam.
Accipis à Diuo, Diuo tua munera reddis,
Et pius, & gratus; Diue rependc vices.

Fr. Felix Matthiolus de Gualdo Min. Con. Diui Bonauenturæ in Alma Vrbe Collcg.

Ope-

Operis Approbatio.

Opus inſcriptũ, Diſputationes Logicales ex Doctrina Scoti, *editum ab Adm. Reu. P. Magiſtro Vincentio Ciorla de Scanno non minus doctè, quam diſtinctè, iuſſu Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Ioannis Baptiſtæ Berardicelli Larinenſis totius Ordinis Min. Conu. Miniſtri Generalis, maximo cum oblectamento perlegi; in quo, cum nihil, quod Catholicæ Fidei obſit, reperim; imò noſcens vtilitatem maximam iunioribus eſſe allaturum; typis digniſſimum cenſeo. Datum Adriæ die* 15. *Iunij* 1645.

Fr. Bonauentura Venantius ab Adria Min. Con. Artium, & Sac. Theolog. Doctor, & in Hadriano Gym. Reg.

FR. IO. BAPTISTA BERARDICELLVS Larinenſis Art. & Sac. Theologiæ Doctor Vniuerſi Ord. S. Franciſci Min. Con. Miniſt. Gener.

Opus, cuius titulus eſt, *Diſputationes Logicales ex doctrina Scoti*, elaboratum à P. Magiſtro Vincentio Ciorla de Scanno examini, & recognitioni commiſimus Patris Magiſtri Bonauenturæ de Adria, à nobis deputati, cumq. ab illius diligenti indagini peruentilatum, nihil repertum ſit continere, quod illi ad prælum viam præcludat, vt prælo detur, his noſtris, ſeruatis ſeruandis, concedimus &c. Dat. Romæ die 9. Septemb. 1645.

Fr. Io. Bap. Berardicellus Miniſter Gener.

Fr. Franciſcus P...raccianus Sec. Ord. Prounic. Hyber.

 Im-

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. M. S. P. A.

Alphonsus Sac. Episcop. Comacl.

IVssu Reuerendissimi Patris Fr. Vincentij Candidi Sac. Palatij Apost. Mag. Opus, cuius titulus est *Disputationes Logicales ex Doctrina Scoti*, editum ab Adm. Reu. Patre Mag. Vincentio Ciorla de Scanno, Ord. Min. Conu. In Aquilano Gymnasio Regente, qua potui diligentia recognoui, in quo non solùm vllum prorsus næuum in rebus Orthodoxæ fidei, & morum depræhendi, imò subtilissimas Quæstiones, quæ à Recentioribus in dubium vocatæ sunt, mira facilitate enodata suspexi; Propterea dignum publica luce iudico. Romæ in Conuentu S. Mariæ super Mineruam. Die 4. Martij 1646.

Sic Censeo ego Fr. Antonius Siluestrius Ord. Præd. Collegij S. Thomæ super Mineruam Artiùs Lector.

Imprimatur, Fr. Raymundus Capizucchius Magister & Soc. Reuerendissimi Patris Fr. Vincentij Candidi Sac. Pal. Apost. Mag.

INDEX

TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM.

In hoc Opere contentorum.

PRIMA PARS

Tractatus Summularum.

SECVNDA PARS.

Tractatus Summularum.

TERTIA PARS.

Tractatus Summularum.

DISPVTATIO

De natura logicæ.

DISPVTATIO

De Ente rationis.

DISPVTATIO
De Vniuersali.

DISPVTATIO I.
De Vniuersali in communi.

DISPVTATIO II.
De Genere.

DISPVTATIO III.
De Specie.

DISPVTATIO IV.
De Differentia.

Qua-

DISPVTATIO V.
De Proprio.

DISPVTATIO VI.
De Accidente.

DISPVTATIO
De Antepraedicamentis.

De Diuisionibus.

De

De Regulis.

DISPVTATIO
De Prædicamentis.

DISPVTATIO I.
De Prædicamentis in communi.

DISPVTATIO II.
De Substantia.

DISPVTATIO III.
De Quantitate.

DISPVTATIO IV.
De Relatione.

DISPVTATIO V.
De Qualitate.

De sex alijs Prædicamentis.

De Postprædicamentis.

DISPVTATIONES
In Libros Post. Analyt.

Quæsi-

Quæsi-

DISPVTATIO III.

De Scire.

De Subalternatione scientiarum.

TRA-

TRACTATVS SVMMVLARVM.

QVAERITVR, quid est Dialectica?

Resp. Est ars artium, scientia scientiarum, ad omnium Methodorum principia viam habens; dicitur Dialectica à Dia græcè, quod est duo, & logos, quod est sermo, & icos, quod est scientia; Vndè nomen Dialectica, idem est, ac scientia sermone duorum, scilicet, opponentis, & respondentis; quasi sit disputatio duorum; non quod ex natura sit disputatio, sed ita nominatur, quia per disputationem perfectè, & faciliùs acquiritur; si dicamus, diem esse apparitionem Solis super Terram, dies ex se est apparitio Solis, sed ab apparitione causatur, sic etiam ad disputationem: Ex qua ratione infertur ipsam debere prioritatem in acquisitione aliarum scientiarum, non prioritate naturæ, perfectionis, quia non est prior, & perfectior cæteris; sed prioritate doctrinæ, & quoad facilitatem acquirendi, quia sine modo sciendi, & eius regulis non possumus perfectè scire, ideò ordine doctrinæ dicimus esse priorem.

Pro explicatione definitionis Dialecticæ est not. quod Dialectica, hîc sumitur generaliter pro tota Logica, non verò specialiter, nempè pro illa parte Logicæ, idest pro Topica, quæ propriè, & specialiter dicitur Dialectica: Ars hîc sumitur generaliter, non specialiter.

Ars propriè, & specialis sic definitur ab Arist. est recta ratio rerum factibilium à nobis; id est est habitus intellectualis inclinans, & docens nos operari circà factibilia existentia extrà intellectum; quæ ars diuiditur in septem Mechanicas, quæ his versibus continentur.

Lana, Nemus, Miles, Nauigatio, Rus, Medicina,

Atq. ars fabrilis connumeratur ijs; dicuntur Mechanicæ, quia faciunt Mechari intellectum à propria operatione, quæ est speculatio.

Ars generalis, & impropria sic definitur à Tullio, est collectio plurium præceptorum ad vnum finem tendentium, & hoc modo ars est communis ad quinque habitus intellectuales, qui sunt, scilicet, Sapientia, Scientia, Intellectus, ars,

 & pru-

& prudentia; est etiam communis ad omnes artes liberales, quæ sunt septem, nempè, Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmetica, Musica, Geometria, & Astrologia, quæ his versibus continentur.

Gra. loquitur, Dia. vera refert,
Re. verba coronat,
Ar. numerat, Mus. canit, Geo. ponderat, Ast. colit astra

dicuntur liberales, quia nos liberant eis studentes à curis mundanis.

Itaque Dialectica est ars artium, &c. id est docet, & tradit modum, vel regulas ordinatim procedendi sine errore circà qualcumque scientias; ly, ars artium, hic non denotat excellentiam, sicut nominatiuus suprà genitiuum reflexus, vt Rex Regum, &c. sed initium quoddam ad omnes scientias acquirendas; ita vt sit sensus, dialectica est principium omnium scientiarum.

Deffinitur etiam dialectica hoc modo, nempè est facultas rationalis, quæ docet definire, diuidere, & arguere, & verum à falso discernere, per discursum syllogisticum.

Quæritur, in quot partes diuiditur iste tractatus Summularum?

Resp. In tres, iuxtà tres operationes intellectus; prima operatio intellectus est simplicium apprehensio; secunda est compositio, & diuisio; tertia discursus; in prima parte istius tractatus agitur de voce, & terminis simplicibus, qui correspondent primæ operationi intellectus; in secunda de rebus compositis; id est de Oratione, deffinitione, diuisione, & propositione, quæ correspondent secundæ operationi intellectus; in tertia de syllogismis, qui correspondent tertiæ operationi intellectus.

PRIMA PARS

Tractatus Summularum.

De Sono, & Voce.

Q*Væritur primò*, quid est Sonus?

Resp. Est quidquid propriè, & per se, ab auditu percipitur; dicitur, propriè, quia licèt homo, vel campana audiatur, tamen hoc non est per se, sed per accidens, nempè per sonum eius, seù per illam reuerberationem aëris. Sonus duplex est, scilicet, sonus vox, & sonus non vox; sonus vox est idem quod vox; sonus non vox est ille, qui generatur ex collisione duorum corporum inanimatorum, vt strepitus pedum, fragor arborum.

Quæritur secundò, quid est Vox?

Respon. Est sonus ab ore animalis prolatus naturalibus instrumentis formatus; naturalia instrumenta sunt decem, scilicet, guttur, lingua, palatum, quatuor dentes, duo labia, & pulmo: Not. vocum alia perfecta, alia imperfecta; vox perfecta fit ab homine habente omnia prædicta instrumenta; vox imperfecta fit ab aliquo non habente prædicta instrumenta, vt senes, & aues.

Vox diuiditur in vocem significatiuam, & non significatiuam; vox

vox significatiua est illa, quæ auditui nostro aliquid repræsentat; vt homo, Leo, &c. quia Homo, est sua natura significat animal rationale, Leo verò animal irrationale; vox non significatiua est, quæ auditui nostro nihil repræsentat, vt buf, baf; dicitur non significatiua, quia de sua natura nihil significat. Not. vox significatiua potest dupliciter intelligi, vno modo per se, vt homo, Leo, &c. alio modo, per accidens, & sic ista vox buf, baf; dicitur significatiua, quia si profertur cum risu; seu iocosè, significat scurrilitatem; hoc tamen non est per se, sed per accidens, & secundariò.

Vox significatiua est duplex, scilicet, naturaliter, & ad placitũ; prima est illa, quæ apud omnes idem repræsentat, vt gemitus infirmorum, latratus canum; secunda est, quæ ad voluntatem primi instituentis aliquid significat, vt homo, Leo, &c. dicitur ad placitum; idest, ad libitum instituentis; nàm hæc vox, homo, non significat idem, apud omnes homines mundi, sed tantùm apud nos.

De Terminis.

Quæritur, quid est terminus?

Resp. Est ille, in quem resoluitur propositio, vel est extrema pars orationis; vt subiectum, & prædicatum; nempè, homo est animal; diuiditur terminus multipliciter.

Primò in terminum mentalem, vocalem, & scriptum; terminus mentalis est, qui mente tantùm concipitur, vt iste terminus, homo in mente mea; vocalis est, qui pronunciatur; scriptus est, qui per atramentum scribitur.

Secundò diuiditur in vniuersalem, & particularem; terminus vniuersalis, seu communis est nomen plura significans, de quibus prædicatur, vt homo, Leo, &c. & licèt hoc nomen, exercitus, seu multitudo, plura contineat, tamen de illis non prædicatur; vt hæc non valet, miles est exercitus; sicut ista, Petrus est homo; terminus particularis est nomen significans tantùm vnam rem, vt Petrus; terminus vniuersalis dicitur indeterminatus, terminus particularis dicitur determinatus.

Tertiò diuiditur in terminum transcendentem, & non transcendentem; primus est, qui per plura genera vagatur, vt Ens; secundus est, qui non vagatur per plura genera, vt substantia, animal, &c.

Quartò diuiditur in æquiuocum, vniuocum, & analogum; terminus æquiuocus est, cuius nomen est commune, & ratio substantiæ; idest, deffinitio est diuersa, vt canis respectu canis marini, cœlestis, & latrabilis; terminus vniuocus est, cuius nomen est commune, & ratio substantiæ secundùm illud nomen est eadem, vt animal respectu hominis, & Leonis; nàm nomen & ratio, seù deffinitio animalis dicitur de homine, & de Leone; terminus analogus est, cuius nomen est commune; ratio verò substantiæ, nec omninò eadem, nec omninò diuersa, seruato

 tamen

men ordine; vt sanum respectu animalis, vrinæ, aëris, & medicinæ; nàm animal dicitur sanum propriè, vrina verò, aër, & medicina dicuntur sana in ordine ad animal, nimirùm ostendendo, conseruando, & efficiendo veram sanitatem in animali. Vndè hæc est differentia inter terminum æquiuocũ, & analogum, quod illa quæ continentur sub termino æquiuoco, non habent ordinem inter se, vt canis marinus, latrabilis &c. illa verò quæ continentur sub termino analogo, dicunt ordinem inter se.

Quintò diuiditur in terminum connotatiuum, & absolutum; terminus connotatiuus est, qui connotat alium terminum, cum quo perfectè significat, vt album, & omnia nomina adiectiua; terminus absolutus est, qui se solo significat rem, vt homo, leo, &c.

Sextò diuiditur in terminũ cathegorematicũ; & syncathegorematicũ, terminus cathegorematicus est idem, ac terminus absolutus, qui se solo aliquid significat, vt homo, Leo, &c. terminus syncathegorematicus est, qui non significat, nisi coniungatur cũ alio, & est idem, ac terminus connotatiuus, vt, omne, nullum, aliquid, &c.

Septimò diuiditur in terminum primæ intentionis, & secundæ intentionis; terminus primæ intentionis est nomen, quod nullo intellectu operante significat suam rem, vt homo, lapis, &c. terminus secundæ intentionis est nomen significans rem, intellectu operante, vt genus, species, &c.

Octauò diuiditur in essentialem, & accidentalem; terminus essentialis dicitur ille, qui pertinet ad essentiam alicuius, vt animal, & rationale respectu hominis; terminus accidentalis dicitur ille, qui accidentaliter competit alicui, vt album, nigrum, respectu hominis.

Nonò diuiditur in concretum, & abstractum; terminus concretus est, qui alium concernit, & ab eo denominatur, vt homo respectu humanitatis, album respectu albedinis: terminus abstractus est, qui consideratur, quasi separatus, & qui denominat aliud, vt humanitas respectu hominis, nàm veluti diuisa ab homine intelligitur, & ipsum denominat; similiter albedo.

Decimò, diuiditur in terminum complexum, & incomplexum; terminus complexus sunt duo termini se habentes, per modum substantiui, & adiectiui, vt homo albus; terminus incomplexus est, qui per se solus accipitur, vt homo, vel albus.

De Nomine, &, Verbo.

Q*Væritur*, quid est nomen? *Resp.* Est vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata aliquid significat, finit[a], & recta; in qua deffinitione ponitur, vox, loco generis; significatiua, ad differentiam vocis non significatiuæ; ad placitum, ad differentiam vocis significatiuæ naturaliter; sine tempore, ad differentiã Verbi, quod significat cum tempore; cuius

cuius nulla pars separata aliquid significat,ad differentiam Orationis, cuius partes aliquid significant;finita,ad differentiam nominis infiniti; & recta, ad differentiam nominum obliquorũ: Not. nomen finitum est illud, quod habet significatum determinatum, vt homo, Leo, &c. nomen infinitum est illud, quod nihil determinatè significat, vt non homo, non Leo, &c. Item nomen rectum est nomen nominatiui casus, vt Petrus, Cato, &c. nomen obliquum est reliquorum casuum, vt Petri, Catonis, &c. Vndè solùm nomen finitum, & rectum est nomen, apud Logicum, reliqua verò non,quia non possunt esse subiectum, & prædicatum,in propositione, quod maximè intenditur à Logico.

Quaritur, quid est Verbum?

Resp.Est vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata aliquid significat, finita, & recta; In qua diffinitione ponitur,vox significatiua ad placitum, eodem modo, sicut in deffinitione nominis; ponitur, cum tempore, ad differentiàm nominis; ponitur, finita, & recta,ad differentiam Verbi infiniti, vt non currit, non legit, &c. & obliquorum, vt amabam, amaui, &c. Not. quod solùm Verbum temporis præsentis modi indicatiui, dicitur Verbum,apud Logicum, quia ipsum solum modò deseruit Orationi; & si fiant Orationes ex verbis aliorum temporum, & modorum, non sunt propriè orationes pertinentes ad Logicum, possunt tamen reduci ad Verbum temporis præsentis.

Dices, multa nomina videntur significare cum tempore, vt patet de istis,scilicet,dies, mensis, annus, hora, ergo, &c.

Resp. dist. antecedens, talia nomina significant tempus, concedo; cum tempore,nego; nàm significare tempus est ipsum tempus repræsentare; significare cum tempore est dicere differentiam temporis, nempè præsens, vel præteritum, vel futurum; modò in casu,dies, v. g. non dicit aliquam differentiam temporis, sed tantùm repræsentat tempus; Verbum verò, vt amo, de principali significato dicit tempus præsens, amaui,tẽpus præteritum, &c. dantur etiam alia nomina, quæ non immediatè significant tempus, sed secundariò, vt cæna, prandium, &c. nàm hæ operationes,ex vsu fiunt quibusdam horis determinatis, ideò secundariò significant tempus.

SECVNDA PARS

Tractatus Summularum.

De Oratione.

Q*Varitur*, quid est Oratio?

Resp. Est vox significatiua ad placitum, cuius partes separatæ aliquid significant, vt homo est animal; dicitur, vox significatiua ad ad placitum, ad differentiam vocis significatiuæ naturaliter;dicitur,cuius partes separatæ aliquid significant, ad differentiam nominis, & Verbi, quorum partes separatæ nihil significant; non ponitur, cum tempore, quia multæ

multæ sunt orationes, in quibus nulla pars significat cum tempore, vt homo albus.

Dices, si ista littera, A, esset imposita ad significandum, homo est animal, tunc esset significatiua ratione sui, ex impositione; sed non haberet partes significantes, ergò malè ponitur illa particula, cuius partes separatæ aliquid significant.

Resp. dist. Min. non haberet partes, ratione illius litteræ, concedo, ratione conceptus, nego; nàm talis littera haberet partes ratione conceptus.

Oratio duplex est, perfecta, & imperfecta; perfecta est, quæ perfectum sensum generat in animo auditoris, vt homo currit; imperfecta est, quæ imperfectum sensum generat in animo auditoris, vt si veneris, cùm ambulaueris, &c. quia non quietatur intellectus audientis, in ista oratione. Oratio perfecta est quintuplex, iuxtà quinque modos Verbi; prima est Indicatiua, vt homo currit; secunda Imperatiua, vt Petre fac ignē; tertia Optatiua, vt vtinam essem bonus clericus; quarta Coniunctiua, vt si veneris, dabo tibi equum; quinta Deprecatiua, vt Miserere mei Deus; Vel oratio perfecta est duplex, enunciatiua, & non enunciatiua; enunciatiua est illa quæ dicit verum, vel falsum determinatè, vt homo est animal, homo est lapis; non enunciatiua est illa, quæ licèt explicet, & quietet, tamen nihil veri, vel falsi dicit, vt Orationes aliorum modorum, imperatiui, optatiui, &c. sola enim oratio enunciatiua; id est, indicatiui modi dicitur oratio, pertinēs ad Logicum, quia ipsa sola dicit, verum, vel falsum; solùm Verbum indicatiuum determinatè significat rem esse, & non esse; quæ oratio, seu enunciatio dicitur propositio, præmissa, & quæstio; dicitur enunciatio, si sola ponatur, quasi simpliciter nunciat veritatem, & falsitatem; dicitur propositio, si ponatur in syllogismo; quia pro alio ponitur; & re vera ponitur pro inferenda conclusione; dicitur præmissa, quatenus præcedit ipsam conclusionem; dicitur quæstio, prout est dubitabilis propositio, nata fieri euidens, per vim argumenti.

De Deffinitione.

QVæritur, quid est Deffinitio?

Resp. Est oratio explicans naturam rei; & pro nunc est duplex, Quidditatiua, & Descriptiua; quidditatiua datur per essentialia, nempè per genus, & differentiam, vt homo est animal rationale; vel per partes essentiales, vt homo est animal, constitutum ex anima rationali, & corpore; prima est vniuersalior; secunda magis particularis; descriptiua est illa, quæ datur per genus, & proprium, vel accidens, vt homo est animal rissibile, homo est animal album.

Conditiones bonæ deffinitionis sunt tres prima quod deffinitio, sit clarior definito, quia si esset obscurior, vel æquè clara, tunc non explicaret naturam definiti; secunda, quod sit conuertibilis cum definito; vt patet de homine, & animali rationali; tertia, quod in definitione nihil sit superfluū,

nec

nec diminutum, vt si quis diceret, homo est animal, definitio esset diminuta, quia ei deficit rationale; si diceret, homo est animal rationale pulchrum, hæc definitio erit excedens, quia pulchritudo non est de essentia hominis.

De Diuisione.

QVæritur, quid est Diuisio? *Resp.* Est distributio totius in suas partes, quia nihil potest diuidi, nisi habeat partes, & nihil habet partes, nisi totum; totum enim, quod diuiditur appellatur apud Logicum, diuisum; partes, in quas diuisio terminatur, appellantur membra diuidentia.

Diuisio est duplex, per se, & per accidens; per se est triplex, scilicet, generis in suas species, vt animalium, aliud homo, aliud brutum, & ad istam diuisionem reducitur diuisio generis in suas differentias, & speciei in indiuidua, quæ dicitur diuisio vniuoci in sua vniuocata; secunda est totius in suas partes, vel essentiales, vt homo diuiditur per corpus, & animam; vel integrales, vt homo diuiditur in caput, brachium, pedes, &c. domus in parietem, & tectum; tertia est æquiuoci in sua æquiuocata, & analogi in analogata, vt canis diuiditur in marinum, cœlestem, & latrabilem; sanum in animal sanum, vrinam sanam, &c. Diuisio per accidens est triplex, scilicet, subiecti in accidentia, vt animalium aliud album, aliud nigrũ; accidentis in subiecta, vt album, aliud bos, aliud equus; alia accidentis in accidentia, vt alborum, aliud dulce, & aliud amarum.

Conditiones bonæ diuisionis sunt tres; prima, quod quælibet pars diuidens sit minor ipso toto diuiso; si sit æquale, vt animalium, aliud rationale, aliud sensitiuum, non erit bona diuisio, quia sensitiuum est æquè amplum cum animali, nec etiam si sit excedens, vt animalium, aliud rationale, aliud viuẽs, quia viuẽs excedit animal; nàm includitur etiam in plantis; secunda, quod omnes partes simul sumptæ sint æquales diuiso; id est, quod nulla desit, vt v. g. si diuidatur elementum, dicendo, elementorum aliud ignis, aliud aër, aliud aqua, non erit bona diuisio, quia deest terra; tertia, quod partes diuidentes sint ità inter se oppositæ, vt non possint esse simùl secundùm eundem modũ, nàm hæc est bona diuisio, animalium aliud rationale, aliud irrationale, quia rationale non potest esse simul, cum irrationali, nec etiam de se inuicem prædicari.

De Propositione.

QVæritur, quid est Propositio? *Resp.* est oratio verum, vel falsum significans indicando, vt homo est animal; ponitur, ly oratio, loco generis; ponitur, verum vel falsum significans, ad differentiam propositionum imperfectarum; ponitur, indicando, vt denotet, quod solá oratio indicatiua dicit verum, vel falsum determinatè, quæ à Logico dicitur propositio.

Propositio est duplex, Cathegorica,

rica, & Hypothetica; Cathegorica est illa, quæ habet subiectum, prædicatum, & copulam, tamquam principales partes sui, vt homo est animal. Propositio hypothetica est, quæ habet duas propositiones cathegoricas, tamquam principales partes sui, vt suo loco videbimus; nunc verò tantùm loquimur de propositione cathegorica; subiectum est terminus, qui ponitur ante copulam, & sic definitur, est illud, de quo aliud dicitur, quia de ipso dicitur prædicatum; prædicatum est terminus, qui ponitur post copulam, & sic definitur, est illud, quod dicitur de alio, quia dicitur de subiecto; copula est verbum, quod coniungit subiectum cum prædicato, vt homo est animal; in hac propositione, homo, est subiectum, animal, prædicatum, & verbum, Est, copula. Not. quandòque propositio fit cum prædicato, quandòque tantùm cum copula; cum prædicato, vt homo est animal; sine prædicato, vt homo est; prima dicitur ab Arist. de tertio adiacente, quasi quod ipsa copula adiaceat prædicato, quod tertio loco fuit positum, vel ipsum copulet; secunda dicitur de secundo adiacente, quasi quod ipsa copula, sine prædicato sit subiecto secunda.

Dices, ergò definitio propositionis non est bona, quia non omnis propositio constat ex subiecto, prædicato, & copula.

Resp. Nego sequelam, nàm in propositione de secundo adiacente, licèt non ponatur prædicatum explicitè, ponitur tamen implicitè, vt in ista, homo est, id est, homo est ens.

In propositione cathegorica assignantur materia, forma, quantitas, & qualitas.

Quæritur secundò. Quænam est materia propositionis, & quotuplex sit?

Resp. Materia propositionis dupliciter accipitur, vno modo pro terminis, ex quibus componitur, & de hac non quærimus in præsenti; alio modo pro re, suprà quam fundatur, veritas, & falsitas propositionum, & de ista loquimur, quæ cognoscitur, per connexionem, vel habitudinem, quam habet prædicatum, cum subiecto; & sicut triplex est talis habitudo, ità triplex est eius materia; nàm vel prædicatum est de essentia subiecti, & sic dicitur materia naturalis; vel prædicatum est subiecto accidentale, & sic est materia contingens; vel tandèm tertiò prædicatum est repugnans subiecto, & sic est materia remota.

Materia naturalis est illa, in qua prædicatum est de essentia subiecti, vel proprium eius; idèst, in qua prædicatum necessariò conuenit subiecto, vt homo est animal, homo est risibilis.

Materia contingens est, in qua prædicatum potest adesse, & abesse, à subiecto, præter subiecti corruptionem, vt homo est albus, homo currit.

Materia remota est illa, in qua prædicatum nullo modo potest conuenire subiecto, vt homo est asinus. Ex his colligitur vna regula, quod propositio affirmatiua, in materia naturali est vera, vt homo est animal; negatiua falsa, vt homo non est animal; in materia remota affirmatiua est

est falsa, vt, homo est equus, negatiua vera, vt, homo non est equus; in materia contingenti possunt ambæ esse veræ, vel ambæ falsæ, vt, homo est albus, homo non est albus.

Quæritur tertiò. Quænàm est forma propositionis.

Resp. Est copula, quia ab ipsa tamquàm à forma habet esse; quæ aliquando in vna propositione potest esse duplex, sed vna principalis, alia minùs principalis; & illa est principalis, quę terminat sensum propositionis, vt v. g. qui est studiosus, erit doctus, ly erit, est copula principalis, ly est, minùs principalis, & potest remoueri, vt studens, erit doctus.

Quæritur quartò. Quænàm est quantitas propositionis?

Resp. Est, quod sit vniuersalis, particularis, indefinità, & singularis: Propositio vniuersalis est illa, in qua subijcitur terminus communis, signo vniuersali determinatus, vt omnis homo est animal; signa vniuersalia sunt, omnis, nullus, quilibet, neuter, &c. Propositio particularis est, in qua subijcitur terminus communis, signo particulari determinatus, vt, aliquis homo est animal; signa particularia sunt, Quidam, Aliquis, &c. Propositio indefinita est, in qua subijcitur terminus communis, sine signo, vt homo currit; Propositio singularis est, in qua subijcitur terminus communis, signo demonstratiuo determinatus, vt hic homo currit, vel subijcitur terminus discretus, vt Petrus currit.

Quæritur quintò. Quænàm est qualitas propositionis?

Resp. Est, quod sit affirmatiua, vel negatiua; vera, vel falsa: propositio affirmatiua est, in qua prædicatum affirmatur de subiecto, vt homo est animal; negatiua est, in qua prædicatum negatur de subiecto, vt homo non currit; propositio vera dicitur illa, quæ sic respondet in re, sicut per ipsam significatur, vt ignis est calidus, quia sic est in re; propositio falsa dicitur illa, quæ non sic respondet in re, sicut per ipsam significatur, vt ignis est frigidus; veritas enim, & falsitas sequuntur naturam rei, de qua loquitur, siuè affirmatiuè, siuè negatiuè.

Quæritur sextò. Quotuplex est quæsitum Propositionis?

Resp. Ttriplex, scilicet, Quæ, Qualis, & Quanta; Quæ, quærit de substantia propositionis, si sit cathegorica, vel hypothetica; & ad interrogationem factam, per Quæ, est respondendum cathegorica, vel hipothetica; Qualis, quærit qualitatem propositionis, vtrùm sit affirmatiua, vel negatiua; Quanta, quærit quantitatem propositionis, vtrùm sit vniuersalis, particularis, indefinita, & singularis, vndè versus.

Quæ cha, vel hyp. Qualis ne, vel aff. v, quanta, par, in, sin.

De Oppositione Propositionum Cathegoricarum.


Qværitur, quid est oppositio Propositionum?

Resp. Est repugnantia duarũ propositionum participantium vtroque termino, eodẽ ordine secundum quã-

titatem, & qualitatem; dicitur, repugnantia duarum propositionũ, participantium vtroque termino; idest, quæ habent idem subiectum, & idem prædicatum; dicitur, eodem ordine, idest, quod subiectum vnius sit etiam subiectum alterius; & prædicatum vnius, prædicatum alterius, vt homo est animal, homo non est animal; dicitur, secundùm quantitatem, & qualitatem, quia ex variatione istarum, attenditur talis repugnantia.

Propositiones sunt repugnantes tripliciter, primò, vel secundùm qualitatem tantùm, & sic si sunt vniuersales, sunt contrariæ, quarum vna est affirmatiua, altera negatiua, vt omnis homo currit, nullus homo currit; si sunt particulares, sunt subcontrariæ, vt quidam homo currit, quidam homo non currit; secundò, vel contrariantur in quantitate tantùm, & sic sunt subalternæ, quarum vna est vniuersalis, & altera particularis, vt omnis homo currit, quidam homo currit; tertiò, vel contrariantur in qualitate, & quantitate simùl, & sic sunt contradictoriæ, quarum vna est vniuersalis affirmatiua, altera particularis negatiua, vt omnis homo currit, quidam homo non currit; vel vna est vniuersalis negatiua, altera particularis affirmatiua, vt nullus homo currit, quidam homo currit.

Not. propositiones contradictoriæ sunt duplices, quædam sunt secundùm rem, & modum simùl, vt omnis homo currit, quidam homo non currit; quædam secundùm rem tantùm, Petrus est albus; & Petrus non est albus.



Contrariæ sunt, vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua eiusdem subiecti, & prædicati, vt omnis homo currit, nullus homo currit; sub-

con-

contrariæ sunt, particularis affirmatiua, & particularis negatiua, eiusdem subiecti, & prædicati; Contradictoriæ sunt, vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua; particularis affirmatiua, & vniuersalis negatiua; subalternæ sunt, vniuersalis affirmatiua, & particularis affirmatiua; vniuersalis negatiua, & particularis negatiua, eiusdem subiecti, & prædicati, quæ oppositiones claræ fiunt in figura.

Natura, seù lex contrariarum est talis, quòd, si vna est vera, reliqua est falsa, & è contrà, in materia naturali, & remota; in materia contingenti, vtraque potest esse falsa: Natura subcontrariarum est, quod, si vna est vera, reliqua erit falsa, & è contrà, in materia naturali, & remota; in materia contingenti possunt esse simùl veræ: Natura contradictoriarum est, quod si vna est vera, reliqua erit falsa, & è conuersò, in quacumque materia, vt patet exemplis, &c. Natura subalternarum est, quod, si vniuersalis erit vera, particularis erit vera, & non è conuersò, in materia contingenti.

De Conuersione Propositionis Cathegoricæ.

QVæritur, quid est co. uersio propositiorum? Respondetur. Est mutatio subiecti, in prædicatum, & prædicati in subiectum; conuersio enim, conuertentia, & conuertibilitas differunt inter se: conuersio est proprietas propositionum, & mutatio subiecti, in prædicatum, & prædicati in subiectum: conuertentia est proprietas relatiuorum; conuertibilitas est proprietas quorumdam terminorum, quos conuertibiles appellamus, vt, homo, & risibile, equus, & hinnibile, &c. & omnes propriæ passiones, & differentiæ sunt conuertibiles cum suis subiectis, & de se inuicem prædicantur in recto.

Conuersio propositionum triplex est, nempè simplex, per accidens, & per contrapositionem: Conuersio simplex est mutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, manente eadem qualitate, & quantitate, vt omnis homo est animal; omne animal est homo; dicitur simplex conuersio, quia non mutatur, nec qualitas, nec quantitas: Conuersio per accidens est mutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, manente eadem qualitate, sed mutata quantitate; idest, si est vniuersalis fit particularis, & si est particularis, fit vniuersalis, vt omnis homo est animal, conuertitur hoc modo, quoddam animal est homo: Conuersio per contrapositionem est mutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, manente eadem qualitate, & quantitate, sed termini finiti mutantur in terminos infinitos, vt omnis homo est animal, conuertitur in istam, omne non animal est non homo; quidam homo non est lapis, quidam non lapis non est non homo; hæ autem conuersiones facilè memoria retinetur, per quosdam versiculos, vt

Simpliciter feci, conuertitur eua per acci.
Asto per contra: sic fit conuersio tota.
Asserit, A, negat, E, sunt vniuersaliter ambæ
Asserit, I, negat, O, sunt particulariter ambæ.

Not. Quod quatuor litteræ ponuntur, ad significandam totam conuersionem, scilicet A, E, I, O, per A, denotatur vniuersalis affirmatiua; per E, vniuersalis negatiua; per I, particularis affirmatiua; per O, particularis negatiua; Vndè isti versus sic sunt intelligendi; simpliciter feci, idest vniuersalis negatiua, designata per illam litteram, E, in feci, & particularis affirmatiua, designata per illam litteram, I, conuertitur simpliciter, vt patebit exemplis, in tertio tract. conuertitur eua per acci, idest, vniuersalis negatiua, designata per illam litteram, E, etiàm conuertitur per accidens, & similitèr etiàm vniuersalis affirmatiua, designata per A, conuertitur per accidens; Asto per contrà, idest, vniuersalis affirmatiua, designata per A, etiàm conuertitur, per contrapositionem, & similitèr particularis negatiua, designata per O, vt patet.

De Aequipollentia Propositionum Chategoricarum.

QVaritur, quid est æquipollentia? *Resp.* Est consequentia duarum propositionum, vtroque termino participantium, eodem ordine vnius, ad aliam, proptèr negationē præpositam tantùm, vel postpositam tantùm, vel præpositam, & postpositam simul, Vndè versus

Præ contradic. Post contra. Præ postq; subalter.

Si negatio præponatur signo, æquipollet contradic. idest, contradictorio; post contra. Si negatio postponatur, æquipollet, contra, idest, contrario; prę postque subalter. Si negatio præponatur, & postponatur, æquipollet subalter, idest, subalterno.

Ex his colliguntur tres regulæ pro maiori intelligentia, quarum.

Prima, quandò negatio præponitur signo, tunc illa propositio æquipollet, suo contradictorio, vt, non omnis homo currit, æquipollet huic, quidam homo non currit, quià propositiones contradictoriæ opponuntur in qualitate, & quantitate simul; negatio verò adueniens, si præponatur, mutat qualitatem, & quantitatem illius, cui præponitur, & sic æquipollet, vt patet in exemplo.

Secunda, quandò negatio postponitur, tunc illa propositio æquipollet, suo contrario, vt, omnis homo non currit, æquipollet huic, nullus homo currit, quæ est sua contraria, quia contrariæ opponuntur tantùm in qualitate, & negatio aduenięs, si postponatur, mutat tantùm qualitatem, & sic vna æquipollet, alteri.

Tertia, quandò negatio præponitur, & postponitur, tunc illa propositio æquipollet suo subalterno, vt non omnis homo non currit, æquipollet huic, quidam homo currit, quæ est subalterna, quià negatio præposita, & postposita mutat solùm quantitatem propositionis.

Not. quod subcontrariæ propositiones numquàm possunt æquipollere

re, quomodocunq; eis apponatur negatio, quia æquipollentia est conuenientia in aliqua eadem significatione, sed non possunt conuenire illæ, quæ nullam habent communitatem, ergò cùm ambæ propositiones subcontrariæ sint particulares, non possunt habere hanc conuenientiam, vel non possunt reduci ad hanc vnionem, vt patet, quidam homo currit, quidā homo non currit, sunt duæ propositiones subcontrariæ. Si negatio verò præponatur, primæ propositioni, dicendo, non quidam homo currit, tunc idem est, quod nullus homo currit: si verò negatio postponatur, vt, quidam homo non currit, tunc erit penitùs eadem, cum sua subcontraria; sed propositiones æquipollentes, licèt debeant habere eamdem virtutem, tamèn non debent esse omninò eædem, quia tūc esset vna propositio bis prolata, ergò &c.

De Propositione Hypotetica.

QVæritur, quid est propositio hypothetica?

Resp. Est illa, quæ constat ex duabus chathegoricis, per aliquam cōiunctionem, vt, si homo currit, mouetur; & sicùt triplex est communis coniunctio, nempè, &, vel, si, ità triplex est propositio hypothetica, scilicet, copulatiua, disiunctiua, & conditionalis.

Copulatiua est illa, in qua coniungūtur duæ propositiones chathegoricæ, per hanc coniunctionem, &, vt Petrus currit, & Antonius legit; & ad veritatem istius, oportet, quod vtraque propositio sit vera, vt homo est animal, & lapis est durus, est vera, & ad hoc, vt sit falsa, sufficit, quod vna sit falsa, siuè prima, siuè secunda, vt Petrus est homo, & equus volat. Disiunctiua est illa, cuius partes coniunguntur per hanc particulam, vel, vt Petrus studet, vel non studet; & ad veritatem istius requiritur, quod partes sint incompossibiles, & habeant quamdam repugnantiam immediatam, ità quod vna, vel altera, sine medio recipiat prædicatum, vt patet exemplo, nàm necessè est, vt Petrus studeat, vel non studeat; imò hac de causa, dicitur disiunctiua, quia disiungit sensum partium, ità vt simùl non possint esse: & si fiat aliqua disiunctiua, ex partibus non repugnantibus, tùnc erit propositio hypothetica disiūctiua solùm voce, non re, quia non disiungit sensum, vt homo est doctus, vel albus.

Conditionalis est illa, cuius partes vniuntur, per hanc particulam, si, vt si homo currit, homo mouetur: ad veritatem istius requiritur, vt antecedēs verè inferat consequens, vt patet in exemplo, & si non inferat, erit mala conditionalis, vt, si homo est, albus est, vndè hypothetica nihil aliud significat, nisi vnionem propositionum, ab hypos, quod significat, sub, & thesis, quod est positio, quasi vna ponatur sub altera, vel post alteram coniuncta.

Not. quod si propositiones hypotheticæ debent fieri negatiuæ, negatio debet poni illi particulæ vnienti, nempè, &, vel, si, quia hæ particulæ ita se habent in hypotheticis, sicut copula in chathegoricis: & ista est negatiua, non si homo studet, est doctus; hæc est affirmatiua, si nullus homo currit, nul-

lus homo mouetur. Not. Etiàm, quod non dicuntur, nec vniuersales, nec particulares, nisi ratione suarum partium: itaut, si propositiones, ex quibus componuntur, sint vniuersales, vel particulares, tales etiam dicuntur hypotheticæ; si vna erit vniuersalis, altera particularis, dicetur mixta, vel indefinita: est etiam not. quod in propositionibus hypoteticis, fiunt interrogationes, eodem modo, sicut dictum est suprà de chathegoricis.

De Propositionibus Modalibus.

QVaritur, quid est propositio Modalis?

Resp. Est illa, cuius prædicatum, vel subiectum limitatur, vel restringitur, cum aliquo modo, vt homo currit velocitèr. Modus enim, vt ad præsens spectat, est determinatio adiacens rei, seù coniuncta rei; hæc determinatio potest fieri per adiectiua, & per aduerbia: per adiectiua, vt homo albus currit, ly, albus, restringit hominem, vt solùm de hominibus albis verificetur; per aduerbia, vt homo currit velocitèr, ly velocitèr, est modus: adiectiua verò determinant subiectum, & aduerbia prædicatum.

Not. primò, propositiones, in quibus subiectum, & prædicatum ponuntur absque restrictione, siuè sint chathegoricę, siuè hypotheticę dicuntur propositiones de inesse, quasi, quod prædicatum simplicitèr inest subiecto, hypotheticæ dicũtur tales secundariò, quatenus constant ex chathegoricis. Propositiones verò, quarum subiectum, & prædicatum limitatur, & restringitur cum aliquo modo, vt dictum est; vocantur modales, vt e. g. homo currit, est propositio de inesse: homo currit velocitèr, est propositio modalis. Propositiones modales licèt fiant hoc modo, & sint quasi innumerabiles, tamèn vsus Logicorum est, vt solùm, per quatuor modos cõstruantur, scilicet, per hos, Possibile, Contingens, Impossibile, & Necesse; erant etiàm in vsu alij duo, scilicet, verũ, vel falsũ, sed nũc recesserunt: & hę propositiones modales fiunt, per infinitiuum, quod vocatur dictum, vt hominem currere est possibile.

Not. Secundò, quilibet istorum modorum potest facere quatuor propositiones, vnam absque negatione, vt Sortem currere est possibile, secundam, cum negatione posita ad verbũ, vt Sortem non currere est possibile; tertiam, cum negatione ad modum, vt Sortem currere nõ est possibile; quartam, cum negatione ad verbum, & ad modum, vt Sortem non currere, non est possibile, & sic de alijs tribus dicendum est; huiusmodi autem propositiones cognoscuntur per quatuor vocales, scilicèt, A, E, I, V, vndè versus *Destruit V totũ, sed A confirmat vtrũq; Destruit E dictum, destruit Iq; modum.* Destruit V, totum, idest, V, negat verbum, & modum, vt Sortem non currere, non est possibile: A confirmat vtrumque, idest, nihil negat, vt Sortem currere est possibile: destruit E, dictũ, idest, E, negat verbum, Sortem non currere est possibile: Iq. modum, idest, I, negat modum, vt Sortem currere non est possibile: circà alias conditiones, idem dicendum est, quod diximus de


de cathegoricis, quoad materiam, formam, qualitatem, & quantitatem; nã illa limitatio, vel modificatio non tollit penitùs materiam, & formam propositionis.

De Aequipollentia propositionum modalium.

PRopositiones modales istorum quatuor modorum, scilicet, Possibile, Contingens, Impossibile, Necesse, æquipollent inter se, sicut propositiones de inesse, virtute negationum: talis æquipollentia facilè cognoscetur, si vtamur quibusdam dictionibus, adinuentis à logicis, ad ipsam explicandã: dictiones sunt istæ, Purpurea, Iliace, Amabimus, & Edentuli: in quibus ponuntur quatuor vocales, scilicet, A, E, I, V, quæ explicantur eodem modo, quo supra: disponuntur autem, hoc ordine, quod semper in quacumque dictione primo loco ponitur Possibile, secundo, Contingens, tertiò Impossibile, quartò Necesse, & habita hac obseruatione, omnes propositiones, quæ sunt sub vna dictione inter se æquipollebunt, scilicet, prima æquipollet, secundæ, & tertia, quartæ, vt e. g. in Amabimus, Sortem currere est possibile, quæ est prima propositio modalis æquipollet huic secundæ, Sortem currere est contingens: & Sortem currere non est impossibile, quæ est tertia, æquipollet huic quartæ, Sortem non currere, non est necesse, & sic dicendum de alijs, in singulis dictionibus, sed vt facilè cognoscatur, ponitur talis regula.

Purpureã
Sortem non currere non est possibile
Sortem non currere non est contigens
Sortem non currere est impossibile
Sortem currere est necesse.

Amabimus
Sortem currere est possibile
Sortem currere est contingens
Sortem currere non est impossibile
Sortem non currere non est necesse



Iliacè
Sortem currere non est possibile
Sortem currere non est contigens
Sortem currere est impossibile
Sortem non currere est necesse.

Edentuli
Sortem non currere est possibile
Sortem non currere est contingens
Sortem non currere non est impossibile
Sortem currere non est necesse.

De Oppositione Propositionum Modalium.

PRopositiones modales opponũtur, sicut illæ de inesse, seu Cathegoricæ, & quatuor sũt tales oppositiones, scilicet, Cõtrariæ, Subcontrariæ, Contradictoriæ, & Subalternæ; Contrariæ sunt, negatiua de modo, & verbo, & negatiua de modo tantùm

tùm, & sic, Purpurea contrariatur Iliace, vt patet in figura. Subcontrariæ sunt, affirmatiua de modo, & verbo, & negatiua, de verbo tantùm, & sic, Amabimus subcontrariatur Edentuli. Contradictoriæ sunt, negatiua de modo, & verbo, & negatiua de verbo tantùm, & sic Purpurea contradicit Edentuli, vel affirmatiua de modo, & verbo, negatiua de modo tantùm, & sic, Amabimus contradicit Iliace. Subalternæ sunt affirmatiua de modo, & verbo, & negatiua de vtroque, & sic, Amabimus subalternatur Purpurea, & negatiua de verbo subalternatur, negatiuæ de modo, & sic, Edentuli subalternantur Iliace.

TERTIA PARS

Tractatus Summularum.

De Syllogismo in Communi.

QVæritur, quid est Syllogismus? *Resp.* Est oratio, in qua quibusdam positis, & concessis, necessè est aliud euenire per ea, quæ posita sunt, & concessa; in qua definitione ponitur ly, oratio, loco generis, & sicut oratio est mentalis, vocalis, & scripta, ità syllogismus potest formari, mente, voce, & scriptura: ponitur, in qua quibusdam positis, ad differentiã Enthimematis, in qua ponitur tantùm vna præmissa, in syllogismo verò duę; dicitur, positis, idest, dispositis in modo, & in figura, ad differentiam Inductionis, & exempli: quæ non disponuntur in modo, & in figura: ponitur ly, necesse est aliud euenire, per ea quę posita sunt, & concessa: vt cognoscamus ipsam conclusionem sequi necessariò, ex illis propositionibus, & esse ab eis distinctam.

Not. quod ly, necesse, est duplex scilicet, consequentiæ, & consequentis: necessitas consequentiæ est necessaria illatio, quæ prouenit, ex habitudine præmissarum ad conclusionem, vt, omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergò omnis homo est substantia, hæc conclusio necessariò infertur, ex illis præmissis. Necessitas consequentis est necessaria habitudo prædicati ad subiectum, vt omnis homo est risibilis, ly, risibilis, necessariò insequitur hominem, & sic syllogismus habet necessitatem consequentiæ, non semper consequentis, quia non semper termini sunt de necessitate propositionis, vt, omne animal est album, omnis homo est animal, ergò omnis homo est albus: in hoc syllogismo est tantùm necessitas consequentiæ, quia hæc conclusio, omnis homo est albus, sequitur ex illis præmissis, sed non habet necessitatem consequentis, quia homo, & albus non sunt necessariò connexi: syllogismus licèt non sit vna oratio, secundùm materiam, est tamen vna, secundùm formam, idest, secundum modum, & figuram.

Quæritur secundò, Quęnam est materia syllogismi?

Resp. Sunt termini, & propositiones, ex quibus constant, termini sunt materia remota, propositiones verò sunt materia propinqua: tres istæ pro-

positiones constituunt syllogismum, quarum prima vocatur maior propositio, secunda minor, & tertia conclusio;& istæ tres propositiones constant ex tribus terminis, quorum vnus bis sumitur antè conclusionem, & vocatur medium: alij duo ponuntur in conclusione, & in præmissis, quorum vnus vocatur maior extremitas, alter minor extremitas. Maior extremitas est terminus sumptus in maiori propositione cum medio; minor extremitas est terminus sumptus in minori propositione cum medio:medium est terminus bis sumptus antè conclusionem, & non ingreditùr in ipsam, vt v. g. omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergò omnis homo est substantia: in hoc syllogismo ly, animal, est medium, quia bis sumitur antè conclusionem: scilicet, in maiori, & minori propositione:ly, substantia, est maior extremitas, quia sumitur tantum in maiori, cum medio, ly, homo, est minor extremitas, quia sumitur tantùm in minori cum medio,

Quæritur tertiò, Quænàm est forma syllogismi?

Resp. Est dispositio eiusdem syllogismi secundùm figuram, & debitum modum: Figura est dispositio trium terminorum secūdùm subiectionem, & prædicationem medij, & qu[illegible] modis potest variari subiectio & prædicatio, tot constituuntur figuræ. Vndè medius terminus aùt subijcitur in maiori, & prædicatur in minori, & sic est prima figura, vt patet hoc exemplo, omne viuens est corporeum, omnis homo est viuens, ergò omnis homo est corporeus, aut medius terminus prædicatur in maiori, & minori, & sic est secunda figura, vt nullus lapis est animal, omnis homo est animal, ergò nullus homo est lapis; aùt medium subijcitur in vtraque, & sic est tertia figura, vt omnis homo est animal, quidam homo currit, ergò quoddam currens est animal, & ità tres sunt figuræ,& distinguuntur intèr se secundùm dispositionē medij, vndè versus.

Sub. præ. prima; bis præ. secunda; tertia bis sub.

Et ità tres sunt figuræ syllogismorum, secundùm doctrinam Peripatheticam receptam ab omnibus, nec sunt plures, nec pauciores, verùm à quibusdā, & maximè à Galeno admittitur quarta figura, in qua medium est prædicatum maioris, & subiectum minoris, vt omne animal est substantia, omnis substantia est per se existēs, ergò omne animal est per se existens.

Modus syllogismi est dispositio dictarum propositionum secundùm debitam qualitatem, & quantitatem; debita quantitas est, quod saltèm vna ipsarum sit vniuersalis, quia ex puris particularibus nihil sequitur: debita qualitas est, quod saltèm vna præmissarū sit affirmatiua, quia ex puris negatiuis nihil sequitur.

De Regulis vniuersalibus syllogismi.

SYllogismi sunt duplices, alij sunt affirmatiui, alij negatiui: syllogismi affirmatiui dicuntur illi, qui habet conclusionem affirmatiuam, & præmissas; negatiui dicuntur illi, qui habent conclusionem negatiuam, cum ali-

rica, & Hypothetica; Cathegorica est illa, quæ habet subiectum, prædicatum, & copulam, tamquam principales partes sui, vt homo est animal. Propositio hypothetica est, quæ habet duas propositiones cathegoricas, tamquam principales partes sui, vt suo loco videbimus; nunc verò tantùm loquimur de propositione cathegorica; subiectum est terminus, qui ponitur ante copulam, & sic definitur, est illud, de quo aliud dicitur, quia de ipso dicitur prædicatum; prædicatum est terminus, qui ponitur post copulam, & sic definitur, est illud, quod dicitur de alio, quia dicitur de subiecto; copula est verbum, quod coniungit subiectum cum prædicato, vt homo est animal; in hac propositione, homo, est subiectum, animal, prædicatum, & verbum, Est, copula. Not. quandòque propositio fit cum prædicato, quandòque tantùm cum copula; cum prædicato, vt homo est animal; sine prædicato, vt homo est; prima dicitur ab Arist. de tertio adiacente, quasi quod ipsa copula adiaceat prædicato, quod tertio loco fuit positum, vel ipsum copulet; secunda dicitur de secundo adiacente, quasi quod ipsa copula, sine prædicato sit subiecto secunda.

Dices, ergò definitio propositionis non est bona, quia non omnis propositio constat ex subiecto, prædicato, & copula.

Resp. Nego sequelam, nàm in propositione de secundo adiacente, licèt non ponatur prædicatum explicitè, ponitur tamen implicitè, vt in ista, homo est, id est, homo est ens.

In propositione cathegorica assignantur materia, forma, quantitas, & qualitas.

Quæritur secundò. Quænam est materia propositionis, & quotuplex sit?

Resp. Materia propositionis dupliciter accipitur, vno modo pro terminis, ex quibus componitur, & de hac non quærimus in præsenti; alio modo pro re, suprà quam fundatur, veritas, & falsitas propositionum, & de ista loquimur, quæ cognoscitur, per connexionem, vel habitudinem, quam habet prædicatum, cum subiecto; & sicut triplex est talis habitudo, ità triplex est eius materia; nàm vel prædicatum est de essentia subiecti, & sic dicitur materia naturalis; vel prædicatum est subiecto accidentale, & sic est materia contingens; vel tandèm tertiò prædicatum est repugnans subiecto; & sic est materia remota.

Materia naturalis est illa, in qua prædicatum est de essentia subiecti, vel proprium eius; idèst, in qua prædicatum necessariò conuenit subiecto, vt homo est animal, homo est risibilis.

Materia contingens est, in qua prædicatum potest adesse, & abesse, à subiecto, præter subiecti corruptionem, vt homo est albus, homo currit.

Materia remota est illa, in qua prædicatum nullo modo potest conuenire subiecto, vt homo est asinus. Ex his colligitur vna regula, quod propositio affirmatiua, in materia naturali est vera, vt homo est animal; negatiua falsa, vt homo non est animal; in materia remota affirmatiua est

est falsa, vt, homo est equus, negatiua vera, vt, homo non est equus; in materia contingenti possunt ambæ esse veræ, vel ambæ falsæ, vt, homo est albus, homo non est albus.

Quæritur tertiò. Quænam est forma propositionis.

Resp. Est copula, quia ab ipsa tamquàm à forma habet esse; quæ aliquando in vna propositione potest esse duplex, sed vna principalis, alia minùs principalis; & illa est principalis, quę terminat sensum propositionis, vt v. g. qui est studiosus, erit doctus, ly erit, est copula principalis, ly est, minùs principalis, & potest remoueri, vt studens, erit doctus.

Quæritur quartò. Quænàm est quantitas propositionis?

Resp. Est, quod sit vniuersalis, particularis, indefinitá, & singularis: Propositio vniuersalis est illa, in qua subijcitur terminus communis, signo vniuersali determinatus, vt omnis homo est animal; signa vniuersalia sunt, omnis, nullus, quilibet, neuter, &c. Propositio particularis est, in qua subijcitur terminus communis, signo particulari determinatus, vt, aliquis homo est animal; signa particularia sunt, Quidam, Aliquis, &c. Propositio indefinita est, in qua subijcitur terminus communis, sine signo, vt homo currit; Propositio singularis est, in qua subijcitur terminus communis, signo demonstratiuo determinatus, vt hic homo currit, vel subijcitur terminus discretus, vt Petrus currit.

Quæritur quintò. Quænàm est qualitas propositionis?

Resp. Est, quod sit affirmatiua, vel negatiua; vera, vel falsa: propositio affirmatiua est, in qua prædicatum affirmatur de subiecto, vt homo est animal; negatiua est, in qua prædicatum negatur de subiecto, vt homo non currit; propositio vera dicitur illa, quæ sic respondet in re, sicut per ipsam significatur, vt ignis est calidus, quia sic est in re; propositio falsa dicitur illa, quæ non sic respondet in re, sicut per ipsam significatur, vt ignis est frigidus; veritas enim, & falsitas sequuntur naturam rei, de qua loquitur, siuè affirmatiuè, siuè negatiuè.

Quæritur sextò. Quotuplex est quæsitum Propositionis?

Resp. Triplex, scilicet, Quæ, Qualis, & Quanta; Quæ, quærit de substantia propositionis, si sit cathegorica, vel hypothetica; & ad interrogationem factam, per Quæ, est respondendum cathegorica, vel hipothetica; Qualis, quærit qualitatem propositionis, vtrùm sit affirmatiua, vel negatiua; Quanta, quærit quantitatem propositionis, vtrùm sit vniuersalis, particularis, indefinita, & singularis, vndè versus.

Quæ cha, vel hyp. Qualis ne. vel aff. v, quanta, par, in, sin.

De Oppositione Propositionum Cathegoricarum.


QVæritur, quid est oppositio Propositionum?

Resp. Est repugnantia duarũ propositionum participantium vtroque termino, eodẽ ordine secundùm quá-

qualitatem, & qualitatem; dicitur si repugnantia duarum propositionũ, participantium vtroque termino; idest, quæ habent idem subiectum, & idem prædicatum; dicitur, eodem ordine, idest, quod subiectum vnius sit etiam subiectum alterius; & prædicatum vnius, prædicatum alterius, vt homo est animal; homo non est animal; dicitur, secundùm quantitatem, & qualitatem, quia ex variatione istarum, attenditur talis repugnantia.

Propositiones sunt repugnantes tripliciter, primò, vel secundùm qualitatem tantùm, & sic si sunt vniuersales, sunt contrariæ, quarum vna est affirmatiua, altera negatiua, vt omnis homo currit, nullus homo currit; si sunt particulares, sunt subcontrariæ, vt quidam homo currit, quidam homo non currit; secundò, vel contrariantur in quantitate tantùm, & sic sunt subalternæ, quarum vna est vniuersalis, & altera particularis, vt omnis homo currit, quidam homo currit; tertiò, vel contrariantur in qualitate, & quantitate simùl, & sic sunt contradictoriæ, quarum vna est vniuersalis affirmatiua, altera particularis negatiua, vt omnis homo currit, quidam homo non currit; vel vna est vniuersalis negatiua, altera particularis affirmatiua, vt nullus homo currit, quidam homo currit.

Not. propositiones contradictoriæ sunt duplices, quædam sunt secundùm rem, & modum simùl, vt omnis homo currit, quidam homo non currit; quædam secundùm rem tantùm, Petrus est albus; & Petrus non est albus.



Contrariæ sunt, vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua eiusdem subiecti, & prædicati, vt omnis homo currit, nullus homo currit; sub-

con-

contrariæ sunt, particularis affirmatiua, & particularis negatiua, eiusdem subiecti, & prædicati; Contradictoriæ sunt, vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua; particularis affirmatiua, & vniuersalis negatiua: subalternæ sunt, vniuersalis affirmatiua, & particularis affirmatiua; vniuersalis negatiua, & particularis negatiua, eiusdem subiecti, & prædicati, quæ oppositiones claræ fiunt in figura.

Natura, seù lex contrariarum est talis, quòd, si vna est vera, reliqua est falsa, & è contrà, in materia naturali, & remota: in materia contingenti, vtraque potest esse falsa: Natura subcontrariarum est, quod, si vna est vera, reliqua erit falsa, & è contrà, in materia naturali, & remota; in materia contingenti possunt esse simùl veræ: Natura contradictoriarum est, quod si vna est vera, reliqua erit falsa, & è conuersò, in in quacumque materia, vt patet exemplis, &c. Natura subalternarum est, quod, si vniuersalis erit vera, particularis erit vera, & non è conuersò, in materia contingenti.

De Conuersione Propositionis Cathegoricæ.

Quæritur, quid est conuersio propositionum?

Respondetur. Est mutatio subiecti, in prædicatum, & prædicati in subiectum; conuersio enim, conuertentia, & conuertibilitas differunt inter se: conuersio est proprietas propositionum, & mutatio subiecti, in prædicatum, & prædicati in subiectum; conuertentia est proprietas relatiuorum; conuertibilitas est proprietas quorumdam terminorum, quos conuertibiles appellamus, vt homo, & risibile, equus, & hinnibile, &c. & omnes propriæ passiones, & differentiæ sunt conuertibiles cum suis subiectis, & de se inuicem prædicantur in recto.

Conuersio propositionum triplex est, nempe simplex, per accidens, & per contrapositionem: Conuersio simplex est mutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, manente eadem qualitate, & quantitate, vt omnis homo est animal; omne animal est homo, dicitur simplex conuersio, quia non mutatur nec qualitas, nec quantitas: Conuersio per accidens est mutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, manente eadem qualitate, sed mutata quantitate; idest, si est vniuersalis fit particularis, & si est particularis, fit vniuersalis, vt omnis homo est animal, conuertitur hoc modo, quoddam animal est homo: Conuersio per contrapositionem est mutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, manente eadem qualitate, & quantitate, sed termini finiti mutantur in terminos infinitos, vt omnis homo est animal, conuertitur in istam, omne non animal est non homo; quidam homo non est lapis, quidam non lapis non est non homo; hæ autem conuersiones faciliùs memoria retinentur, per quosdam versiculos, vt

Simpliciter feci, conuertitur eua per acci,
Asto per contra: sic fit conuersio tota.
Asserit, A, negat, E, sunt vniuersaliter amba (amba.
Asserit, I, negat, O, sunt particulariter

Not. Quod quatuor litteræ ponuntur, ad significandam totam conuersionem, scilicet A, E, I, O, per A, denotatur vniuersalis affirmatiua; per E, vniuersalis negatiua; per I, particularis affirmatiua; per O, particularis negatiua; Vnde isti versus sic sunt intelligendi; simplicitèr feci, idest vniuersalis negatiua, designata per illam litteram, E, in feci, & particularis affirmatiua, designata per illam litteram, I, conuertitur simplicitèr, vt patebit exemplis, in tertio tract. conuertitur eua per acci, idest, vniuersalis negatiua, designata per illam litteram, E, etiàm conuertitur per accidens, & similitèr etiàm vniuersalis affirmatiua, designata per A, conuertitur per accidens; Asto per contrà, idest, vniuersalis affirmatiua, designata per A, etiàm conuertitur, per contrapositionem, & similitèr particularis negatiua, designata per O, vt patet.

De Aequipollentia Propositionum Chategoricarum.

Q*Varitur*, quid est æquipollentia? *Resp.* Est consequentia duarum propositionum, vtroque termino participantium, eodem ordine vnius, ad aliam, proptèr negationẽ præpositam tantùm, vel postpositam tantùm, vel præpositam, & postpositam simul, Vnde versus

Pra contradic. Post contra. Pra postq; subalter.

Si negatio præponatur signo, æquipollet contradic. idest, contradictorio; post contra. Si negatio postponatur, æquipollet, contra, idest, contrario; prę postque subalter. Si negatio præponatur, & postponatur, æquipollet subalter, idest, subalterno.

Ex his colliguntur tres regulæ pro maiori intelligentia, quarum.

Prima, quandò negatio præponitur signo, tunc illa propositio æquipollet, suo contradictorio, vt, non omnis homo currit, æquipollet huic, quidam homo non currit, quià propositiones contradictoriæ opponuntur in qualitate, & quantitate simul; negatio verò adueniens, si præponatur, mutat qualitatem, & quantitatem illius, cui præponitur, & sic æquipollet, vt patet in exemplo.

Secunda, quandò negatio postponitur, tunc illa propositio æquipollet, suo contrario, vt, omnis homo non currit, æquipollet huic, nullus homo currit, quæ est sua contraria, quia contrariæ opponuntur tantùm in qualitate, & negatio aduenies, si postponatur, mutat tantùm qualitatem, & sic vna æquipollet, alteri:

Tertia, quandò negatio præponitur, & postponitur, tunc illa propositio æquipollet suo subalterno, vt non omnis homo non currit, æquipollet huic, quidam homo currit, quæ est subalterna, quià negatio præposita, & postposita mutat solùm quantitatem propositionis.

Not. quod subcontrariæ propositiones numquàm possunt æquipolle-

re, quomodocunq; eis apponatur negatio, quia æquipollentia est conuenientia in aliqua eadem significatione, sed non possunt conuenire illæ, quæ nullam habent communitatem, ergò cùm ambæ propositiones subcontrariæ sint particulares, non possunt habere hanc conuenientiam, vel non possunt reduci ad hanc vnionem, vt patet, quidam homo currit, quidã homo non currit, sunt duæ propositiones subcontrariæ. Si negatio verò præponatur, primæ propositioni, dicendo, non quidam homo currit, tùnc idem est, quod nullus homo currit: si verò negatio postponatur, vt, quidam homo non currit, tùnc erit penitùs eadem, cum sua subcontraria; sed propositiones æquipollentes, licèt debeant habere eamdem virtutem, tamèn non debent esse omninò ædem, quia tũc esset vna propositio bis prolata, ergò &c.

De Propositione Hypotetica.

Q*Væritur*, quid est propositio hypothetica?

Resp. Est illa, quæ constat ex duabus chathegoricis, per aliquam cõiunctionem, vt, si homo currit, mouetur; & sicùt triplex est communis coniunctio, nempè, &, vel, si, ità triplex est propositio hypothetica, scilicet, copulatiua, disiunctiua, & conditionalis.

Copulatiua est illa, in qua coniunguntur duæ propositiones chathegoricæ, per hanc coniunctionem, &, vt Petrus currit, & Antonius legit; & ad veritatem istius, oportet, quod vtraque propositio sit vera, vt homo est animal, & lapis est durus, est vera, & ad hoc, vt sit falsa, sufficit, quod vna sit falsà, siuè prima, siuè secunda, vt Petrus est homo, & equus volat. Disiunctiua est illa, cuius partes coniunguntur per hanc particulam, vel, vt Petrus studet, vel non studet; & ad veritatem istius requiritur, quod partes sint incompossibiles, & habeant quamdam repugnantiam immediatam, ità quod vna, vel altera, sine medio recipiat prędicatum, vt patet exemplo, nàm necessè est, vt Petrus studeat, vel non studeat; imò hac de causa, dicitur disiunctiua, quia disiungit sensum partium, ità vt simùl non possint esse: & si fiat aliqua disiunctiua, ex partibus non repugnantibus, tùnc erit propositio hypothetica disiũctiua solùm voce, non re, quia non disiungit sensum, vt homo est doctus, vel albus.

Conditionalis est illa, cuius partes vniuntur, per hanc particulam, si, vt si homo currit, homo mouetur: ad veritatem istius requiritur, vt antecedẽs verè inferat consequens, vt patet in exemplo, & si non inferat, erit mala conditionalis, vt, si homo est, albus est, vndè hypothetica nihil aliud significat, nisi vnionem propositionum, ab hypos, quod significat, sub, & thesis, quod est positio, quasi vna ponatur sub altera, vel post alteram coniuncta.

Not. quod si propositiones hypotheticæ debent fieri negatiuæ, negatio debet poni illi particulæ vnienti, nempè, &, vel, si, quia hæ particulæ ita se habent in hypotheticis, sicut copula in chathegoricis: & ista est negatiua, non si homo studet, est doctus; hæc est affirmatiua, si nullus homo currit, nullus

lus homo mouetur. Not. Etiàm, quod non dicuntur, nec vniuersales, nec particulares, nisi ratione suarum partium: itaut, si propositiones, ex quibus componuntur, sint vniuersales, vel particulares, tales etiam dicuntur hypotheticæ; si vna erit vniuersalis, altera particularis, dicetur mixta, vel indefinita: est etiam not. quod in propositionibus hypoteticis, fiunt interrogationes, eodem modo, sicut dictum est suprà de chathegoricis.

De Propositionibus Modalibus.

QVæritur, quid est propositio Modalis?

Resp. Est illa, cuius prædicatum, vel subiectum limitatur, vel restringitur, cum aliquo modo, vt homo currit velocitèr. Modus enim, vt ad præsens spectat, est determinatio adiacens rei, seù coniuncta rei; hæc determinatio potest fieri per adiectiua, & per aduerbia: per adiectiua, vt homo albus currit, ly, albus, restringit hominem, vt solùm de hominibus albis verificetur; per aduerbia, vt homo currit velocitèr, ly velocitèr, est modus: adiectiua verò determinant subiectum, & aduerbia prædicatum.

Not. primò, propositiones, in quibus subiectum, & prædicatum ponuntur absque restrictione, siuè sint chathegoricę, siuè hypotheticę dicuntur, propositiones de inesse, quasi, quod prædicatum simplicitèr inest subiecto, hypotheticæ dicũtur tales secundariò, quatenus constant ex chathegoricis. Propositiones verò, quarum subiectum, & prædicatum limitatur, & restringitur cum aliquo modo, vt dictum est; vocantur modales, vt e. g. homo currit, est propositio de inesse: homo currit velocitèr, est propositio modalis. Propositiones modales licèt fiant hoc modo, & sint quasi innumerabiles, tamèn vsus Logicorum est, vt solùm, per quatuor modos cõstruantur, scilicet, per hos, Possibile, Contingens, Impossibile, & Necesse; erant etiàm in vsu alij duo, scilicet, verũ, vel falsũ, sed nũc recesserunt: & hę propositiones modales fiunt, per infinitiuum, quod vocatur dictum, vt hominem currere est possibile.

Not. Secundò, quilibet istorum modorum potest facere quatuor propositiones, vnam absque negatione, vt Sortem currere est possibile, secundam, cum negatione posita ad verbũ, vt Sortem non currere est possibile; tertiam, cum negatione ad modum, vt Sortem currere nõ est possibile; quartam, cum negatione ad verbum, & ad modum, vt Sortem non currere, non est possibile, & sic de alijs tribus dicendum est; huiusmodi autem propositiones cognoscuntur per quatuor vocales, scilicèt, A, E, I, V, vndè versus

Destruit V totũ, sed A confirmat vtrũq;
Destruit E dictum, destruit Iq; modum.

Destruit V, totum, idest, V, negat verbum, & modum, vt Sortem non currere, non est possibile: A confirmat vtrumque, idest, nihil negat, vt Sortem currere est possibile: destruit E, dictũ, idest, E, negat verbum, Sortem non currere est possibile: Iq. modum, idest, I, negat modum, vt Sortem currere non est possibile: circa alias conditiones, idem dicendum est, quod diximus de


de cathegoricis, quoad materiam, formam, qualitatem, & quantitatem; nã illa limitatio, vel modificatio non tollit penitùs materiam, & formam propositionis.

De Aequipollentia propositionum modalium.

PRopositiones modales istorum quatuor modorum, scilicet, Possibile, Contingens, Impossibile, Necesse, æquipollent inter se, sicut propositiones de inesse, virtute negationum: talis æquipollentia facilè cognoscetur, si vtamur quibusdam dictionibus, adinuentis à logicis, ad ipsam explicandã: dictiones sunt istæ, Purpurea, Iliace, Amabimus, & Edentuli: in quibus ponuntur quatuor vocales, scilicet, A, E, I, V, quæ explicantur eodem modo, quo supra: disponuntur autem, hoc ordine, quod semper in quacumque dictione primo loco ponitur Possibile, secundo, Contingens, tertiò Impossibile, quartò Necesse, & habita hac obseruatione, omnes propositiones, quæ sunt sub vna dictione inter se æquipollebunt, scilicet, prima æquipollet, secundæ, & tertia, quartæ, vt e. g. in Amabimus, Sortem currere est possibile, quæ est prima propositio modalis æquipollet huic secundæ, Sortem currere est contingens: & Sortem currere non est impossibile, quæ est tertia, æquipollet huic quartæ, Sortem non currere, non est necesse, & sic dicendum de alijs, in singulis dictionibus, sed vt facilè cognoscatur, ponitur talis regula.

Purpurea
Sortem non currere non est possibile
Sortem non currere non est contigens
Sortem non currere est impossibile
Sortem currere est necesse.

Amabimus
Sortem currere est possibile
Sortem currere est contingens
Sortem currere non est impossibile
Sortem non currere non est necesse



Iliacè
Sortem currere non est possibile
Sortem currere non est contigens
Sortem currere est impossibile
Sortem non currere est necesse.

Edentuli
Sortem non currere est possibile
Sortem non currere est contingens
Sortem non currere non est impossibile
Sortem currere non est necesse.

De Oppositione Propositionum Modalium.

PRopositiones modales opponũtur, sicut illæ de inesse, seu Cathegoricæ, & quatuor sũt tales oppositiones, scilicet, Cõtrariæ, Subcontrariæ, Contradictoriæ, & Subalternæ; Contrariæ sunt, negatiua de modo, & verbo, & negatiua de modo tantùm

positiones constituunt syllogismum, quarum prima vocatur maior propositio, secunda minor, & tertia conclusio; & istæ tres propositiones constant ex tribus terminis, quorum vnus bis sumitur antè conclusionem, & vocatur medium: alij duo ponuntur in conclusione, & in præmissis, quorum vnus vocatur maior extremitas, alter minor extremitas. Maior extremitas est terminus sumptus in maiori propositione cum medio; minor extremitas est terminus sumptus in minori propositione cum medio: medium est terminus bis sumptus antè conclusionem, & non ingreditùr in ipsam, vt v. g. omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergò omnis homo est substantia: in hoc syllogismo ly, animal, est medium, quia bis sumitur antè conclusionem: scilicet, in maiori, & minori propositione: ly, substantia, est maior extremitas, quia sumitur tantùm in maiori, cum medio, ly, homo, est minor extremitas, quia sumitur tantùm in minori cum medio.

Quæritur tertiò, Quænam est forma syllogismi?

Resp. Est dispositio eiusdem syllogismi secundùm figuram, & debitum modum: Figura est dispositio trium terminorum secūdùm subiectionem, & prædicationem medij, & quot modis potest variari subiectio & prædicatio, tot constituuntur figuræ. Vndè medius terminus aùt subijcitur in maiori, & predicatur in minori, & sic est prima figura, vt patet hoc exemplo, omne viuens est corporeum, omnis homo est viuens, ergò omnis homo est corporeus, aut medius terminus prædicatur in maiori, & minori, & sic est secunda figura, vt nullus lapis est animal, omnis homo est animal, ergò nullus homo est lapis; aùt medium subijcitur in vtraque, & sic est tertia figura, vt omnis homo est animal, quidam homo currit, ergò quoddam currens est animal, & ità tres sunt figuræ, & distinguuntur intèr se secundùm dispositionē medij, vndè versus.

Sub. præ. prima; bis præ. secunda; tertia bis sub.

Et ità tres sunt figuræ syllogismorum, secundùm doctrinam Peripatheticam receptam ab omnibus, nec sunt plures, nec pauciores, verùm à quibusdā, & maximè à Galeno admittitur quarta figura, in qua medium est prædicatum maioris, & subiectum minoris, vt omne animal est substantia, omnis substantia est per se existēs, ergò omne animal est per se existens.

Modus syllogismi est dispositio dictarum propositionum secundùm debitam qualitatem, & quantitatem; debita quantitas est, quod saltèm vna ipsarum sit vniuersalis, quia ex puris particularibus nihil sequitur: debita qualitas est, quod saltem vna præmissarū sit affirmatiua, quia ex puris negatiuis nihil sequitur.

De Regulis vniuersalibus syllogismi.

SYllogismi sunt duplices, alij sunt affirmatiui, alij negatiui: syllogismi affirmatiui dicuntur illi, qui habēt conclusionem affirmatiuam, & præmissas; negatiui dicuntur illi, qui habent conclusionem negatiuam, cum

aliqua præmissarum affirmatiui, vt sint boni, debent regulari per dici de omni; negatiui per dici de nullo: regulari per dici de omni est, quod quidquid dicitur de subiecto in maiori propositione, dicatur de quolibet contento sub ipso subiecto in conclusione, vt si dicamus, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergò Petrus est animal; in hoc syllogismo quidquid sub homine sumitur in minori, recipiet prædicationem ipsius hominis in conclusione.

Regulari per dici de nullo est, quidquid negatur de subiecto in maiori propositione, negabitur de quolibet contento sub ipso in conclusione, vt nullum animal est lapis, homo est animal, ergò homo non est lapis; in hoc syllogismo, quia lapis negatur de animali in maiori, in conclusione etiàm negatur de homine, qui continetur sub animáli. *Not.* etiàm, quod istæ duæ regulæ sunt tantùm pro quatuor primis modis primæ figuræ: nàm in alijs non habent sic exactam veritatem, vt patet discurrenti per singulas; sed quia omnes alij modi reducuntur ad hos quatuor, hinc est, quod sicut ex istis sumunt euidentiam, sic quoque participant his regulis, seù principijs: ponuntur aliæ regulæ, quarum.

Prima, ex puris particularibus, indefinitis, & singularibus non est bonus syllogismus, quia regulatur per dici de omni bonus syllogismus, vel de nullo.

Secunda, ex puris negatiuis nihil sequitur, idest, non fit bonus syllogismus, quia in bono syllogismo debet fieri vnio extremitatum cum medio, & intèr se, sed si præmissæ erunt negatiuæ, fieret separatio extremitatum, & non vnio, ergò ex puris negatiuis nihil sequitur, & sic oportet, quod altera præmissarum sit affirmatiua.

Tertia, si altera præmissarum erit particularis, conclusio erit particularis; si negatiua, conclusio erit negatiua, quia conclusio semper sequitur debiliorem partem, ideò, cum debilior pars sit particularis, quàm vniuersalis, & debilior negatiua, quàm affirmatiua, sequitur, quod si altera præmissarum erit particularis, vel negatiua, conclusio erit particularis, vel negatiua.

Requiruntur etiàm aliæ conditiones, scilicet, quod medius terminus nõ ponatur in conclusione, quia si ingrederetur in ipsam, vel poneretur cùm maiori extremitate, & sic conclusio non differret à maiori propositione; vel poneretur cum minori, & tunc non differret à minori propositione, & sic esset petere principium. Etiàm requiritur, quod non ponatur aliquis terminus æquiuocus, quod non fiat processus à magis vniuersali ad minùs vniuersale, & è contrà, quæ omnia in Logica Aristotelis clara fiunt.

De Prima Figura.

Quæritur, quid est prima Figura?

Resp. Est, in qua medium subijcitur in maiori, & prædicatur in minori, vt omne animal est substãtia, omnis homo est animal, ergò omnis homo est substãtia; ly animal est medius terminus; hæc figura habet quatuor modos, scilicet, Barbara, Celarent, Darij, Ferio, qui quatuor concludunt directè;

directè; habet quinque alios, qui concludunt indirectè, scilicet, istos, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, & Frisesomorum.

Concludere autem directè est, maiorem extremitatem prædicari de minori in conclusione; concludere indirectè est, minorem extremitatem prædicari de maiori in conclusione.

Not. primò, pro intelligentia istius figuræ, quod in hac figura, duæ ponuntur regulæ, quarum prima, minori existente negatiua nihil sequitur, quia si minor esset negatiua, maior deberet esse affirmatiua, & conclusio negatiua, vt omne animal est substantia, nullus lapis est animal, ergò nullus lapis est substantia; hæc conclusio est falsa, & tamen sequitur ex præmissis veris; & quia maior extremitas non distribuitur in maiori propositione, quia prædicatum maioris propositionis non distribuit, tamen distribueret in conclusione, quia esset prædicatum propositionis negatiuæ, quod est semper distributum, & sic argueretur à non distributo ad distributum. Secunda regula, maiori existente particulari nihil sequitur, quia medium in nulla præmissarum esset distributum, quod est contrà regulam boni syllogismi, & ratio est, vt suprà. & istæ duæ regulæ valent tantùm pro quatuor primis modis.

Not. secundò, quod circà hos modos, & alios sequentes aliarum figurarum, primò sunt notandæ quatuor litteræ vocales, vt suprà, scilicet, A, E, I, O, per A, denotatur, quod talis propositio fit vniuersalis affirmatiua, per E, vniuersalis negatiua, per I, particularis affirmatiua, per O, particularis negatiua; ità vt prima vocalis cuiuscumq. dictionis correspondet maiori propositioni; secunda vocalis respondet minori, & tertia conclusioni, vt v. g. in Barbara, quia constat ex tribus A, denotatur fieri syllogismum ex tribus vniuersalibus affirmatiuis.

Not. tertiò, solùm quatuor primi modi primæ figuræ sunt perfecti, alij omnes eiusdem figuræ, & aliarum figurarum sunt imperfecti, & reducuntur ad illos quatuor, hoc ordine, nempè, quod qui incipiunt à littera B, reducuntur ad Barbara, qui à C, ad Celarent, qui à D, ad Darij; qui ab F, ad Ferio, sed quia reductio modorum fit diuersis modis, ideò, vt possit cognosci, sunt notandæ aliæ quatuor litteræ consonantes, nempè S, P, M, C, per S, denotatur, quod propositio sibi immediatè præcedens debet conuerti simpliciter; per P, debet conuerti per accidens, per M, fit transpositio præmissarum, scilicet, quod maior fit minor, per C, quod fit reductio per impossibile: Not. etiam, quod in quibusdam reperiuntur plures vocales, quàm tres, vt patet in Frisesomorum, tunc assumuntur solùm tres primæ, reliquæ verò sunt pro metro, non verò pro conuersione, vt possit facilè memoriæ retineri.

Simpliciter vult S, verti, P. verò per accidens.
M. vult transponi; C, per impossibile duci.

Primus modus, primæ figuræ est Barbara, qui constat ex propositionibus vniuersalibus affirmatiuis directè concludentibus, vt

Bar *Omne animal est substantia,*
ba *Omnis homo est animal, ergò*
ra *Omnis homo est substantia.*

Ista conclusio est vniuersalis affirmatiua, quia præmissæ sunt vniuersales affirmatiuæ, & concludit directè, quia maior extremitas prædicatur de minori.

Secundus modus est Celarent, qui constat ex maiori vniuersali negatiua, minori vniuersali affirmatiua, & concludit directè, & negatiuè, quia aliqua præmissarum est negatiua, vt

Ce *Nullum animal est lapis*
la *Omnis homo est animal, ergò*
rent *Nullus homo est lapis.*

Tertius modus est Darij, qui constat ex maiori vniuersali affirmatiua, minori particulari affirmatiua, & conclusione particulari affirmatiua, quia aliqua præmissarum est particularis affirmatiua, vt

Da *Omnis homo est viuens*
ri *Quoddam album est homo, ergò*
i *Quoddam album est viuens.*

Quartus modus est Ferio, qui constat ex maiori vniuersali negatiua, minori particulari affirmatiua, & conclusione particulari negatiua, quia aliqua præmissarum est particularis, & aliqua negatiua, vt

Fe *Nullum animal est lapis*
ri *Quidam homo est animal, ergò*
o *Quidam homo non est lapis.*

Quintus modus est Baralipton, qui constat ex maiori vniuersali affirmatiua, minori vniuersali affirmatiua, & conclusione particulari affirmatiua, vt

Ba *Omne animal est substantia*
ra *Omnis homo est animal, ergò*
lip *Quædam substantia est homo.*

Ista conclusio est particularis affirmatiua, quia si esset vniuersalis, non esset bona consequentia; concludit indirectè, quia minor extremitas prædicatur de maiori; reducitur ad Barbara, conclusione conuersa per accidens, vt omnis homo est substantia.

Sextus modus est Celantes, & reducitur ad Celarent, conclusione conuersa simpliciter, vt

Ce *Nullum animal est lapis*
lan *Omnis homo est animal, ergò*
tes *Nullus lapis est homo.*

Et conuertitur hoc modo, ergò nullus homo est lapis.

Sep-

Septimus modus est Dabitis, reducitur ad Darij, conclusione conuersa simpliciter, vt

Da *Omne lignum est durum*
bi *Quoddam scamnum est lignum, ergò*
tis *Quoddam durùm est scamnum.*

Octauus modus est Fapesmo, reducitur ad Ferio, maiori conuersa per accidens, minori simpliciter, & fit transpositio præmissarum, vt

Fap *Omne animal est viuens*
es *Nullus lapis est animal, ergò*
mo *Quoddam viuens, non est lapis.*

Nonus modus est Frisesmo, & est vltimus illorum, qui indirectè concludunt, habet maiorem particularem affirmatiuam, minorem vniuersalem negatiuam, & conclusionem particularem negatiuam; reducitur ad Ferio, maiori, & minori conuersis simpliciter, & fit transpositio præmissarum, vt

Fris *Aliquis homo est animal*
es *Nullus lapis est homo, ergò*
mo *Quoddam animal non est lapis.*

De Secunda Figura.

Q*Varitur*, quid est Secunda Figura?

Respon. Est illa, in qua medium prædicatur in maiori, & minori propositione, cuius sunt tres regulæ, & quatuor modi.

Prima regula, à maiori existente particulari non fit bonus syllogismus, quia ex parte maioris extremitatis argueretur à non distributo ad distributum, vt aliquis homo est doctus, nullus ignorans est doctus, ergò nullus ignorans est homo.

Secunda, ex puris affirmatiuis nil bene sequitur, quia medium non assumeretur vniuersaliter in aliqua præmissarum, vndè non poterit ritè communicari extremis, vt omnis homo est animal, omnis equus est animal, ergò omnis equus est homo.

Tertia, conclusio semper est negatiua, quia in hac figura syllogismus non constat ex affirmatiuis, sequitur quod habet vnam præmissarum negatiuam, & ideò conclusio erit negatiua, quia conclusio sequitur debiliorem partem.

Modi sunt hi, scilicet, Cesare, Camestres, Festino, Barocco, qui omnes concludunt directè; primus modus secundæ figuræ est Cesare; reducitur ad Celarent, maiori conuersa simpliciter; secundus modus est Camestres, reducitur ad Celarent, minori, & conclusione conuersis simpliciter, & fit transpositio præmissarum; tertius modus est Festino, reducitur ad Ferio, maiori conuersa simpliciter; quartus modus est Barocco, reducitur ad Barbara per impossibile, quia in ipso reperitur littera C: reducere per impossibile fit hoc modo, scilicet, sumitur contradictorium conclusionis, & ponitur in illa propositione, in qua reperitur littera C,

& sumitur contradictorium illius propositionis, & ponitur in conclusione; in casu contradictorium conclusionis ponitur in minori, quia in ipsa reperitur littera C, dicitur reductio per impossibile, quia ex hac reductione infertur impossibile, quod fit contrà negantes conclusionem, vt ipsos inducamus ad manifestum absurdum, vel ad concedendam nostram conclusionem, vt dicendo

Ba *Omnis homo est animal,*
roc *Quidam lapis non est animal, ergò*
co *Quidam lapis non est homo.*
reducitur ad
Bar *Omnis homo est animal,*
ba *Omnis lapis est homo, ergò*
ra *Omnis lapis est animal.*

De Tertia Figura.

Quæritur, quid est tertia Figura?

Resp. Est illa, in qua medium subijcitur in maiori & minori propositione, cuius sunt duæ regulæ, & sex modi.

Prima regula, minori existente negatiua non fit bonus syllogismus, quia ex parte maioris extremitatis argueretur à non distributo ad distributum, vt omnis homo est risibilis, quidam homo non est doctus, ergò quoddam doctum non est risibile.

Secunda, conclusio semper est particularis, quia si esset vniuersalis, argueretur à non distributo ad distributum ex parte minoris extremitatis, vt omne animal est viuens, omne animal est substantia, ergò omnis substantia est viuens.

Modi sunt hi, scilicet, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Broccardo, Ferison, qui omnes concludunt directè; primus modus est Darapti, reducitur ad Darij, minori conuersa per accidens; secundus est Felapton, reducitur ad Ferio, minori conuersa per accidens; tertius est Disamis, reducitur ad Darij, maiori & conclusione conuersis simpliciter, & fit transpositio præmissarum; quartus est Datisi, reducitur ad Darij, minori cõuersa simpliciter; quintus est Broccardo, reducitur ad Barbara, & reducitur per impossibile; sextus est Ferison, reducitur ad Ferio, minori conuersa simpliciter.

De Quarta Figura.

Quæritur, quid est quarta Figura?

Resp. Est illa, in qua medium prædicatur in maiori, & subijcitur in minori: Not. quod hæc figura expressè non traditur ab Aristotele, nec etiàm vniuersaliter recipitur ab omnibus, tamèn non videtur repugnare, nec rationi, nec doctrinæ Aristotelis, quia in syllogismis affirmatiuis huius figuræ saluatur illa regula Antepraedicamentalis: Quando alterum de altero prædicatur, &c. idest, quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur

de

de subiecto illius prædicati; vt omnis homo est animal, omne animal est substantia; ergò omnis homo est substantia; In syllogismis affirmatiuis huius figuræ saluatur alia regula Logicalis, scilicet, quicquid remouetur à consequente, remouetur etiam ab antecedente, vt, quia animal non est incorporeum, ergò nec homo; Quatuor sunt modi istius, figuræ, scilicet Bamana, Camene, Timai, Fimeno, qui omnes indirectè concludunt, & reducuntur ad quatuor primos modos primæ figuræ, per solam transpositionem præmissarum.

I.

Ba *Omnis homo est animal*
ma *Omne animal est viuens, ergò*
na *Omnis homo est viuens.*

II.

Ca *Omnis homo est rationalis*
me *Nullum rationale est equus, ergò*
ne *Nullus homo est equus*

III.

Ti *Quidam homo est animal*
ma *Omne animal est substantia, ergò*
i *Quidam homo est substantia.*

IV.

Fi *Quidam homo est doctus,*
me *Nullum doctum est irrationale, ergò*
no *Quidam homo non est irrationalis.*

De Syllogismo Hypothetico, & Modali.

Qværitur, quid est Syllogismus Hypotheticus?

Resp. Est, qui constat ex propositionibus hypotheticis, sicut syllogismus cathegoricus constat ex propositionibus cathegoricis; syllogismus hypotheticus est triplex, scilicet, copulatiuus, disiunctiuus, & conditionalis, sicut sunt tres propositiones; exemplum de primo, omnis homo; & omnis equus currit, Petrus est homo, Bucefalus est equus, ergò petrus, & Bucefalus currunt; de secundo, omnis homo, vel est rationalis, vel irrationalis, sed non irrationalis, ergò rationalis; de tertio, si homo volat, habet alas; sed volat, ergò habet alas.

Quæritur, quid est syllogismus Modalis?

Resp. Est, qui constat ex propositionibus modalibus, vt omnis homo necessariò est animal, sed Sortes necessariò est homo, ergò Sortes necessariò est animal; & si vna præmissa est modalis, altera de inesse, sequitur conclusio modalis, vt omnis homo necessariò est animal, Petrus est homo, ergò Petrus necessariò est animal.

Qua-

Quaritur, quid est syllogismus expositorius?

Resp. Est ille, qui conficitur ex terminis singularibus, & præcipuè ad similitudinem tertiæ figuræ, vt Sortes est doctus, sed Sortes est homo, ergò quidam homo est doctus; dicitur expositorius, quasi sit potius expositio terminorum, quàm aliqua vera, & bona syllogizatio, quia syllogismus non constat ex propositionibus singularibus: syllogismi fiunt etiã ex terminis obliquis, vt de rebus naturalibus est scientia, sed cæli sunt res naturales, ergò de ipsis est scientia.

Quæritur, quid est Argumentatio?

Resp. Est oratio continens duas partes, quarum vna sequitur ex alia, mediante nota illationis; prima pars vocatur Antecedens, secunda consequens, & illa particula, qua illæ partes simul connectuntur, & mediante qua vna sequitur ex alia, dicitur nota illationis, vt v. g. homo est animal, ergò homo est viuens; ly homo est animal, est antecedens; ly homo est viuens, est consequens; ly ergò, est nota illationis, quæ est veluti forma ipsius argumentationis, quia sine ipsa non diceretur argumentatio, sed duæ propositiones. Quatuor sunt species argumentationis, Syllogismus, Enthimema, Inductio, & Exemplum: de syllogismo dictum est quid sit.

Quæritur, quid est Enthimema?

Resp. Enthimema est syllogismus imperfectus, vel truncatus, in quo ex vna propositione statim infertur conclusio, vt omne animal currit, ergò omnis homo currit; in hac argumentatione includitur hæc propositio, omnis homo est animal, quæ si explicitè poneretur, esset syllogismus perfectus; dicitur ab En, quod est, in, & thimas, quod est, mens, & monos, quod est vnum; idest, quasi in mente retinet vnam propositionem, & oportet illam esse probabilem, & necessariam, & quod præsupponatur tamquam vera; ideò Aristoteles sic definit, Enthimema est syllogismus ex icotibus, & signis; icos enim est propositio probabilis; signum ibi capitur pro propositione necessaria, vt omne animal currit, ergò omnis homo currit; Minor præsupponitur, scilicet, omnis homo est animal, quæ est propositio necessaria, & signum; ideò consequentia tenet tantùm gratia materiæ, non formæ arguendi.

Inductio est progressio à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale, vt hic Cignus est albus, ille Cignus est albus, & sic de singulis, ergò omnis Cignus est albus; similiter Sortes currit, Plato currit, ergò omnis homo currit.

Exemplum est progressio ab vno particulari, ad aliud probandũ, propter similitudinem in eis repertam, vt Sortes est risibilis, ergò Plato est risibilis, quia vterque est homo.

Quæritur, quare sint tantùm quatuor species argumentationis?

Resp. Quia in omni argumentatione proceditur ab antecedente, ad consequens; vel ergò ibi est processus à toto, vel à parte; si à toto, scilicet ab vniuersali, & hoc dupliciter, vel in antecedente sunt duæ præmissæ simul dispositæ in modo, & in figura, & sic

sic est syllogismus, vel est vna præmissa tantùm, & sic est Enthimema; si est processus à parte scilicet singulari, vel fit à singularibus ad vniuersale, & sic est inductio, vel ab vno singulari ad aliud, & sic est exemplum.

De Diuersitate syllogismorum ratione materiæ.

SYllogismus dupliciter considera-tur, nimirùm secundùm formam, & secundùm materiam; primo modo diuiditur in tot species, quot sunt modi syllogismorum, quia figura & modus syllogismi est forma ipsius; secundo modo diuiditur in tres species, sicùt tria sunt genera propositionum; nàm propositiones alię sunt probabiles, alię falsæ cum apparentia veritatis, & aliæ necessariæ; propositiones probabiles dicuntur illæ, quæ vel ab omnibus, vel à multis, vel à sapientibus, vt verę vel approbatæ dicuntur; Vndè istæ propositiones, omnis mater diligit filium suum, amicis est benefaciendum, ab omnibus conceduntur; istæ verò, honores sunt expetendi, à multis conceduntur; & istæ, ex nihilo nihil fit, à sapientibus conceduntur; & si ex istis propositionibus fiat syllogismus, dicitur syllogismus Topicus, seù dialecticus; propositiones falsæ cum apparenti veritate sunt, quæ habent duplicem sensum, vel varium, vt canis latrat, aqua currit, &c. Propositiones necessariæ sunt illæ, in quibus prædicatum est de essentia subiecti, vel ei necessariò conuenit, vt omnis homo est animal, omnis homo est risibilis; vel in negatiuis ab ipsis necessariò remouetur, vt nullus homo est lapis, nullus homo est equus, &c. Vndè si syllogismus fiat ex propositionibus probabilibus, dicitur syllogismus Topicus seù dialecticus; si fiat ex propositionibus falsis cum apparenti veritate, dicitur syllogismus sophisticus; si fiat ex propositionibus necessarijs, dicitur syllogismus demonstratiuus: hìc determinandum est de syllogismo dialectico, & sophistico; de demonstratiuo verò determinandum est in lib. post.

De syllogismo Topico, seù dialectico.

QVæritur primò, quid est syllogismus Topicus?

Resp. Est qui procedit ex propositionibus probabilibus, idest, qui ex præmissis non necessarijs, sed probabilibus infert conclusionem probabilem, ideò non parit scientiam, quæ est cognitio certa, sed opinionem, quæ est adhæsio intellectus alicui propositioni cum formidine de opposito; non requiritur, quod vtraque præmissa sit probabilis, sed sufficit vna, quia conclusio semper sequitur debiliorem partem.

Not. Hæc apparentia veritatis non se tenet ex parte rei, quasi quod detur aliqua propositio, quæ in se, nec veritatem habet, nec falsitatem; quia implicat, cùm veritas, & falsitas opponãtur contradictoriè; sed prouenit ex parte intellectus; qui percipit illam non ità euidentèr, & sic propositio illa vni intellectui, proptèr aliquas rationes apparet vera, alteri verò ex alijs rationibus apparet falsa; hæc pars lo-

D gicæ

gicæ nominatur dialectica, & quamuis hoc nomen sit impositum ad significandum totam logicam, tamèn præcipuè attribuitur huic parti, ex eo, quia hac parte instructi possumus facilitèr disputare de omnibus probabilibus, & incertis; appellatur etiàm Topica, quia Topos græcè significat idem, quod latinè locus; nàm tradit omnia loca, à quibus sumimus media ad probandas propositiones probabiles.

Quæritur secundò, Quid est Problema?

Resp. Est quæstio vtramque partem contradictionis, vel contrarietatis amplectens, vt, an homo sit animal, vel non? an terra sit frigida, vel calida? Quæstio est dubitabilis propositio, quæ postquàm est determinata argumentis vocatur cōclusio, quæ sic definitur, conclusio est propositio approbata argumentis.

Quæritur tertiò, quid est locus Topicus?

Resp. Est sedes argumenti, vel est id, à quo elicitur conueniēs argumentum ad propositam quæstionem; per argumentum hic intelligitur medium Topicum; Argumentum differt ab Argumentatione; nàm argumentum est medium probans conclusionem; Argumentatio est totus discursus, vt in hoc exemplo, omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergò omnis homo est risibilis; in hoc syllogismo, animal rationale dicitur argumentum, seù medium; totus discursus dicitur argumentatio, licèt sit syllogismus, nihil tamen refert, quia omnis syllogismus est argumentatio; dicitur locus, per similitudinem ad res naturales; nàm sicut res naturales producuntur, fouentur, & cognoscuntur in locis naturalibus, sic argumentationes fiunt ex his locis Topicis, & in his earum veritas fundatur, & cognoscitur.

Quæritur quartò, in quot diuiditur locus Topicus?

Resp. In locum maximam, & in locum differentiam maximæ; differt maxima à loco maxima; nàm maxima est propositio, qua non est altera prior, & notior, vt de quolibet verùm est affirmare, vel negare; locus maxima est propositio per se nota confirmatiua alicuius consequentiæ dialecticæ, vt de quocumque prædicatur definitio, prædicatur definitum, est confirmatiua huius consequentiæ, Petrus est animal, ergò Petrus est homo, dicitur confirmatiua, propter alias maximas, vt ista, omne totum est maius sua parte, dicitur maxima, sed non locus maxima. Locus differentia maximæ sunt termini illi, quibus differunt maximæ inter se, & ex quibus illæ maximæ conficiuntur, vt definitio, & definitum, species, & genus; Vndè ista maxima, De quocunque prædicatur definitio, prædicatur definitum, differt ab illa, De quocumque prædicatur species, prædicatur genus: In qualibet maxima reperiuntur duo termini, vnus dicitur inferens, alter dicitur illatus, in casu terminus inferens erit definitio, illatus erit definitum, & solet dici, locus à definitione ad definitum; similiter in altera maxima, locus à specie ad genus: locus differentia maximæ sumit suam denominationem à ter-

minis

minis inferente, & illato, ab inferente, vt à termino à quo, ab illato, vt à termino ad quem, vndè solet dici locus à definitione ad definitum, à specie ad genus.

Quaritur quintò. Quotuplex est locus differentia maximæ?

Resp. Triplex, scilicet, intrinsecus, extrinsecus, & medius; & quilibet istorum habet alias subdiuisiones, de quibus omnibus breuitèr est agendum; Maximæ diuiduntur iuxtà diuersas habitudines, quas habent inter se termini, vt alia est habitudo inter definitionem, & definitum, & alia inter speciem, & genus; & secundùm varias istas habitudines formantur variæ maximæ, explicantes dictas habitudines.

De Locis Intrinsecis.

Q*Varitur primò*, quid est Locus Intrinsecus? & quotuplex est?

Resp. Est ille, qui sumit argumentum ab his, quæ sunt de essentia rei; est duplex, scilicet, à substantia, & à concomitantibus substantiam; per substantiam hic non intelligitur prædicamentum substantiæ, sed quidditas rei, & sic etiam conuenit accidentibus.

Quaritur secundò, quid est locus à Substantia?

Resp. Est ille, qui sumit argumentum ab his, quæ sunt de substantia, seù quidditate terminorum in quæstione positorum, & conuertibiliter se inferunt; qui est triplex, vt omnes communiter dicunt summulistæ, scilicet, à definitione, à descriptione, & à nominis interpretatione.

Locus à definitione est habitudo definitionis ad definitum, vel è contra; habet quatuor maximas, duas affirmatiuas, & duas negatiuas, prima affirmatiua, vt De quo prædicatur definitio, prædicatur definitum, vt Petrus est animal rationale, ergò Petrus est homo; secunda est etiam affirmatiua: Quicquid prædicatur de definitione, prædicatur de definito, vt animal rationale currit, ergò homo currit; tertia negatiua, A quocumque remouetur definitio, remouetur definitum, vt lapis non est animal rationale, ergò non est homo; quarta negatiua, Quicquid remouetur à definitione, remouetur à definito, vt animal rationale non est lapis, ergò homo non est lapis; sed quia definitio, & definitum conuertibiliter dicuntur, possunt aliæ quatuor maximæ formari à definito ad definitionem, vt dicendo, de quocũq. prædicatur definitum, prædicatur definitio, ità vt definitum sit inferens, & definitio illatum. Not. quod duo requiruntur, vt istæ maximæ verificentur, primum, vt termini non supponant materialiter, sed formaliter, vndè non sequitur, animal rationale est oratio, vel definitio, ergò homo est oratio, vel definitio; secundum, quod fiant in propositionibus de inesse, quià in propositionibus, quæ æquiualent modalibus non sequitur, vt hominem esse risibilem est demonstrabile, ergò animal rationale esse risibile est demonstrabile, est falsum, quià est principium immediatum, & indemonstrabile.

Locus à descriptione est habitudo de-

descriptionis ad descriptum, vt animal risibile currit, ergò homo currit, & valet, sicut locus à definitione, solummodò mutando nomina, vt pro definitione dicatur descriptio, pro definito descriptum; habet quatuor maximas, vt suprà.

Locus à nominis interpretatione est habitudo interpretationis ad interpretatum; Interpretatio est explicatio nominis, est duplex, quædam quæ conuertitur cum interpretato, vt Theologia est sermo de Deo, &c. quædam, quæ non conuertitur, vt lapis est lædens pedes, nàm multa lædent pedes, quæ non sunt lapides; in præsenti est sermo de prima interpretatione; habet quatuor maximas, vt suprà; primà maxima affirmatiua: De quo prædicatur interpretatio, prædicatur interpretatum: vt tractatus de Trinitate est sermo de Deo, ergò est Theologia, &c. Secunda, vt suprà, solùm mutato nomine.

Quæritur, quid est locus à concomitantibus substātiam, & quotuplex?

Resp. Est, quandò sumitur ab illis terminis, qui non conuertibiliter se habent, sed vnus aliquo modo concomitatur alterum; sunt octo, scilicet, à toto, à parte, à causa, ab effectu, à generatione, à corruptione, ab vsibus, & à communiter accidentibus.

Primus locus est à toto ad partes, & diuiditur sicut ipsum totum, & quià totum relatiuè refertur ad partes, ideò quot modis dicitur totum, tot etiam dicitur pars; Vndè locus à toto, & à parte diuiditur ad diuisionem totius, & partis; totum est multiplex, scilicet, totum vniuersale, vt omne superiùs in linea prædicamentali, pars huius totiùs est omne inferiùs, & dicitur pars subiectiua, vt genus dicitur totum vniuersale, eius species dicuntur partes subiectiuæ; totum integrale est corpus constans ex partibus habentibus quantitatem, vt domus, & totum physicum, respectu partium integralium; partes sunt illæ, quæ componunt ipsum totum, quæ sunt duplicis generis, aliæ sunt principales, sine quibus totū nō potest esse, vt paries, tectum respectu domus; caput, cor respectu hominis; aliæ minùs principales, sinè quibus totum potest esse, vt fenestra in domo, digitus in homine: Totum in quantitate est terminus communis cum signo vniuersali, vt omnis homo, nullus lapis; pars est ille terminus cum signo particulari, vt aliquis homo: totum in modo est terminus communis, sine aliqua determinatione, vt homo; pars in modo est terminus communis cum aliqua determinatione, vt homo albus; Vndè totum in modo distinguitur à toto vniuersali, quia istud respicit inferiora essentialia, illud accidentalia, vt homo, vt totum vniuersale respicit Petrum, Franciscum, vt homines sunt; homo verò, vt totum in modo respicit inferiora, quatenùs determinata per aliquas accidentarias determinationes, vt hominem album, hominem nigrum: Totum in loco est dictio comprehendens aduerbialiter omnem locum, vt vbique, nullibi &c. pars totius in loco est dictio comprehendens aliquē locū aduerbiliter, vt hic, illuc, &c. Totū in tēpore est dictio aduerbialis comprahēdens omne tem-

tempus, vt ſemper, numquam, &c. pars totius in tempore eſt dictio aduerbialis ſignificans aliquam partem temporis, vt hodiè, heri, &c.

Locus à toto vniuerſali eſt habitudo ipſius vniuerſalis ad ſuas partes, & valet arguere deſtructiuè, ſeù à negatione ſuperioris ad negationem inferioris; habet vnam maximam, A quocumque remouetur totum vniuerſale, remouetur quælibet eius pars, vt lapis non eſt animal, ergò non eſt homo; è contrà verò, ſcilicet, à parte ad totum non tenet deſtructiuè, ſed conſtructiuè, ſeù affirmatiuè; habet duas maximas, prima, Quod prædicatur de parte, prædicatur de toto, vt homo currit, ergò animal currit; ſecunda, De quo prædicatur pars, prædicatur totum, vt Petrus eſt homo, ergò eſt animal.

Locus à toto integrali eſt habitudo totius integralis ad ſuas partes, & tenet affirmatiuè; habet vnam maximam: vt Poſito toto integrali, ponitur quælibet eius pars, ſcilicet, principalis: vt domus eſt, ergò paries eſt; nām pars minùs principalis non neceſſariò ponitur, non tamen tenet negatiuè, vt non eſt domus, ergò non eſt paries, quia ad poſitionem poſterioris ſequitur poſitio prioris, non tamen ad deſtructionem poſterioris ſequitur neceſſariò poſitio prioris; è contrà, à parte integrali, ad totum tenet negatiuè in eiſdem terminis, cuius maxima eſt: Deſtructa parte integrali, ſcilicet, principali deſtruitur totum: vt paries non eſt, ergò domus non eſt; affirmatiuè non tenet, niſi ponantur omnes partes, & vnitæ, vt ſunt paries, tectum, fundamentū, lapis, ergò domus eſt.

Locus à toto in quantitate ad ſuas partes tenet affirmatiuè, & negatiuè, habet duas maximas, prima, Quicquid affirmatur de toto in quātitate, affirmatur de omnibus, & ſingulis partibus, vt omnis homo currit, ergò Socrates currit, Petrus currit; ſecūda, Quicquid remouetur à toto in quantitate, remouetur ab eius partibus, vt nullus homo currit, ergò Socrates non currit; è contrà, à partibus in quantitate ad totum tenet affirmatiuè, & negatiuè; habet duas maximas, prima, Quicquid prædicatur de partibus in quantitate ſimùl ſumptis, prædicatur etiam de ſuo toto, vt Sortes currit, Plato currit, & ſic de ſingulis, ergò omnis homo currit; ſecunda, Quicquid remouetur ab illis partibus ſimùl ſumptis, remouetur etiam ab eius toto, vt Sortes non currit, Plato non currit, & ſic de ſingulis, ergò nullus homo currit.

Locus à toto in modo ad ſuas partes tenet negatiuè, habet vnam maximam, vt Quicquid negatur de toto in modo, negatur etiàm de qualibet eius parte, vt homo non currit, ergò homo albus non currit; tamēn affirmatiuè non tenet, niſi in ordine ad prædicata primi, & ſecundi modi, vt homo eſt riſibilis, ergò homo albus eſt riſibilis; è contrà, à parte in modo ad eius totū tenet conſtructiuè, habet duas maximas, prima, Quicquid dicitur de parte in modo dicitur de toto, vt homo albus currit, ergò homo currit; ſecunda, de quo dicitur pars in modo, dicitur etiàm eius totum, vt ſortes eſt homo

homo albus, ergò sortes est homo.

Not. Quod determinatio modificans terminum communē est triplex, alia est distrahens, seù alienans, quæ tollit rationem sui determinabilis, vt homo mortuus, pictus, irrationalis; alia est diminuens, quæ non tollit rationem omninò sui determinabilis, sed partim diminuit, vt homo cognitus, album secundùm dentes; alia est contrahens seu restringens, & est, quæ non tollit, aut diminuit significatum termini communis, imò ipsum supponit; tamèn facit stare pro paucioribus suppositis, vt homo albus; ad hoc, vt rectè arguatur à toto in modo ad eius partes, & è contrà, modus debet sumi in tertio sensu; in primo sensu non sequitur, Petrus non est homo mortuus, ergò non est homo; nec in secundo sensu, rosa est cognita, ergò rosa est; Aethiops est albus secundùm dentes, ergò est albus, ideò tantùm tenet in tertio sensu.

Locus à toto in loco ad suas partes tenet tàm affirmatiuè, quàm negatiuè, habet duas maximas, prima, Cuicunque competit totum in loco, competit etiàm quælibet eius pars, vt Deus est vbique, ergò est hic; secunda, Quicquid remouetur à toto in loco, remouetur etiàm à qualibet eius parte, vt Cæsar est nullibi, ergò non est hic; è contrà, à parte in loco ad suum totum, habet vnam maximam, Cuicunque non competit pars in loco, nec eius totum, vt Cæsar non est hic, ergò non est vbique.

Locus à toto in tempore ad suas partes, tenet tàm affirmatiuè, quàm negatiuè; habet duas maximas, prima, Cuicunque competit totum in tempore, competit eius pars, vt Deus est sempèr, ergò est nùnc; secunda, Quicquid remouetur à toto in tempore, remouetur ab eius parte, vt Antichristus est nullibi, ergò non est hìc; è contrà, locus à parte in tempore ad suum totum tenet negatiuè, habet vnam maximam, A quo remouetur pars in tempore remouetur eius totū, vt Cæsar non est hodiè, ergò non fuit sempèr; hæc tota possunt reduci ad totum in quantitate, & eisdem regulis possumus vti.

Secundus locus est à parte ad totū, de quo dictum est.

Tertius locus est à causa ad effectum, & diuiditur, sicut ipsa causa, & sicùt causa est quadruplex, scilicet efficiens, materialis, formalis, & finalis, sic quatuor loca possunt desumi.

Locus à causa efficiente est habitudo ipsius causæ ad suum effectum, habet duas maximas, prima, Posita causa efficiente libera, bona, vel mala, ponitur effectus bonus, vel malus, vt Domificator est bonus, ergò Domus bona, Domificator est malus, ergò domus mala.

Not. Non est intelligendum de bonitate, & malitia morali, vel entitatiua, quià peccator potest esse optimus artifex; sed de bonitate, & malitia causæ, & effectûs, idest in quantùm causa efficiens est, & non adsit impedimentum ex alio capite.

Secunda, Posita, vel remota causa efficiente in potentia, vel in actu adæquata, ponitur, vel remouetur effectus in potentia, vel in actu, vt Sol est, ergò dies est; sol non est, ergò dies

ies non eſt; è contrà, locus ab effectu ad cauſam efficientem, habet etiàm ſuas maximas, prima, Poſito bono effectu, vel malo, ponitur cauſa efficiens bona, vel mala; ſecunda, Poſito, vel remoto effectu in potentia, vel in actu, ponitur, vel remouetur cauſa efficiens in potentia, vel in actu.

Locus à cauſa materiali ad ſuum effectum habet duas maximas, vnam affirmatiuā, & alterā negatiuā, prima, Poſita cauſa materiali, poſſibilis eſt ſuus effectus; cauſa materialis eſt duplex, ſcilicet permanens, quæ remanet in compoſito poſt rem factam, vt lapides in domo; alia eſt tranſiens, quę non manet in compoſito, vt ſemen in arbore, farina in pane, vt arguendo, lapides, & farina ſunt, ergò domus, vel panis eſſe poſſunt; ſecunda, Remota cauſa materiali remouetur effectus, vt remotis lapidibus, & lignis, remouetur domus; è contrà, locus ab effectu ad iſtam cauſam habet duas maximas, ſcilicet affirmatiuā, & negatiuā, prima, Poſito effectu ponitur, materiam permanentem eſſe, & tranſeuntem fuiſſe; ſecunda, Remoto effectu, remouetur cauſa materialis in actu, non tamèn in potentia.

Locus à cauſa formali in actu ad ſuum effectum habet duas maximas ſcilicet affirmatiuam, & negatiuam; prima, Poſita cauſa formali, ponitur effectus formalis, vt albedo eſt, ergò album eſt; ſecunda, Remota cauſa formali, remouetur effectus formalis, vt albedo non eſt, ergò album non eſt; è contrà, ab effectu ad iſtam cauſam poſſunt eſſe ſimiles maximæ, prima, Poſito effectu, ponitur cauſa formalis, vt album eſt, ergò albedo eſt; ſecunda, Remoto effectu, remouetur cauſa formalis, vt album non eſt, ergò albedo non eſt; ponitur ly, in actu, quià poteſt eſſe aliqua forma ſeparata, quæ actu nullum cauſet effectum formalem, vt accidentia in Sanctiſſimo Sacramento Altaris, & anima ſeparata, à qua cauſa non valet inferre effectum.

Locus à cauſa finali ad ſuum effectum tenet affirmatiuè, & negatiuè, habet duas maximas, prima, Cuius finis eſt bonus, effectus eſt bonus; ſecunda, Cuius finis eſt malus, ſeù non eſt bonus, effectus eſt malus, vt ſanitas eſt bona, ergò medicina eſt bona.

Not. Effectus finis ſunt media ad conſequendum ipſum finem, quæ media ſunt duplicis generis, quædam, quæ ex ſua natura habent proportionem, & ordinationem ad finem, & aſſumuntur ſecundùm rectum dictamē rationis, vt medicina ad acquirendam ſanitatem, operationes meritoriæ ad conſequendam beatitudinem; alia, quæ per accidens, & non ſecundùm dictamen rationis ordinantur ad finē, vt ſi quis furetur, proptèr eleemoſynā faciendam, ſi ægrotus biberet aquam ad ſanitatem acquirendam; è contrà, idem dicendum de loco ab effectu ad hanc cauſam.

Quartus locus eſt ab effectu ad cauſam, de quo dictum eſt.

Quintus locus à generatione, eſt habitudo generationis ad genitum, habet vnam maximam, Cuius generatio eſt bona, genitum eſt bonum, cuius generatio eſt mala, genitum eſt malum, vt generatio hominis eſt bona, ergò

ergò homo est bonus, generatio furis est mala, ergò fur est malus: generatio hìc accipitur pro acceptione cuiuscunque esse, siuè substantialis, siue accidentalis; è contrà locus à genito ad generationem potest simili modo argui, vt aurum est bonum, ergò generatio auri est bona, & hoc sequitur, quia generatio terminatur ad esse rei, ideò si illud esse erit bonum, vel malum, generatio erit bona, vel mala.

Sextus locus à corruptione est habitudo corruptionis ad corruptum, habet vnam maximam; Cuius corruptio est bona, ipsum corruptum est malū, & cuius corruptio est mala, ipsum corruptum est bonum, vt corruptio Latronis est bona, ergò latro est malus, corruptio hominis est mala, ergò homo est bonus: è contrà eodem modo arguitur à corrupto ad corruptionē, vt hæretici sunt mali, ergò illorū corruptio est bona; Doctores Ecclesiæ sunt boni, ergò illorum corruptio est Ecclesiæ mala, & hoc sequitur, quia corruptio est deperditio alicuius esse; & quia non terminatur ad esse rei, sed ad non esse, ideò desumitur in hoc loco talis maxima.

Dubit. Hæc regula non est vera vniuersaliter, nàm non sequitur, mors Christi fuit bona Ecclesiæ, ergò Christus fuit malus Ecclesiæ, quod est falsum.

Resp. Quod talis regula tunc valet vniuersaliter, quando ex corruptione geniti arguitur generatio mala, & sic rectè infertur, generatio est mala, corruptio illius est bona; quandò verò ex bonitate corruptionis non arguitur generatio mala, signum erit, quod talis bonitas prouenit corruptioni non ex se, sed ab extrinseco, vt est in casu: nàm in tantùm mors Christi fuit bona, quia fuit à Deo ad nostram salutē ordinata; sic sancti sunt boni, & tamē mors ipsorum dicitur prætiosa, vt in *Psal.* 115. quatenùs à Deo ordinatur, vt meritoria vitæ æternæ.

Septimus locus ab Vsibus est habitudo Vsus ad id, cuius est Vsus, habet vnam maximam, Cuius Vsus est bonus, ipsum quoque est bonum, vt equitare est bonum, ergò equus est bonus; interficere hominem gladio est malum, ergò ad hoc vti gladio est malum: vbi est cauendum, ne pro Vsu sumatur abusus, vt interficere hominem gladio est malum, ergò gladius est malus, nàm talis nō est vsus gladij, sed abusus gladij, & sic dicatur de alijs: Vsus est exercitium alicuius rei, quæ res dicitur vsitata, vt secare in serra, equitare in equo, serra dicitur vsitata, equus vsitatus.

Octauus locus à communiter accidētibus est habitudo vnius communiter accidentium ad reliqua; communiter accidentia sunt duplicia, quędam quæ non semper se consequuntur, vt esse album, esse doctum; quædam se consequuntur, & hoc dupliciter, primò pro eodem tempore, vt est interpositio terræ, & Ecclipsis Lunæ; secundò, pro alio tempore, vt vita, & mors, conceptio, & partus: huiusmodi locus non sumitur à primis communiter accidentibus, sed à secūdis, cuius maxima est, A positione posterioris sequitur positio prioris, vt ecclipsis Lunæ est, ergò interpositio terræ est; non è contra, scilicet, à positione

ne prioris non sequitur necessariò positio posterioris, vt mulier concepit, ergò peperit; homo commisit errorem, ergò torquetur; negatiuè verò arguitur, A destructione prioris ad destructionem posterioris, vt non est interpositio terræ, ergò neque eclipsis lunæ: Nota quod hæc, licèt dicantur accidentia communia, tamen ab Antiquis connumerantur inter loca intrinseca; quia intendunt ostendere naturam rei.

De locis extrinsecis.

Quæritur, quid est locus extrinsecus? & quot sunt?

Resp. Est, quandò terminus inferens non est in illato secundùm aliquem modum essendi, in, sed omninò extrà illum; sunt octo, scilicet ab oppositis, à disparatis, à maiori, à minori, à simili, à proportione, à transsumptione, & ab auctoritate.

Primus locus ab oppositis est habitudo vnius oppositi ad aliud, & quia oppositio est quadruplex, scilicet relatiua, contraria, priuatiua, & contradictoria; ab omnibus istis sumuntur loca, & maximę; tamen de oppositis in communi ponitur talis maxima, De quocumque affirmatur vnū oppositorum, negatur alterum respectu eiusdem, & secundùm idem; dicitur respectu eiusdem, quia idem potest esse Filius, & Pater respectu diuersorum; dicitur secundùm idem, quia idem potest esse mobile, & mouens respectu eiusdem formæ, vt cùm aqua se reducit ad pristinam frigiditatem dicitur mouens, & mobilis; dicitur mouens, vt est in potentia virtuali, & actiua; dicitur mobilis, vt est in potentia formali, & passiua, ideò non est secundùm idem.

Locus ab oppositis relatiuè est habitudo vnius relatiui ad reliquum, & tenet affirmatiuè, & negatiuè, cuius Maxima est, Relatiua posita se ponunt, & perempta se perimunt, vt si Pater est, Filius est; negatiuè, Remoto vno relatiuo, remouetur, & alterum, vt si Pater non est, neque Filius est.

Locus ab oppositis contrariè est habitudo vnius contrarij ad alterum; contrariorum alia sunt mediata, idest quæ habent media secundùm formā, vt album, & nigrum, inter quæ sunt medij colores, scilicet, viridum, rubeum, &c. alia immediata, inter quæ nulla mediat forma, per participationem extremorum, sed solùm subiectum capax vtriusque formæ, vt sanus, & æger, par, & impar; à contrarijs mediatis tenet affirmatiuè, cuius Maxima est, Posito vno contrariorum in subiecto, remouetur alterum, vt album est, ergò non est nigrum, non verò è contrà, scilicet, non est nigrum, ergò est album, quia potest esse rubeum; à contrarijs immediatis tenet etiam negatiuè, cuius maxima est, Remoto vno contrariorum in subiecto existente, & capaci, ponitur alterum, vt homo non est sanus, ergò est æger; numerus non est par, ergò est impar, & è contrà; Dixi in subiecto existente, quia non sequitur, Antichristus non est sanus, ergò est æger, dixi in subiecto capaci, quia non valet, lapis non est

sanus, ergò est æger, & hoc, quia hæc contraria habent annexam aliquam oppositionem priuatiuam.

Locus ab oppositis priuatiuè est habitudo, &c. eius Maxima, Posito vno priuatiuè oppositorum circà aliquod subiectum aptum, remouetur reliquum, & è contrà, vt homo est videns, ergò non est cæcus, & è contrà.

Not. à negatione habitus ad positionem priuationis non valet argumentatio, nisi seruato tempore, & modo, vt non valet, catulus non est videns ante nouem dies, ergò est cæcus, similiter Petrus non est videns, quandò dormit, ergò est cæcus.

Locus ab oppositis contradictoriè est habitudo, &c. Eius Maxima est, si vnum contradictoriorum est verũ, alterum est falsum, & è contrà, vt Petrus est homo, ergò falsum est ipsum non esse hominem.

Secundus locus à disparatis est habitudo vnius disparati ad reliquum; tenet affirmatiuè, non verò negatiuè, cuius Maxima est, Posito vno opposito disparato, remouetur alterum, non è contrà, vt Petrus est homo, ergò non est equus; non ergò negatiuè, vt lapis non est homo, ergò est equus.

Tertius locus à maiori est habitudo maioris ad minus, tenet negatiuè, cuius maxima est, Si id, quod magis videtur inesse, non inest, neque quod minùs videtur inesse, in erit, vt si vir non potest vincere leonem, ergò neque puer.

Quartus locus à minori est habitudo minoris ad maius; tenet affirmatiuè, cuius maxima est, Si quod minùs videtur inesse, & inest, ergò quod magis videtur inesse, inerit; vt si miles potest debellare ciuitatem, ergò, & Rex.

Quintus locus à simili est habitudo vnius similium ad reliquum, tenet affirmatiuè, & negatiuè; cuius Maxima est, De similibus est idem iudicium, vt vir ille nobilis est honorandus, ergò, & hic; ille latro fuit suspensus, ergò hic debet suspendi.

Sextus locus à proportione est habitudo vnius proportionabilis ad reliquum, tenet affirmatiuè, & negatiuè, & debet argui quoad illa, in quibus est proportio; cuius Maxima est, De proportionabilibus est idem iudicium, vt sicut se habet Rex in Regno, ità Generalis in Religione, sed Rex debet esse prudens, & sapiens, ergò, & Generalis; ponitur ly, quoad illa, quia non valet si in alijs arguatur, vt Rex debet habere milites, ergò, & Generalis.

Septimus locus à commutata proportione est habitudo quatuor terminorum comparabilium in proportione, in quo sunt duæ regulæ, vt notat Scotus in primo d. 36. litt. K. & in quarto d. 43. q. 3. litter. G. Prima, quod accipiantur quatuor termini, quorum duo primi constituunt antecedens, duo vltimi constituunt consequens, & primus comparatur cum secundo, & tertius cum quarto, deindè commutata proportione, vt primus comparatur cum tertio, & secundus cum quarto, vt, sicùt se habet duo ad quatuor, ità tria ad sex, ergò commutata proportione, sicùt se habet duo

duo ad tria, ità quatuor ad sex, sed duo ad tria est proportio sexquialtera, quià includit duo, & medietatem ipsius, ergò quatuor ad sex erit proportio sexquialtera: Secunda regula est, quandò fit in alijs rebus à quantitate, vt in terminis conuertibilibus, & contradictorijs; Vndè non valet sic arguendo, sicùt se habet superficies ad hanc superficiem, ità color ad hunc colorem, ergò, commutata proportione, sicùt se habet superficies ad colorem, ità hæc superficies ad hunc colorem, sed superficies non potest esse sine colore, ergò neque hæc superficies sine hoc colore, non valet; quià termini non sunt contradictorij, sed sunt positiui: Similitèr non valet sic arguendo, sicùt se habet homo ad non hominem, ità animal ad non animal, ergò, commutata proportione, sicùt se habet homo ad animal, ità non homo ad non animal; sed quod est homo, est necessariò animal, ergò quod est non homo, est necessariò non animal, non valet, nàm licèt termini sint contradictorij; tamèn non sunt conuertibiles: Itaque quandò seruantur istæ duæ regulæ, valet commutata proportio non solùm in quantitatiuis, sed etiàm in alijs rebus, vt sicùt se habet homo ad non hominem, ità rationale ad non rationale, ergò commutata proportione, sicùt se habet homo ad rationale, ità non homo ad non rationale, sed quod est homo, est rationale, ergò, quod est non homo, est irrationale, sed equus est non homo, ergò equus est non rationalis.

Octauus locus à transumptione, habitudo transumptionis ad transumptum, tenet affirmatiuè, & negatiuè; cuius maxima est. Quicquid alicui conuenit, vel disconuenit sub nomine magis noto, conuenit vel disconuenit illi sub nomine minùs noto, vt sapiens studet, ergò Philosophus studet; transumptio est duplex, vna est, quandò aliqua vox sumitur ad significandum significatum alterius vocis, proptèr aliquam similitudinem in illis repertam, vt cùm risus sumitur ad significandum risum in prato, & in hac transumptione non fundatur locus Topicus, quià non accipitur simplicitèr veritas, sed Metaphorica; altera, quandò vnum nomen minùs notum declaratur per aliud magis notum, & de hac transumptione loquimur hìc; differt iste locus ab interpretatione, quia hìc non exponitur nomen, sed solùm accipitur nomen notius, vt si quis pro Philosopho vtatur nomine sapientis, tamquàm nomine magis noto, vt in exemplo suprà allato; ex quo sequitur, quod propriè loquendo hic locus non est extrinsecus, quià hæc nomina significant eamdem rem.

Nonus locus ab Auctoritate habet vnam maximam, quæ est: Vnicuique experto in sua scientia est credendum, vt, Aristoteles dixit, decem sunt Prædicamenta, ergò sunt decem; dixit, nõ datur vacuum, ergò non datur, & tenet affirmatiuè, idest, quod ipse dixerit hoc, vel illud, siuè affirmando, siuè negando: locus verò ab Auctoritate negatiua non tenet; vt Aristoteles nihil dixit de Dæmonibus, ergò non dantur, non valet, quia sumitur negatiuè, & etiam, quia de eis non est sua scientia.

De locis Mediis.

QVæritur, Quid est locus medius, & quotuplex?

Resp. Est ille, qui sumit argumentum ab his, qui partim conueniunt, & partim disconueniunt cum terminis in quæstione positis; dicitur medius, quia mediat inter locum intrinsecum, & extrinsecum, ideft locus medius est, quandò termini inferês, & illatus partim conueniunt, & partim differunt, vt concretum, & abstractum conueniunt in significato, & differunt in modo; sunt quinque, scilicet, a coniugatis, a casibus, a comparatione, ab appositis, & a diuisione.

Primus locus a coniugatis est habitudo vnius coniugatorum ad reliquū, tenet affirmatiuè, & negatiuè; coniugata sunt abstractum, & concretum; dicuntur coniugata, quasi simul iuncta in principali significato, habent idem significatum principale, & differunt in modo significandi, vt scientia, & sciês, albedo, & album; cuius maxima est: Quicquid conuenit, vel repugnat vni coniugatorum, conuenit, vel repugnat reliquo, vt album est coloratum, ergò albedo est color: iustitia est virtus, ergò iustus est virtuosus; pro veritate istius argumêtationis assignantur tres regulæ; prima, vt non fiat in terminis vltima abstractione abstractis, vnde non valet, albedo est color, ergò albedeneitas est coloreitas; secunda, quod fiat in prædicatis per se, vnde non valet, album est dulce, ergò albedo est dulcedo; tamen negatiuè à concretis ad abstracta sempèr valet, vt album non est dulce, ergo albedo non est dulcedo; tertia, quod fiat in terminis accidentalibus, vndè non valet, homo est animal, ergo humanitas est animalitas.

Secundus locus a casibus est habitudo vnius casus ad reliquum, vel ad aduerbium; coniugata parùm differūt a casibus, nam coniugata sunt nomina, ab vno prouenientia, vt sapiens a sapientia, album ab albedine; casus verò sunt siuè nomina, siuè verba, siuè aduerbia etiam, ab vno deriuantia, vt bonum, benè a bonitate; sapiens, sapientèr a sapientia, tenet affirmatiuè, & negatiuè; cuius maxima est: Quicquid conuenit vni casuum, conuenit reliquo: vt iustum est bonum, ergo quod iustè fit, benè fit, &c.

Tertius locus a comparatione est habitudo vnius comparatiui ad reliquum: comparatiua dicuntur illa, quæ in alio conueniunt, quorum vnum excedit aliud, & id, quo conueniunt vocatur positiuum, & excedens comparatiuum, cuius maxima est: Relatiuum supponit suum positiuum, vt leo est fortior equo, ergo leo est fortis.

Not. Quod quandò fit comparatio abusiua, tùnc non valet, vt Agnus est fortior musca, ergò Agnus est fortis, nam in [illegible] horum animalium re[illegible] [illegible]ra fortitudo: ad hunc locum com[illegible]paratiuorum reducuntur superla[illegible]tiua, cum eadem maxima; altera maxima est: Dùm aliquod est tale, quod magis excedit est magis tale: vt iustus est bonus, ergo iustior est melior, & iustissimus est optimus.

Quartus locus ab Appositis est habitudo, &c. Dicuntur apposita, quia vnum

num apponitur, vel vnitur alteri ad oc, vt fit tale, & ideo dicitur tale propter aliud; eius maxima est: Propter uod vnumquodque tale, & illud magis: vt lignum est calidũ propter ignẽ, rgo ignis magis calidus: hæc maxima equirit alias conditiones, quæ in libris ost. examinantur.

Quintus locus à diuisione est habitudo vnius membri diuidentis ad reliuum; eius maxima est: Posito vno membrorum diuidentium in aliquo ubiecto, remouetur, & reliquum, & contrà: vt si Sortes est animal aut est nimal rationale, aut irrationale, sed nõ st animal irrationale, ergo rationale.

De Syllogismo Sophystico.

Quæritur primò, quid est Syllogismus Sophysticus?

Resp. Est Syllogismus deceptorius, rocedens ex propositionibus falsis, um apparenti veritate; hic syllogismus potest dici deceptorius tripliciter, primò, quia peccat in materia, t si contineat terminos æquiuocos, t omnis canis currit, Sydus coeleste st canis, ergò sydus coeleste currit; k huiusmodi syllogismus semper erit n quatuor termi[illegible] vt patet; In forma, si non disp[illegible] [illegible]ito mo[illegible]o, & figura, vt dictum est [illegible] tertia arte Summularũ, dùm regulas [illegible] yllogismi assignauimus; In vtraque imul, si præmissæ æquiuocè se habent, & dispositio terminorum sit nala.

Syllogismus Sophysticus non est radicus pro vsu, idest, vt possimus lisputando aliquem fallere, quia hoc videtur indignum scientifico; sed traditur ad remouendum cauillationes Sophystarum, idest, vt sciamus ipsas cauillationes euitare.

Quæritur secundò, quid est finis Sophystarum?

Resp. Est sibi ipsis videri sapientes, sicut sophystæ sunt sapientes secundùm apparentiam, & in veritate sunt ignorantes.

Quæritur tertiò, Quotuplex est finis, seù meta Sophystarum?

Resp. Est quintuplex, scilicet, Redargutio, Falsum, Inopinabile, Solæcismus, & Nugatio, quæ omnes sunt veluti media ad consequendum finem sapientiæ apparentis.

Redargutio est prænegati concessio, vel præconcessi negatio in eadem disputatione, vi argumenti sophystici; dicitur, in eadem disputatione, quia in diuersis non esset Redargutio; dicitur, vi argumenti sophystici, quia si vi verborum, vel clamoris, vel minis id fieret, non esset Redargutio.

Falsum dicitur illud, quod nullam continet veritatem, & notum est omnibus circumstantibus, vt homo volat, quod si concedatur vi argumenti sophystici, habet ab ipso intentum.

Inopinabile est contrà communem opinionem, vel saltem adstantium, vt, si coram sapientibus concedatur dari vacuum.

Solæcismus est defectus orationis contrà regulas grammaticæ, vt, si quis sic argueret, omnis homo est coloratus, mulier est homo, ergò mulier est coloratus.

Nugatio est eiusdem, & ex eadem parte inutilis repetitio, vt omnis homo,

mo est homo rationalis homo; dicitur, ex eadem parte, quia, si in diuersis partibus idem repeteretur, non esset nugatio, vt homo est homo; dicitur, inutilis repetitio, quia si repeteretur ad maiorem expressionem, nec esset nugatio, vt Deus Deus iustus, &c.

Not. quod, si sophysta inducit respondentem ad omnes istas metas, vel aliquas, vel vnam, tunc assequitur suum finem; sed interdum sine sophysmatibus contrà rudes id assequitur; & tunc est defectus, vel inscitia respondentis, non verò deceptio arguentis.

De Fallacijs in Genere.

QVæritur, quot sunt Fallaciæ? *Resp.* Sunt tresdecim; quarum sex sunt in dictione, & septem extrà dictionem; dicuntur in dictione, quia habent causam apparentiæ, seù defectus ex parte vocis, seù dictionis; dicuntur extrà dictionem, quia habent causam apparentiæ ex parte rei. Not. quod in qualibet fallacia est quædam similitudo veri, quæ vocatur causa apparentiæ; & est diuersitas veri, quæ vocatur causa falsitatis.

Fallaciæ in dictione sunt Aequiuocatio, Amphibologia, Accentus, Cōpositio, Diuisio, & Figura dictionis; extrà dictionem sunt, Accidens, secundum quid ad simpliciter, Ignorantia Elenchi, Petitio principij, Consequens, Non causa, vt causa, Secundùm plures interrogationes, vt ...

De Fallacijs in Dictione.

PRima fallacia æquiuocationis est idoneitas, idest promptitudo, seù habilitas decipiēdi, prouenien ex vnitate vocis diuersa significantis; seù est deceptio, proueniens ex vnitate vocis diuersa significantis; In qua, causa apparentiæ est vnitas vocis; causa deceptionis est diuersitas significatorum; tres sunt modi istius fallaciæ.

Primus est, quandò aliquis terminus est æquiuocus à casu, qui in vna præmissa supponit pro vno, & in altera, pro altero, vt omnis canis currit, sydus cœleste est canis, ergò sydus cœleste currit; soluitur, negando consequentiam, quia argumentum est in quatuor terminis; nam in maiori ly, canis; supponit pro cane terrestri, in minori pro cœlesti; vel si supponit pro vno tantùm, tunc vna illarum est falsa; similiter, omnis Gallus est auis, omnis Parisiensis est Gallus, ergò omnis Parisiensis est auis.

Secundus est, quandò aliquis terminus est æquiuocus à consilio, idest plura significans, ordine quodam, quatenùs vnum significat propriè, aliud transumptiuè, vt quicquid currit, habet pedes, sed aqua currit, ergo habet pedes; soluitur distinguendo Maiorem; propriè, concedo; transumptiuè, nego; sic applica ad minorem; similiter quicquid ridet habet os, prata rident, ergo habent os.

Tertius est, quando vna dictio, si est sola, significat vnum, si coniuncta cum

n alia significat plura, vt corrup- le significat vnum, scilicet, po- s corrumpi, sed iunctum cum positione, in, significat plura, incorruptibile potest significare uod, quod potest non corrumpi, Adam, idest, negat tantùm actum umpendi, & potest significare ali- d, quod non potest corrumpi, vt is, idest, negat actum, & poten- corruptionis, sic arguendo, om- ncorruptibile est perpetuum; sed ne potens non corrumpi est incor. ibile, ergo omne potens non cor- pi est perpetuum; Consequentia alsa, quia Adam potuit non cor- pi, & non erat perpetuus: solui- disting. maiorem; ily, incorrup- e, negat actum, & potentiam, cedo, si negat tantùm actum, o; sic applica ad minorem.

ecunda fallacia Amphibologiæ est ptio, proueniens ex vnitate ora- s, habentis diuersos sensus; cau- pparentiæ est vnitas orationis; a deceptionis est diuersitas sen- n; differt à præcedenti, quia illa pluritatem significatorum cum ate vocis, hæc verò dicit plurita- sensuum cum vnitate orationis; sunt modi.

rimus ... quando aliqua oratio t æquè plures sensus, ... vna nissa supponit pro vno sensu, & era pro altero, vt, quicquid est totelis possidetur ab Aristotele, hæc Logica est Aristotelis, ergò idetur ab Aristotele; soluitur di- . maiorem, si ly, est Aristotelis habitudinem possessionis, concedo; si habitudinem causæ efficien- tis, nego; nam, &c.

Secundus est, quando aliqua oratio habet plures sensus, vnum propriè, & alterum transumptiuè, vt quicunque haurit aquas cribro est iuxta aquas, sed discipulus sine libro haurit aquas cribro, ergo est iuxta aquas: soluitur disting. minorem, propriè, concedo: transumptiuè, & attributiuè, nego: nam, &c.

Tertius est, quando aliqua oratio ex se habet vnum sensum, sed iuncta cum alia habet diuersos sensus, vt hoc videt, hæc oratio habet tantùm vnicũ sensum, scilicet, ista res videt; sed iun- cta cum alia habet diuersos sensus, vt quicquid Petrus videt, hoc videt, sed parietem Petrus videt, ergo paries vi- det: soluitur disting. maiorem si ly, hoc videt, sumatur in accusatiuo, concedo: si in nominatiuo, nego; nam quando sumitur in nominatiuo facit hunc sen- sum, scilicet, quod sit aliquod videns; in accusatiuo facit alium sensum, scili- cet, quod sit aliquod obiectum visum: in conclusione insinuatur, quod suma- tur in nominatiuo, ideo non sequitur, & committitur fallacia Amphibologiæ.

Tertia fallacia compositionis est de- ceptio, proueniens ex vnitate oratio- nis compositæ falsæ, & diuisæ veræ, idest, tunc fit, quando arguitur a sensu diuiso vero ad compositum falsum: causa apparentiæ est vnitas proposi- tionis, quæ videtur vera in quolibet sensu, causa deceptionis est diuersitas sensuum, quorum vnus est verus, al- ter falsus: tres sunt modi.

Primus

Primus est, quando in oratione cõposita ponitur ly, possibile, vt Quemcumque possibile est ambulare, possibile est, vt ambulet, sed sedentem possibile est ambulare, ergò possibile est, quod sedens ambulet. Soluitur, negando consequentiam, quià procedit à minori vera, in sensu diuiso, ad conclusionem falsam, in sensu composito. In sensu diuiso facit hunc sensum verùm, sedentem possibile est ambulare, idest, sedens nùnc, potest ambulare. In sensu composito facit hunc sẽsum falsum, idest, sedendo potest ambulare, ideò committitur fallacia cõpositionis.

Secundus est, quandò in tali oratione ponitur coniunctio, &, vt Quæcũque sunt duo, & tria, sunt paria, & imparia; sed quinque sunt duo, & tria, ergò quinque sunt paria, & imparia; soluitur disting. minorem; si ly, &, coniungit terminos, concedo; si propositiones, nego; nàm si coniungit terminos, sic est composita, & vera, & est vna propositio cathegorica, & facit hunc sensum, quinque sunt duo, & tria simùl iuncta; si coniungit propositiones, sic est diuisa, & falsa, & hypothetica, & facit hunc sensum, quinque sunt duo, & quinque sunt tria.

Tertius est, quandò ponitur aduerbium temporis, vt quicquid viuit, sempèr est, sed homo viuit, ergò sempèr est; soluitur, si ly, sempèr, coniũgitur cum ly, viuit, facit sensum compositum, & est vera propositio; si cõiungitur cum ly, est, facit sensum diuisum, & est falsa propositio; similitèr, quicumque litteras scit nùnc didicit eas, sed gramaticus scit, litteras, ergò gramaticus nùnc didicit eas; soluitur, si ly, nùnc, sumatur, vt suprà, &c.

Quarta fallacia diuisionis est deceptio, proueniens ex vnitate orationis diuisæ falsæ, & compositæ veræ; idest tùnc fit fallacia diuisionis, quandò arguitur à sensu composito vero, ad sensum diuisum falsum; causa apparentiæ est vnitas orationis diuisæ, quæ videtur vera in quolibet sensu, causa deceptionis est diuersitas sensuũ, quorum vnus est verus, alter falsus; tres sunt modi, sicùt fallacia compositionis.

Primus est, quando in oratione diuisa ponitur ly, impossibile, vt impossibile est, sedentem ambulare, sed Petrus sedet, ergo impossibile est ambulare; soluitur negando consequentiam, quià procedit à maiori vera in sensu composito, ad conclusionem falsam in sensu diuiso.

Secundus est, quando in oratione diuisa ponitur coniunctio, & vt suprà in fallacia compositionis.

Tertius est, quando in oratione diuisa ponitur aduerbium temporis, sempèr.

Quinta fallacia Accẽntus est deceptio, proueniens ex dictione diuersimodè prolata, vel scripta; causa apparentiæ est [illegible], causa deceptionis est diuersitas significatorum. Tres sunt modi.

Primus est ex variatione dictionis, per aspirationem, seù per hanc litterã, H, vt quicquid hamatur, hamo capitur, sed mulier amatur, ergo capitur hamo; soluitur negando consequentiam, quià ly, hamatur, in maiori sumitur cum aspiratione, & facit diuersum

a sensum sine aspiratione, ideo,&c.
iliter ara est in templo, sed stabu-
a porcorum est hara, ergo stabulū
corum est in templo; soluitur vt
ra, &c.
Secundus est ex variatione dictio-
per diphtongum, vt equi sunt hin-
iles, sed sancti sunt æqui, ergo sūt
nibiles; soluitur negando consequē-
m, quia sumitur in maiori sine diph-
igo, scilicet, pro animali irrationali
nibili; in minori verò cum diphton-
, scilicet, pro iusto.
Tertius est, ex variatione Accētus,
quantitatis syllabarum, vt omnis
pulus est arbor, gens Itala est popu-
, ergo gens Itala est arbor; soluitur,
gando consequentiam; quia si ly,
pulus habet primam longam, est
a maior; si breuis, est falsa maior,
applica ad minorem.
Sexta fallacia figuræ dictionis est
eptio, proueniens ex similitudine
tionis cum alia dictione; quæ non
nificat idem; causa apparentiæ est
ilitudo dictionis cum dictione:
usa deceptionis est dissimilitudo si-
ficatorum illarum dictionum; tres
t modi, quia similitudo fit voce,
nificatione, & suppositione.
Primus est, quando quis credit, om-
dictiones similes in voce, vel desi-
tia esse eiusdem generis, scilicet,
sculini, vel feminini, vel neutri; vt
t se habet musa, ita Poeta, sed mu-
st feminini generis, ergo Poeta est
inini generis; soluitur dist. Maio.
minatiuè, concedo; significatiuè,
go; nam, &c. Similiter, omnis sub-
itia est feminini generis, sed Poeta
ubstātia, ergo est feminini generis.

Secundus est, quando fit transitus à distributiuo vnius prædicamenti, ad terminum alterius prædicamenti, vt quicquid emisti, comedisti, sed emisti carnem crudam, ergo comedisti carnē crudam; soluitur negando consequētiam, quia fit transitus à distributiuo prædicamenti substantiæ, ad terminū prædicamenti qualitatis, nàm in maiori ly, quicquid, est distributiuum prædicamenti substantiæ, in minori sumitur terminus prædicamenti qualitatis, scilicet, ly crudum, ideo, &c.

Not. Distributiuum substantiæ est quicquid, quilibet, &c. Quantitatis continuæ, est quantumcunque; Quantitatis discretæ, est Quotcumque; Qualitatis, est qualecunque: Vbi, est Vbicunque; Quando, est Quandocunque; quando igitur sub distributiuo alicuius prædicamenti subsumitur terminus alterius prędicamenti; vel sub distributiuo vnius speciei subsumitur terminus speciei eiusdem prędicamenti, committitur fallacia figurę dictionis.

Tertius est ex varia suppositione termini, scilicet, quando variatur suppositio materialis in formalem, vt homo est dictio bisyllaba, sed animal rationale est homo, ergo animal rationale est dictio bisyllaba: soluitur, negando consequentiam, quia in maiori ly, homo, supponit materialiter, in minori formaliter, & sic variatur suppositio, & committitur huiusmodi fallacia; vel quando variatur suppositio simplex in personalem, vt homo est species, sed Petrus est homo, ergo Petrus est species: soluitur negando consequentiam, quia in maiori ly, homo

F sup-

supponit simplicitèr, & in minori personalitèr; vel confusa in determinatā, vt omnis homo est animal, ergò omnis homo est hoc animal; soluitur, quia ly, animal, in antecedente supponit cōfusè, & in consequentia determinatè.

De Fallacijs extra Dictionem.

PRima fallacia Accidentis est deceptio, prouemiens ex inadæquata identitate accidentis cum re subiecta; causa apparentiæ est identitas extremitatum in præmissis cum medio; causa erroris est diuersitas illarum extremitatum inter se: Accidens sumitur hìc non, vt distinguitur contrà substantiam, sed pro extraneo, quatenus est ex parte idem, & ex parte diuersum cum termino, cui coniungitur, & de quo prædicatur, & sic tam superiora dicuntur accidentia respectu inferiorum, quàm inferiora respectu superiorum, propter inadæquatam identitatem inter illa; Vndè in fallacia accidētis tria requirūtur, scilicet medium, quod dicitur accidens; secundum est res subiecta, quæ est minor extremitas; tertium est attributum, quod est maior extremitas, dicitur attributum, quia attribuitur extremitati. Tres sunt modi huius fallaciæ.

Primus est, quandò ex coniunctione extremitatum cum medio in præmissis infertur coniunctio ipsarum in conclusione, in syllogismis affirmatiuis; vt essentia diuina est Pater, sed Filius est essentia diuina, ergò Filius est Pater; soluitur, negando consequentiam, quia maior identitas cōcluditur in conclusione, quàm fuerit assumpta in præmissis; nam in præmissis erat sermo de identitate essentiali, in conclusione verò de identitate essentiali, & personali; Hinc Scotus in primo d. 2. q. 3. dicit, quod quandò in cōclusione est maior identitas extremitatum inter se, quàm fuerat in præmissis cum medio, tunc fit fallacia Accidentis.

Secundus est, quandò ex diuersitate extremitatum cum medio in præmissis arguitur diuersitas ipsarum in conclusione, in syllogismis negatiuis, vt nullus homo est equus, nullum hinnibile est homo, ergò nullum hinnibile est equus; soluitur, negando consequentiā, quia infertur maior distinctio in conclusione inter extremitates, quàm sit in præmissis cum medio; vel quia arguitur ex puris negatiuis.

Tertius est, quandò ex aliquibus diuisim acceptis in præmissis infertur indebita coniunctio ipsorum in conclusione, vel è contrà; vt iste canis est pater, & tuus, ergò est pater tuus; soluitur, quia arguere à diuisis, ad coniuncta valet, obseruatis tribus cōditionibus; prima, quòd illa prædicata diuisa se habeant, vt determinabile, & determinatio, defectu cuius non sequitur, iste est presbyter, albus, ergò est presbyter albus, quia albedo non est determinatio illius prædicati, presbyter: secunda quòd determinatio non sumatur æquiuocè, defectu cuius non sequitur, iste canis est pater, & tuus, ergò est Pater tuus; quia ly, tuus, in antecedente dicit habi-

bitudinem possessionis; in consequentia dicit habitudinem effectus ad ...sam efficientem: Tertia, quòd non ... nugatio, defectu cuius, Petrus ... homo, & rationalis, ergò est homo rationalis; ideò vniuersaliter valet ...tùm in prædicatis essentialibus, vt ...mo est animal, & rationalis, ergò. Arguere à coniunctis ad diuisa... ...quirit etiam tres conditiones, prima ...òd determinatio non sit distrahens, ... alienans, non sequitur, Sortes est ...mo mortuus, ergò est homo, & mortuus; secunda, quòd non sit ...npliatiua, non sequitur, chimera ... ens impossibile, ergò est ens, & impossibile; tertia, quod determinatio ex se, & simpliciter conue...it subiecto, non ratione alterius ...ædicati, non sequitur, Camaldu...sis est Monachus albus, ergò est ...onachus, & albus, quia albus con...nit illi ratione habitus; essentia di...ia est Pater generans, ergò est Pa..., & generans; nam generare dici... de essentia diuina, ratione Paterni...is.

Secunda fallacia, Secundùm quid simpliciter est deceptio, proueniens apparenti inclusione dicti simplici..., in dicto secundùm quid; dictum ...pliciter (vt ad præsens spectat) est minus cōmunis ... ...tus, homo; dictum secundùm qu... est ...s terminus sumptus cum determi...tione distrahente, diminuente, vel ...enante, vt homo pictus; causa ...parentiæ est apparens inclusio dicti ...npliciter, in dicto secundùm quid; ...st, quòd dictum simpliciter sequa...r ad dictum secundùm quid; causa erroris est, non sufficiens inclusio illorum dictorum inter se; sunt duo modi.

Primus est, arguendo à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter, vt hæc imago, est homo pictus, ergò est homo; chimera est ens impossibile, ergò est ens: soluitur, quia arguitur à dicto secundùm quid, ad simpliciter.

Not. Hæc fallacia, est multiplex, iuxtà multiplicitatem additi diminuentis; nàm additum, vel diminuit secundùm totum, vt Sortes est homo mortuus, ergò est homo; vel secundùm maiorem partem, vt paries est albus secundùm maiorem partem, ergò est albus; vel secundùm partem determinatam, vt Sortes est simus secundùm nasum, ergò est simus; Aethiops est albus secundùm dentes, ergò est albus; vel est diminuens secundùm locum, vt non licèt in mari audire missam, ergò nón licèt audire missam; vel secundùm tempus, vt non licèt vesci carnibus in Quadragesima, ergò non licèt vesci carnibus; vel secundùm vsum, vt, malè venti non sunt bonæ scientiæ, ergò scientiæ non sunt bonæ.

Secundus est, arguendo à dicto simpliciter, ad secundúm quid, vt Sortes non est homo, ergò non est homo pictus.

Tertia fallacia Ignorantiæ Elenchi est deceptio, proueniens ex apparenti obseruatione particularum definitionis Elenchi; nàm Elenchus est syllogismus contradictorius, idest, est syllogismus concludens contradictorium propositionis, datæ à respondente; causa

causa apparentiæ est apparens obseruatio illarum quatuor conditionum; causa erroris est omissio illarum conditionum, vel vnius illarum; quatuor sunt modi, iuxtà quatuor particulas, seù conditiones requisitas ad contradictorium; nàm syllogismus Elenchus, seù contradictorius debet esse ad idem, secundùm idem, secundùm modum, & eiusdem temporis.

Primus est, quandò non est ad idem, vt duo sunt duplum vnius, & non sunt duplum trium, ergò sunt duplum, & non duplum; aër est super terram, & non super cœlum, ergò est super, & non super; soluitur, negando consequentiam, quia non sunt ad idem.

Secundus est, quandò non est secundùm idem, vt hoc lignum est maius illo, secundùm longitudinem, & non secundùm latitudinem, ergò est maius, & non maius; soluitur, quia non sunt secundùm idem; similiter, Sortes vidit secundùm oculos, & non secundùm aures, ergò vidit, & non vidit: soluitur, &c.

Tertius est, quandò non est secundùm eumdem modum; idest, non est similis, & eadem suppositio, vt iste homo est indiuiduum, & homo non est indiuiduum, ergò homo est indiuiduum, & non indiuiduum: soluitur, quia non est similis, & eadem suppositio.

Quartus est, quãdò nõ est secundũ idẽ tempus, vt Petrus nõ currit hodiè, & currit cràs, ergò currit, & nõ currit; soluitur, quia deest idẽtitas temporis.

Quarta fallacia Petitionis principij est deceptio, proueniens ex apparenti probabilitate consequentis ex antecedente.

Not. Petitio principij est duplex, scilicet, statim, & non statim; primum est, quandò idem probatur per seipsum ijsdem verbis, vt Petrus currit, ergò Petrus currit; hæc petitio principij non est in vsu, quia nulla est apparentia, quod idem probet seipsum; secundum, est acceptio alicuius propositionis, ad probandam aliam propositionem, vt animal rationale currit, ergò homo currit; causa apparentiæ, est apparens probabilitas consequentis ex antecedente, quia creditur, quod antecedens sit notiùs consequente; causa defectus est, quòd antecedens non est notiùs antecedente; tres sunt modi.

Primus est, quandò antecedens non est notiùs consequente, vt omne animal rationale currit, ergò omnis homo currit; est petitio principij.

Secundus est, quandò probatur cõclusio particularis per vniuersalem, vt nullus homo currit, ergò Sortes non currit.

Tertius est, quandò vnum relatiuum probatur per aliud, vt Plato est Filius Sortis, ergò Sortes est Pater Platonis.

Quinta fallacia Consequentis est deceptio proueniens ex apparenti conuertibilitate secundæ consequentiæ cum prima, itaut sicut prima est bona, ità putetur secunda. Not. in hac fallacia semper sunt duæ consequentiæ, vel explicitè, si arguatur in Enthimemate, vel implicitè, si arguatur ex hypothetica conditionali; causa apparentiæ, est apparens conuerti-

uertibilitas secundæ consequentiæ cũ prima; causa defectus est non conuertibilitas illarum ad inuicem; habet vnum modum.

A destructione antecedentis, ad destructionem consequentis, vt si homo currit, ergò animal currit, sed nullus homo currit, ergò nullum animal currit; soluitur, negando secundam consequentiam, quia committitur fallacia consequentis à destructione antecedentis, ad destructionem consequentis; dicitur fallacia consequentis, quatenùs secunda consequentia putatur recta, sicut prima. Ad hanc fallaciam spectant huiusmodi syllogismi, vt, Qui dicit te esse equum, dicit te esse animal, sed, qui dicit te esse animal, dicit verum, ergò, qui dicit te esse equum, dicit verum; soluitur; quia arguitur à positione consequentis, ad positionem antecedentis, seu à superiori, ad inferius affirmatiuè, scilicet, ab esse animal, ad esse equum.

Sexta fallacia, Secundùm non causam, vt causam, est deceptio, proueniens ex eo, quod præmissa, quæ non est causa, apparet, quod sit causa conclusionis; causa apparentiæ est apparens illatiuitas illius non causæ ad cõclusionem; causa erroris est non illatiuitas illius ad conclusionem. Not. in syllogismo causa est præmissa, faciens aliquod ad inferendam conclusionem, non causa, est præmissa nihil faciens ad conclusionem; vt omnis equus est hinnibilis, & omne animal est equus, sed omnis homo est animal, ergò omnis homo est equus; præmissa causa est ly, omne animal est equus, præmissa nõ causa est ly, omnis equus est hinnibilis, quia, ipsa remota, etiam sequitur conclusio. Item fit ista fallacia, ex Sco. in 1. d. 3. q. 7. litt. R. quando quis infert aliquam cõclusionem falsam ex vna sola propositione, tamquàm causa conclusionis, quæ, re vera, non est causa, vt vinum inebriat, ergò est ebrium; soluitur, negando consequentiam, quia arguitur à non causa, tamquam à causa ad conclusionem falsam, nàm inebriare non est causa ebrietatis in vino, sed in alieno supposito.

Septima fallacia Secundùm plures interrogationes, vt vnam, est deceptio, proueniens ex similitudine interrogationis (plures) cum interrogatione vna; causa apparentiæ, est similitudo interrogationis (plures) cum interrogatione vna; causa deceptionis, est dissimilitudo earumdem interrogationum; hæc fallacia fit, dum arguens postulat plura simùl, vna interrogatione, vel singulari, vel plurali, & quærit vnam responsionem, vt si quærit, est nè Sortes, & equus homo? Si respondetur sic, tunc arguens infert, ergò equus est homo; si non, ergò Sortes non est homo: Item, si essent duo homines, vnus cæcus, alter surdus, & quæreretur, ân essent cæci, vel surdi? si respondetur, vna responsione, quod sunt cæci, tunc arguens infert, ergò surdus erit cæcus; si surdi, ergò cæcus erit surdus; peccat, quia duplici interrogatione fit vna responsio: soluitur, quia tali quæsito est satisfaciendum per duas responsiones.

Di

De ordine in Disputando.

QVæritur primò, Quodnàm est munus arguentis?

Resp. Est proponere suum argumẽtum in forma syllogismi, aut in Enthimemate, vt breuius procedat, & viriliter, quantum fieri potest, persistat in difficultate proposita, prosequendo semper idem medium per suas causas, & principia, vel deducendo ad Inconueniens; non verò diuertat ad aliud medium, nec repetat probationem, semel propositam eisdem verbis, quia hoc indicat sterilitatem ingenij, & valdè est tædiosum auditoribus, vt v. g. Si arguens intendat impugnare hanc conclusionem, Logica est scientia, debet in principio disputationis assumere aliquam propositionem in antecedente, ex qua inferat oppositum illius cõclusionis, quam impugnare intendit, & cum fuerit illi negata, tenetur eam statim probare, itaut negata propositio sit conclusio noui syllogismi; vt verò arguens habeat promptitudinem ad probandam negatam propositionẽ, oportet prius assuescere, priuato studio, ad singulas propositiones probandas: Si defendens soluerit argumentũ, distinguendo propositiones, tunc arguens debet statim impugnare partẽ distinctionis, quæ saluat conclusionẽ, vel probare distinctionem allatam nõ valere, & sic semper arguet immediatè contrà responsionem: Arguens potest etiam petere à defendente rationẽ negationis alicuius conclusionis; & similiter, potest petere intelligentiam illius, vt possit eam impugnare in sẽsu defendentis, in his casibus tenetur defendens satisfacere arguenti.

Quæritur secundò, Quodnam est munus defendentis?

Resp. Est repetere argumentum fideliter, & integrè; ad quod repetendũ multum iuuat obseruare medium, quo vtitur arguens, quia ex intelligentia medij est facilis repetitio totius argumenti; & resumpto integrè argumento prima vice, tenetur denuò ipsum resumere non integrè, sed respondendo ad singulas eius partes, scilicet, negando maiorem, vel minorem, vel antecedens, si sunt falsa, vel concedendo, si sunt vera, vel distinguendo, si sunt dubia, vel transeat, aut, quicquid sit de hoc, si sunt impertinentia ad inferendam consequentiam; deinde deueniẽdo ad conclusionem, si est concedenda dicat, concedo consequentiam, si neganda, nego consequentiam, si distinguenda, dicat, distinguo cõsequẽs, quia distinctio cadit super æquiuocationem propositionis, quatenùs habet diuersos sensus in significando.

Not. Defendens debet præ omnibus curare, vt sit succinctus in responsionibus, & quantum fieri potest, alligatus formæ argumenti, debet etiam obseruare, vt non sit sollicitus reddere rationem nisi ab ipso arguente petatur; & similiter habeat ante oculos illud commune adagium inter disputãtes; Sepe nega, rarò distingue, nunquã concede.

Quæritur tertiò, Quodnam est munus Assistentis?

Resp. Est attentè comprahendere totum progressum argumenti, & suggerere defendenti negationẽ, concessio-

ſionem, explicationem, & diſtinctionem, ipſe verò pauca, & cum grauitate loquatur.

Quæritur quartò, Quæ differentia eſt inter conſequens, & conſequentiā?

Reſp. Conſequens eſt propoſitio, quæ ſequitur poſt notam illationis; conſequentia eſt illa illatio, ſeu habitudo antecedentis ad conſequens; cōſequens diuiditur in verum, & falſum, quia eſt propoſitio, ad quam ſpectat verum, vel falſum; conſequentia diuiditur in bonam, & malam, quia conſequentia non eſt propoſitio, ſed eſt connexio illatiua propoſitionum, ad quam ſpectat debita diſpoſitio, & cōueniens connexio, ſed conueniens, & inconueniens faciunt bonum & malū, non verum, & falſum; conſequentia bona eſt, in qua vnum infertur ex alio, vt Petrus eſt homo, ergo eſt animal, mala conſequentia eſt, in qua vnum infertur ex alio non conuenienter, & cum debita diſpoſitione, vt Petrus eſt homo, ergo dies eſt.

Quæritur quintò, Quinam ſunt termini, vt plurimū frequentes in ſcholis?

Reſp. Sunt iſti, ſcilicet, materialiter & formaliter; per ſe, & per accidens abſolutè, & reſpectiuè; vt Quo, & vt Quod; formaliter, & virtualiter; actu, & potentia; poſitiuè, & negatiuè; in actu ſignato, & in actu exercito, in ſenſu compoſito, & in ſenſu diuiſo; obiectiuè, & ſubiectiuè.

Materialiter tunc eſt vera propoſitio, quando prædicatum conuenit ſubiecto ratione materiæ, in qua talis forma reperitur, vt album eſt dulce, ſi propoſitio tantùm vera materialiter, quatenùs materia, in qua eſt forma albedinis, ſcilicet lac, eſt dulce; formaliter verò non eſt vera, quia tūc faceret hunc ſenſum, albedo eſſet ratio, ob quam lac eſſet dulce, quod eſt falſum; propoſitio tunc eſt vera formaliter, quando prædicatum conuenit ſubiecto ratione formæ importatæ per illud ſubiectum, vt album eſt diſgregatiuum viſus, quatenus albo conuenit diſgregare viſum ratione albedinis; idem dicendum de pro connotato, & de pro per ſe ſignificato.

Per ſe eſt, quando prędicatum conuenit ſubiecto ex intrinſeca eius natura, vt homo eſt riſibilis; per accidens verò è contrà, vt homo eſt claudus; idem dicendum de eſſentialiter, & accidentaliter.

Abſolutè eſt, quando prædicatum ineſt ſubiecto, nulla facta comparatione cum alio, vt ſi Pertus habet perfectam ſcientiam, dicitur abſolutè doctus; reſpectiuè verò è contra, vt hic homo eſt magnus; idem dicendum de ſimpliciter, & ſecundùm quid.

Vt Quo ſignificat formam, vel aliquod ſimile formæ; vt Quod eſt illud, quod habet formam, & ab illa accipit denominationē, vt paries eſt id, quod eſt albus, albedo eſt id, quo eſt albus; aliquādo etiā, vt Quod ſignificat cauſam principalem, vt Quo inſtrumētalē, vt Petrus ſcribit vt Quod, calamus vero vt Quo.

Formaliter, tunc aliquod eſt tale, quando habet in ſe illam formam, a qua denominatur talis, vt ignis dicitur formaliter calidus; virtualiter verò, quando non habet in ſe illam formā, à qua denominatur, poteſt illam producere, vt ſol dicitur virtualiter calidus

Actu,

Actu, tunc aliquod dicitur tale, dum actu existit; in potentia, quando potest existere: Itẽ aliqua sunt in actu primo, & aliqua in actu secundo; per actum primum intelligitur principiũ, & virtus operandi; per actum secundum intelligitur ipsa operatio, vt homo habens potentiam scribendi, & non scribit, dicitur scribens in actu primo; dum vero in actuali scriptione se exercet, dicitur scribẽs in actu secũdo.

Positiuè, tunc aliquod dicitur tale, quãdo habet talem formam positiuã, vt Franciscus habens virtutem, dicitur positiuè virtuosus, seù bonus; priuatiuè verò, quando non reperitur in tali subiecto nec talis virtus, nec oppositum, vt Franciscus est priuatiuè virtuosus.

In actu signato tunc est, quando denotatur significatio termini, vt dùm dicitur, definitio debet constare ex genere, & differẽtia: In actu exercito verò tunc est, quando accipitur pro exercitio significationis eiusdem, vt dũ actu definimus, homo est animal rationale.

In sensu composito tunc est, quando prædicatum inest cum aliquo adiuncto, vt paries albus disgregat visũ; in sensu diuiso verò est, quando prædicatum inest subiecto, seiũcto aliquo alio, vt sedens potest currere, est vera in sensu diuiso, idest, seiuncta sessione.

Obiectiuè tũc aliqua sũt in aliquo, quando obijciuntur illi, à quo cognoscuntur, vel appetuntur, vt quæ cognoscuntur ab intellectu, & amantur à voluntate dicuntur esse obiectiuè in intellectu, & in voluntate; ea vero sũt subiectiuè in aliquo, quæ sunt in illo, vt in subiecto, à quo sustentantur, vt cognitio est subiectiuè in intellectu, albedo in pariete, accidẽs in substãtia.

DISPVTATIO DE NATVRA LOGICÆ.

QVAESTIO I.

An Logica sit scientia?

SCOTVS quęst. 1. vniuersalium, ommissis quãplurimis, quę ab Auctoribus in principio cuiuscumque operis pręmitti solent, mouet prędictam quæstionem, pro cuius explicatione notat.

Logica duplex est naturalis, scilicet, & artificialis, quæ diuisio ab omnibus est recepta, & traditur etiam ab Aristotele 1. Recth. cap. 1. & 1. Elench. cap. 8. & 11. Logica naturalis est naturalis inclinatio ad discernendum verum à falso, & ad naturaliter cognoscendum ignotum per notum; & hæc communiter inest omnibus, secundũ magis, & minùs, idest, secundum meliorem,

liorem, & meliorem dispositionem; Logica artificialis est illa, qua per certas regulas nos cognoscimus ignotum per notum, & discernimus verum à falso. Logica artificialis est duplex, docens, & vtens, quæ diuisio etiam recipitur apud omnes; Logica docens docet definire, diuidere, & arguere; Logica vtens est, vsus instrumentorum, & præceptorum logicalium, quæ etiã dupliciter potest sumi, fundamentaliter, scilicet, & est ipsamet Logica docens, & formaliter, & sic est vsus, seù applicatio dictorum instrumentorum.

Scientia est quædam qualitas inexistens animæ, qua ipsa anima perficitur, & faciliter, & promptè operatur, quę dupliciter potest sumi, scilicet largè, pro quacunque cognitione intellectiua, & sic comprehendit habitum principiorum, & conclusionis; secundò strictè, scilicet, prò habitu tantùm conclusionis: Scientia strictè sumpta est habitus certus, & euidens rei necessariæ, acquisitus per discursum, syllogisticũ; ponitur ly, habitus, loco generis, cum habitus sit communior; cæteræ particulæ, loco differentiæ, nam ponitur ly, certus, ad differentiam opinionis, quæ est incerta; dicitur euidens, ad differentiam Fidei diuinæ, quæ licèt sit certior quacumque scientia creata, tamen non [illegible] ne-cessariæ, ad differentiam artis, quæ est circà contingens; dicitur, acquisitus per discursum syllogisticum; ad differentiam habitus principiorum, qui est euidens ex sola cognitione terminorũ; ly, rei necessariæ, nõ intelligitur de necessitate existẽtiæ; idest, quod ipsa res necessariò existat, quia sic solùm Deus necessariò existit secundùm veritatem, & secundùm Philosophum, etiam Coelum, Intelligentiæ, materia prima; sed intelligitur de necessitate essentiæ, seù connexionis, prædicatorũ essentialium; idest quod prædicata necessariò debent conuenire subiecto, siuè ipsum subiectum existat, siuè non, vt homo est animal, homo est rationalis, rosa est flos, & similes. His positis sit.

Prima conclusio. Logica naturalis non est scientia. Probatur; Scientia cum sit accidens de Prædicamento Qualitatis distinguitur realiter ab anima, seù ab intellectu; sed Logica naturalis est idem realiter cum anima, quia naturalis inclinatio est idem realiter cum eo, cuius est inclinatio, ergò Logica naturalis non est scientia. Item scientia est habitus acquisitus ex frequentatis actibus, sed Logica naturalis non est huiusmodi, quia habetur ex instinctu naturæ, ergò Logica naturalis non est scientia.

Secunda conclusio. Logica vtens formaliter sumpta non est scientia. Probatur; Logica vtens formaliter sumpta est vsus instrumentorum Logicalium, sed vsus non est scientia; quia est de genere Actionis, & scientia de genere Qualitatis, ergò Logica vtens formaliter sumpta non est scientia. Item vsus accidit scientiæ, quia potest esse scientia in se perfecta absque eo, quod applicetur alijs scientijs, ergò vsus non est scientia.

Tertia conclusio; Logica docens est propriè scientia. Est Scoti q. in vniuersalium, & ferè communis;

contrà aliquos, & præcipuè contrà Zabbarellam, aſſerentes Logicam non eſſe propriè ſcientiam, ſecundùm omnes conditiones ſcientiæ, quia non eſt de obiecto neceſſariò; & contrà aliquos ſubſtinentes Logicam non eſſe ſcientiam, quoàd illam partem Topicam: Probatur primò, ſcientia eſt effectus demonſtrationis, ex Ariſtotele primo Poſt. ſed in Logica multa demonſtratiuè concluduntur, ergò, &c. Min. patet ex diſcurſu Ariſtotelis in Libris Poſt. vbi demonſtrat ſyllogiſmum parere ſciētiam per hoc, quod eſt ſyllogiſmus faciens ſcire: in Libris Priorum demonſtrat ſyllogiſmum eſſe illatiuum conſequentiæ, per hoc, quod eſt diſpoſitus in modo, & in figura.

Secundò probatur, Logicus eſt ſciens, ergò Logica eſt ſcientia; Antecedens patet, nàm Logicus, cum demonſtret aliquam paſſionem de ſubiecto, ſcit cauſam illius paſſionis, ſed ſcire rem per cauſam eſt verè ſcire, ex primo Poſt. ergò cùm Logicus ſit verè ſciens, Logica erit verè ſcientia; Conſequentia ſequitur, nàm à concretis ad abſtracta tenet conſequentia, vbi eſt prædicatio per ſe, obſeruatis tamen duabus conditionibus, prima, quòd talis prædicatio fiat in terminis accidentalibus, ideò iſta non valet, homo eſt rationalis, ergò humanitas eſt rationalitas, quia termini huius ſunt ſubſtantiales; ſecunda, quòd fiat, media abſtractione, non vltima, nàm iſta non valet, album eſt coloratum, ergò albedeneitas eſt coloreitas, quia ſunt vltimatè abſtracta.

Tertiò, quod ſit ſcientia, quoàd partem Topicam, nàm in hac parte demonſtratiuè procedit ad ſuas concluſiones probandas, ergò quoàd illam partem eſt etiàm verè ſcientia; Antecedens probatur, nàm ſicut ſyllogiſmus conſtans ex propoſitionibus neceſſarijs, infert demonſtratiuè concluſionem neceſſariam, ità ſyllogiſmus conſtans ex probabilibus, infert demonſtratiuè concluſionem probabilem, ergò Logica demonſtratiuè procedit in parte Topica, & conſequenter eſt vera ſcientia demonſtratiuè; ſic dicendum de ſyllogiſmo ſophiſtico, ſeù apparenti.

Obijc. primò; Modus ſciendi non eſt ſcientia, ſed Logica eſt modus ſciendi, ergò, &c. Mai. patet, nàm ſicut modus videndi non eſt viſus, ità modus ſciendi non eſt ſcientia: Min. patet ex 2. Met. 15. vbi Ariſtoteles ait, *abſurdum eſt ſimùl quærere ſcientiam, & modum ſciendi*, vbi per modum ſciendi intelligit Logicam, ſecundùm omnes expoſitores, ergò cum diſtinguat Ariſtoteles ſcientiam à modo ſciendi, ſequitur, quod Logica non eſt ſcientia: Item 1. Eth. c. 4. Ariſtoteles ait, tollere naturam Logicæ, qui eam non vt facultatem, ſed vt ſcientiam tradunt, ergò &c.

[illegible] ad probat. dicimus, quod Logica eſt modus ſciendi materialiter, ideſt, eſt de modo ſciendi, nàm per ſcientiam Ariſtoteles intelligit alias ſcientias, quæ ſunt de rebus, & non de modo ſciendi, & quia priùs debet cognoſci modus ſciendi, quàm res, ideò ait Ariſtoteles, abſurdum eſt ſimul quærere ſcien-

scientiam, & modum sciendi; Vel Logica vtens est modus sciendi, non verò Logica docens: Ad aliud dicimus, quod Aristoteles ibi non negat, Logicam non esse scientiam absolutè, sed tantùm negat non esse ità scientiam, sicut aliqui ponebant, vt scilicet, non esset scientia organica, & alijs præmittenda; itaque Aristoteles repræhendit eos, & monet eam debere præmitti alijs scientijs.

Obijc. secundò: Scientia est æternorum, & necessariorum, ex 1. Post. c.2. & 7. sed Logica docens non est sic, quia est de secundis intentionibus, quæ modò sunt, & modò non sunt, ergò, &c.

Resp. dist. min. quoàd existentiam, concedo; quoàd essentiam, nego; nàm secundæ intentiones semper sunt quoàd essentiam, quia semper habetur in aliquo intellectu essentia secundarum intentionum: Item in secundis intentionibus, & in alijs, in Logica repertis reperitur necessitas complexa, idest necessitas connexionis prædicati cum subiecto, quia de ipsis possunt formari propositiones æternæ veritatis, vt Genus prædicatur de differentibus specie; De quo dicitur subiectum, dicitur prædicatum; ideò secundæ intentiones, & cætera, quæ in Logica reperiuntur, dicuntur necessaria, necessitate connexionis prædicatorum essentialium.

Dices, extrema propositionum Logicalium sunt contingentia, quia in tantùm sunt, in quantùm fiunt ab intellectu, ergò similiter connexio inter illa extrema, quia destructo fundamento, destruitur fundatum.

Resp. Negando consequentiam; nàm necessitas cònexionis est duplex, scilicet, simpliciter, quæ cadit inter extrema absolutè necessaria, vt Deus est Omnipotens; alia secundùm quid, quæ cadit inter extrema, quæ licèt sint mutabilia in se, tamen habitudo inter illa numquam mutari potest, & hæc necessitas reperitur in propositionibus logicalibus, & sufficit ad scientiam habendam, aliter argumentum valeret etiam in propositionibus physicis, in quibus extrema sunt mutabilia.

Obijc. tertiò; Logica docens in lib. Top. docet modum procedendi in singulis scientijs ad conclusiones probabiliter ostendendas, vndè Topica dicitur procedere ex communibus: In libris Elench. docet modum formandi deceptiones, & dicitur ars deceptoria, ergò non est scientia, quia scientia procedit ex proprijs, & veris, non ex communibus, & falsis.

Resp. Negando consequentiam; nàm Logica docens docet modum procedendi ad conclusiones probabiliter, & etiam sophisticè ostendendas, tamen totum hoc facit demonstratiuè ex proprijs principijs, ostendendo probabilitatem de syllogismo Topico, & apparentiam de syllogismo sophistico; Topica enim dicitur procedere ex communibus, quia quandò applicatur ad alias scientias, vtimur suis locis communibus, scilicet, à definitione, à coniugatis, à contrarijs, &c.

Obijc. quartò, Logica docens docet aliquem discursum esse bonum in

Barbara, vt omnis canis est equus, omnis homo est canis, ergò omnis homo est equus; sed hic discursus generat falsitatem, vt patet, ergò non omnis actus, procedens à Logica docente est scientificus.

Resp. dist. maio. talem discursum esse bonum, quoàd formam, concedo, quoàd materiam, nego; nam huiusmodi discursus, cùm non sit benè confectus quoàd materiam, generat falsitatem, tamen, quoàd formam est bonus discursus, & generat conclusionem scientificam.

Obijc. quintò; Aristoteles 6. Meth. diuidit scientiam in Mathematicam, Physicam, & Metaphysicam, sed sub nulla istarum continetur Logica, ergò, &c.

Resp. Negando consequentiam, nam Aristoteles ibi diuidit scientias reales, cuiusmodi non est Logica.

Obijc. sextò; Omnis scientia acquiritur per demonstrationem, vt notum est, sed Logica non est huiusmodi, quia tunc antè Logicam deberet esse alia Logica, quæ traderet illam demonstrationem, quod est falsum, quia daretur processus in infinitum, ergò, &c.

Resp. Negando minorem; Ad probat. dicimus, quod antè Logicam artificialem datur Logica naturalis, in qua datur status; Logica enim artificialis scientifica acquiritur per demonstrationem directam, & regulatam à Logica naturali, vel à Logica artificiali imperfecta; & hoc sufficit, vt dicatur acquiri per demonstrationem.

QVAESTIO II.

An Logica sit scientia communis.

Scientia dicitur communis à subiecto dupliciter, scilicet, communitate prædicationis, idest, quòd subiectum alicuius scientiæ prædicatur de subiectis aliarum scientiarum, & sic solùm Metaphysica dicitur sciētia communis, quia eius subiectum, quod est ens, prædicatur de subiectis omnium scientiarum, cum omnia sint entia; secundò, communitate applicationis, scilicet, quod aliqua scientia tractat de aliquibus, quæ sunt applicabilia alijs scientijs: pro qua sit.

Conclusio. Logica dicitur communis, communitate applicationis; ità Scotus q. 2. vniuersalium. Probatur, nam Logica agit de his, quæ sunt applicabilia alijs scientijs, quia agit de syllogismo, & alijs instrumentis sciendi, quibus aliæ scientiæ vtuntur, ergò est communis, communitate applicationis.

Obijc. Communitas scientiæ desumitur à [illegible] sed Lo[illegible] non est [illegible] eius subiectum, quod est syllogismus, vt infrà, non est communis alijs scientijs, quia tunc prædicaretur de illis, ergò, &c.

Resp. Negando min. Ad prob. dicimus, quod subiectum Logicæ dicitur commune, communitate applicationis, quatenus cadit in vsum omnibus

nibus scientijs, ex eo quia omnes sciẽtiæ vtuntur eo, non verò dicitur commune, communitate prædicationis, vt notum est.

Dices. Logica, vt est applicabilis alijs scientijs est Logica vtens, sed Logica vtens non est scientia, vt dictum est, ergò, vt sic nec dicitur scientia communis.

Resp. dist. consequens, vt sic non dicitur scientia communis materialiter, nego; formaliter, concedo; nam formaliter nulla sciẽtia est communis, quia scientia procedit ex proprijs, idest, ex proprijs principijs, & non ex communibus; dicitur enim scientia communis materialiter, idest est scientia de communibus, scilicet, de instrumentis Logicalibus, quæ sunt communia omnibus scientijs: Vel secundò dicimus, quod etiam formaliter potest esse vera talis propositio in hoc sensu, nempè, Logica, quæ est scientia, est communis, tunc ly, communis, non debet cadere suprà scientiam, quia implicat esse scientiam, & esse communem, sed cadit suprà Logicam; quæ responsio videtur maximè consona dictis Scoti, nàm in præcedenti quæstione concludit Logicam e[illegible] scientiam, nunc verò quærit, nùm [illegible] communis, [illegible] nulla remanet co[illegible]radictio in dictis Scoti: Vel tertiò, quandò Scotus quærit, nùm Logica sit scientia communis, intelligit nomen scientiæ, prout se extendit ad quamcumq. facultatem, & est sensus, nùm Logica sit scientia communis, nempè facultas communis omnibus scientijs.

QVAESTIO III.

An Logica sit scientia rationalis?

ALiqua scientia potest dici rationalis quatuor modis, primò effectiuè, quatenùs est causata à ratione; secundò subiectiuè, quià est in ratione; tertiò directiuè, quià est directiua rationis, idest, intellectus; & quartò obiectiuè, quià est circà obiectum, quod est ens rationis; primis tribus modis omnis scientia dicitur rationalis, quià omnis scientia est causata à ratione, scilicet, ab intellectu, est subiectiuè in illo, & est directiua illius; quarto modo sola Logica dicitur rationalis, quià sola Logica versatur circà ens rationis. Omnis scientia dirigit intellectum materialitèr, quià assignat materiam, circà quam intellectus habet discurrere; Logica verò dirigit intellectum instrumentalitèr, quatenùs Logica tradit instrumenta, per quæ intellectus regulatur in actibus suis; nàm primò tradit definitionem, quæ est instrumentum cognoscendi res simplices, & dirigit primum actum intellectus, qui est simplicium appræhensio; secundò compositionẽ, & diuisionem, quæ sunt instrumenta cognoscendi res compositas, & hæc dirigunt secundum actum intellectus, qui est diuisio, & compositio; tertiò assignat syllogismum, qui est instrumentum discurrendi, & hoc dirigit tertium actum intellectus, qui est discursus. Difficultas non est de Logica intrinsecè considerata, quià cùm sit

sit qualitas de prima specie, nulli dubium est ipsam esse scientiam realem; sed difficultas tantùm est de Logica extrinsecè, & obiectiuè considerata; pro qua sit.

Conclusio affirmatiua. Est Scot. q. 1. vniuersalium in fine, vbi vocat Logicam scientiam rationalem, vt cõtradistinguitur à scientia reali; in prologo sent. q. 3. & secunda Laterali. 5. ex his dictis, contrà aliquos recentiores sustinentes, obiectum Logicæ esse tres operationes intellectus, ideò defendunt ipsam esse scientiam realẽ obiectiuè. Probatur primò: Logica est tradita a b Aristotele sub terminis secundarum intentionum, vt sunt Genus, Species, Subiectum, Prædicatum, Antecedens, Consequens, quæ sunt entia rationis, ergò, &c.

Secundò ratione, illa scientia dicitur rationalis obiectiuè, quæ est circà obiectum, quod est ens rationis; sed Logica est huiusmodi, quià est circà syllogismum, secundò intentionalitèr sumptum, ergò, &c.

Obije. primò, à causa reali pendet effectus realis, sed causa Logicæ est realis, quià causa Logicæ est intellectus, qui est realis, ergò, &c.

Resp. Dist. Min. Causa effectiua, concedo; obiectiua, nego; nàm causa obiectiua Logicæ est obiectum Logicæ, quod est syllogismus secundò intentionaliter, & quià est circa ens rationis, ideò obiectiuè dicitur rationalis.

Dices; Logica considerat ens reale, ergò obiectiuè est etiam scientia realis: Antecedens constat, nàm Logica considerat Prædicamenta, quæ sunt entia realia, ergò, &c. Consequentia sequitur, quià scientia dicitur obiectiuè realis, quià ea, quæ considerat sunt realia, ergò, &c.

Resp. Negando antecedens. Ad probat. distinguo antecedens, Logica considerat Prædicamenta, secundùm esse reale, nego; secundùm esse intentionale, concedo; nàm consideratio Prædicamentorum secundùm esse reale spectat ad methaphisicum, secũdùm esse intentionale ad logicum, quatenùs supèr eis fundantur secundę intentiones.

Obije. secundò, Illa scientia dicitur realis, quæ conficit prædicationes reales, seù conficit prædicationes de subiecto reali, sed logica est sic, vt dicendo, homo est species, animal est genus, ergò, &c.

Resp. Disting. Maior. Quæ conficit prædicationes reales intrinsecas, concedo; extrinsecas, seù denominatiuè, nego, nàm, &c.

Quæritur, Cùr Aristoteles instituerit logicam sub terminis secundarum intentionum, & non primarum?

Resp. Quod hoc fecit, ob faciliorẽ methodum, nàm faciliùs, & commodiùs intelliguntur res logicales sub terminis secundarum intentionum, quàm primarum, quià vbi multa essent dicenda de re, quæ in propositione affirmatur, vel negatur de alia re, & sub terminis secundarum intentionum, scilicet subiecti, & prædicati breuitèr comprehendàtur omnis res, vt sub nomine generis comprehenditur animal, planta, color, &c. Sub nomine speciei comprahenditur leo, homo, equus, &c. Per hanc regulam, quod genu

præ-

prædicatur de specie, comprehenditur quod homo sit animal, leo sit animal; & ità, vbi multa essent necessaria ad docenda logicalia sub terminis primarum intentionum, paucissimis id fit vtendo terminis secundarum, & hoc fuit causa, cur Aristoteles, qui maximè cupiebat reducere logicam ad faciliorem methodum possibilem, eam instituerit sub terminis secundarum intentionum.

QVAESTIO IV.

An Logica sit scientia speculatiua vel practica?

SCientia speculatiua est cognitio alicuius rei, ordinata præcisè ad ipsam contemplandam, idest, ità sistit in tali contemplatione, vt ex natura sua non referatur ad aliud, siuè ad alios actus dirigendos; ac proindè eius finis est speculatio. Scientia practica est cognitio alicuius rei, ordinata ex natura sua ad aliud, scilicet, ad praxim regulandam in genere moris, ac proindè eius finis est opus. Praxis, ex Scoto in prologo Sent. quæst. 4. *Est actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior [illegible] intellectione, nata elici conformiter rationi rectæ [illegible] ...cta:* ex qua eliciuntur tres conditiones, prima, vt sit actus alterius potentiæ ab intellectu; secunda vt sit posterior intellectione: tertia, vt sit conformis rationi rectæ, pro qua fit.

Prima conclusio. Logica non est simul practica, & speculatiua. Colligitur ex Scot. quæst. 4. prolog. art. 1. contrà aliquos recentiores, scilicet, Vasquez, & Suarez, substinentes logicam esse simùl practicam, & speculatiuam. Probatur, nàm practicum, & speculatiuum, vel sunt differentiæ essentiales scientiæ in communi, vel ipsas differentias circumscribunt: tùnc sic, Quandò aliquod commune diuiditur per differentias oppositas, implicat vtramque differentiam inueniri in altero membro diuisionis, vt patet de rationali, & irrationali, vel de numero pari, vel impari: sed scientia in communi diuiditur per practicum, & speculatiuum, tamquàm per differentias oppositas, ergò, &c. Et consequentèr, implicat logicam esse simùl scientiam practicam, & speculatiuam.

Secunda conclusio. Logica non est scientia practica, est Scoti, loco citato, contrà Nominales, & aliquos recentiores ponentes, praxim esse operationem dirigibilem vt sic, & notitiam directiuam eius esse practicam, & consequenter substinent, Logicam esse practicam, cum sit directiua, seù regulatiua operationum intellectus. Probatur, nam scientia practica, propriè dicta, debet esse directiua, seù regulatiua praxis in genere moris, scilicet, operis pendentis à voluntate, & quod sit capax erroris practici, ac proindè imputabilis ad laudem, & vituperium, sed Logica non est huiusmodi, quia habet tantùm dirigere operationes nostri intellectus, quæ non sunt verè praxes, cum ordinentur præcisè ad ipsam veritatem cognoscendam, vt suo loco dicemus, ergò, &c.

Tertia conclusio. Logica est simplici-

pliciter dicenda speculatiua: Est Scoti vbi suprà contrà prædictos auctores oppositum sustinentes: Probatur, scientia speculatiua est cognitio rei, ordinata præcisè ad ipsam contemplandam, sed Logica sic se habet; quia ità sistit in contemplatione sui obiecti, vt ex sua natura non referatur ad aliud, ergò, &c. Item scientia speculatiua est illa, cuius finis est veritas, ad differentiam scientiæ practicæ, cuius finis est opus, sed finis Logicæ est veritas, seu scire, ergò, &c. Minor probatur, nàm Logica sistit tantùm in contemplatione, sui obiecti, quod est Syllogismus, vt infrà, & licèt ordinetur ad ipsum efficiendum, & ad cætera instrumenta sciendi, tamèn totum hoc est propter scire; Logica enim efficit instrumenta sciendi nō, vt operemur, sed, vt rectè cognoscamus.

Respōdent. Logica nō sistit præcisè in contemplatione sui obiecti, sed etiā ordinatur ad illud efficiendum, & consequenter non est gratia sui, in quo consistit scientia speculatiua, sed gratia alterius, in quo consistit scientia practica: sed.

Contrà. Mathematica dicitur simpliciter scientia speculatiua, sed non est contrà eius speculationem aliquid operari, scilicet, efficere triangulum, quia eius effectiò ordinatur ad cognitionem veritatis, nàm dicta scientia Mathematica per talem effectionem non intendit ipsum opus factum, scilicet, triangulum, sed veritatem, ergò ità dicendum de Logica, quæ licèt ordinetur ad efficiendum syllogismum, & cætera instrumenta sciendi, tamen omnia ordinat ad cognitionem veritatis, ac proindè dicetur gratia sui, quia in tali effectione non intendit opus, sed veritatem.

Obijc. primò, contrà primam conclusionem; Scientia dicitur speculatiua, vel practica ab obiecto speculabili, vel operabili, sed obiectum Logicæ est simul speculabile, & operabile, ergò, &c. Minor patet, nàm Logica non contemplatur tantùm naturam syllogismi, & instrumentorum Logicalium, sed tradit regulas, & præcepta in ordine ad illa construenda; ergò, &c.

Resp. Negando minorem; Ad probat. dicimus, quòd regulæ Logicæ ordinantur ad rectè cognoscendam veritatem circà Logicalia speculatiuè, non practicè; nàm directio practica, ordinatur, vt boni efficiamur in genere moris, non verò, vt rectè sciamus, vt patet ex 2. Ethic. ca.

Obijc. 2. contrà secundam, & tertiam conclusionem; illa scientia dicitur practica, quæ habet dirigere nostras operationes, sed Logica est huiusmodi, quia dirigit operationes nostri intellectus, ergò est sciētia practica.

Resp. disting. Maior. quæ habet dirigere operationes nostras, quæ sunt extrà intellectum, concedo; quæ sunt in intellectu, nego, nàm operationes quæ sunt in intellectu non sunt praxes, & consequenter scientia dirigens istas operationes non dicitur practica.

Dices, notitia dirigens operationes voluntatis est vere practica, ergò notitia dirigens operationes intellectus est verè practica, quia non est maior ratio de vna, quàm de alia.

Resp.

Resp. Negando consequentiam; Ad probat. dicimus, negando paritatem, nàm notitia dirigens operationes voluntatis se extendit ad actus regulandos alterius potentiæ ab intellectu; notitia verò dirigens operationes intellectus non se extendit ad actus regulandos extrà intellectum, & hæc est disparitas, vt illa dicatur practica, hæc verò non; nàm ex 3. de Anima 49. Intellectus extensione fit practicus; idest debet regulare actus aliarum potentiarum; vt verò regulat proprios actus non tendit extrà se, & consequenter non dicitur practicus.

Obijc. tertiò, Logica agit de operationibus intellectus, quatenùs possunt fieri benè, vel malè, quia tradit modum, quo benè fiant, & quo remouentur vitia, quæ contingere possunt in exercitio earum, sed hæc omnia sunt propria scientiæ practicæ, vt patet, ergò, &c.

Resp. dist. maio. quatenus possunt fieri benè, vel malè, speculatiuo modo, concedo; practico modo, nego; nam proprium scientiæ practicæ est dare regulas ad euitandum malum in genere moris, Logica tantùm tradit regulas ad fugiendam ignorantiam; modus enim præceptiuus non est proprius scientiæ practicæ, ni. ordinetur ad alium finem, quàm ad veritatem; Logica enim docet modum regulandi speculatiuo modo, quatenus præc sè ad veritatem ipsam contemplandam ordinatur.

Obijc. quartò, scientia speculatiua est gratia sui, ex 1. Meth. c. 2. sed Logica est gratia vsus, quia est propter alias scientias, ergò, &c. Item scientia speculatiua est nobilior, practica, ex eodem 1. Meth. 2. sed Logica non est sic, quia est de ente rationis, & diminuto, quod est fortè nullius bonitatis, ergò, &c.

Resp. dist. mino. Logica vtens, concedo; docens, nego; nàm Logica docens est vera scientia speculatiua, & non Logica vtens: Ad aliud dist. maior. Omnis scientia speculatiua, realis, concedo; rationalis, nego; nam Logica est scientia rationalis, ideò non est necesse, vt sit nobilior, cùm sit de obiecto diminuto; Vel dicimus, quod omnis scientia est absolutè nobilior, practica, si non ex obiecto, saltem ex modo procedendi circa illud obiectum, & in hoc sensu Logica potest dici nobilior practica, quia procedit modo nobiliori, scilicet, speculatiuo, vt dictum est.

QVAESTIO V.

An Logica sit necessaria ad alias scientias acquirendas.

Necessarium est duplex, scilicet, absolutè, & ex suppositione; primum est illud, quod non potest aliter se haberi, vt Deus; necessarium ex suppositione est illud, quod ex suppositione alicuius causæ non potest aliter se haberi, & hoc est quatuor modis, primò ex suppositione causæ efficientis, vt si sagitta proijciatur à Sagittario necesse est illam tendere sursum; secundò ex suppositione

tione causæ formali, vt quod homo sit, necesse est, vt sit animal rationale; tertiò ex suppositione causæ materialis, vt si homo constat ex materia, necessariò est corruptibilis; quartò ex suppositione causæ finalis, vt si aliquis vult viuere, necesse est, vt comedat, cibus enim dicitur necessarius ex suppositione causæ finalis; de alijs necessarijs non agitatur quæstio: Necessarium ex suppositione adhuc duplex est, scilicet, simpliciter, & secundum quid; necessarium simpliciter est illud, sine quo finis haberi non potest, vt cibus ad vitam habendam, & certamen ad coronam; Necessarium secundùm quid est illud, sine quo finis haberi potest, sed non ità commodè, vt equus ad iter agendum.

Acquisitio scientiarum est duplex, alia perfecta, & est scire rem per causam, & cum recta ratione; alia est imperfecta, & est scire rem confuso modo; Logica est duplex, scilicet naturalis, & artificialis, vt in prima quæstione. His positis sit.

Prima conclusio. Logica naturalis est simpliciter necessaria ad omnes scientias acquirendas quomodocumque; Probatur, nàm in omnibus scientijs discurrendo, siuè cum arte, siuè naturaliter non aliter scimus, nisi demonstrando, discernendo verum à falsò, siuè hoc sit naturaliter, siuè artificialiter, ergò ad acquirendam aliquam scientiam est simpliciter necessaria Logica naturalis.

Secunda conclusio. Logica artificialis non est simpliciter necessaria ad imperfectam acquisitionem scientiarum. Probatur, nàm multi Philosophi multas scientias didicerunt absque modo argumentandi logico, vt Hypocrates medicinam, Socrates Ius ciuile, & alij multi Mathematicam, ergò, &c.

Tertia conclusio. Logica est simplicitèr necessaria ad perfectam acquisitionem scientiarum; Probatur, nàm necessarium simplicitèr ex suppositione est illud, sine quo finis non potest haberi, sed sine logica non potest haberi acquisitio perfecta scientiarum, ergò, &c. Min. patet, quià perfectè scire est scire per causam, quod fit per discursum, sed logica est, quæ docet discursum, & modum argumentandi, ergò, &c. Itèm licèt Philosophi antiqui multas scientias didicissent, tamèn (vt docet Aristoteles 2. Meth.) in multos errores eos lapsos fuisse.

Obijc. primò, Contrà tertiam conclusionem; si Logica esset necessaria ad scientias acquirendas, ideò esset, quià docet definire, diuidere, & arguere, sed in qualibet scientia habentur definitiones, diuisiones, & discursus, ergò, &c.

Resp. Disting. Minorem, habentur definitiones, diuisiones, & discursus, secundùm materiam, concedo; secũdùm formam, nego; [illegible] enim logica docet modum definiendi, diuidendi & discurrendi, & si non fuisset logica, non cognosceremus illas esse definitiones, illas esse diuisiones, & illas esse argumentationes.

Obijc. secundò, Si logica esset simplicitèr necessaria ad scientias perfectè acquirendas; tunc cùm ipsa sit scientia esset necessaria, ad seipsam, sed hoc

hoc non est dicendum, quià tunc esset addiscenda, antequàm esset, ergò, &c.

Resp. Negando minorem; nàm nullum est inconueniens, quod logica artificialis inseruiat sibi ipsi; sicùt enim lumen est medium necessarium ad quodlibet videndum, est etiàm necessarium sibi ipsi, vt videatur, ità dicendum de logica; nàm eadem logica inseruit sibi ipsi per applicationem vnius partis ad aliam, vt illa pars, quæ agit de terminis simplicibus, iuuat ad cognitionem alterius partis, quæ agit de propositione, & hæc pars iuuat ad illam, quæ agit de discursu, & tota ipsa logica imperfectè tradita in summulis pro incipientibus est necessaria ad seipsam, posteà perfectè tradendam.

Obijc. tertiò, Aliqua pars logicæ est deceptoria, sed deceptiones non sunt necessariæ, ergò, &c. Maior patet, nàm in logica agitur de fallacijs.

Resp. Disting. Minorem, deceptiones non sunt necessariæ, vt eas imitemur, concedo; vt eas caueamus, nego; sic applica ad consequentiam.

Obijc. quartò, Si sic, sequeretur ipsam esse nobiliorem omnibus scientis, quod est falsum; sequela sequitur, quià aliæ indigerent, & dependerent b ipsa.

Resp. Negando sequelam, quià nobilitas scientiæ habetur ab obiecto, & hoc munus logicæ est potiùs ministerium, quàm dominium; nàm Dominus etiàm indiget seruis, tamèn non est ignobilior eis.

QVAESTIO VI.

An logica sit vna scientia, & qua vnitate sit vna?

VNitas duplicitèr sumitur, scilicet intrinsecè, & extrinsecè; Vnitas intrinseca, seù formalis est illa, qua scientia dicitur vnus habitus de prima specie qualitatis; Vnitas extrinseca est duplex, scilicet subiectiua, & est illa, qua scientia est in vnico intellectu, tanquàm in subiecto; & obiectiua, & est illa, qua scientia est vna de vno obiecto adæquato, & de hac vltima vnitate quærimus in præsenti, quæ est triplex, scilicet numerica, specifica, & generica; Petrus dicitur vnus vnitate numerica, quià in se est vnus numero; duo homines dicuntur vnus specie, quià continentur sub vna specie hominis; homo, & equus dicuntur vnus genere, quià continentur sub vno genere, scilicet animali. His positis sit.

Conclusio. Logica dicitur obiectiuè vna vnitate generica. Probatur, illa scientia dicitur obiectiuè vna vnitate generica, quæ est de vno obiecto generico, sed Logica est de vno obiecto generico, ergò, &c. Minor patet, nà subiectũ logicæ est syllogismus in communi, vt infrà dicemus, sed syllogismus in communi continet sub se syllogismum demonstratiuum, topicum, & elenchum tanquàm eius species, ergò syllogismus in communi est ad illos vt genus, & consequentèr obiectum logicæ est vnum vnitate generica.

Obijc. primò, Habitus distinguuntur per obiecta ex Aristotele, sed in logica sunt plura obiecta, vt Syllogismus demonstratiuus est subiectum in libris Post. Syllogismus topicus in libris Topicorum, syllogismus Elenchus in libris Elenchorum, ergò logica non est vna.

Resp. Disting. Minorem, sunt plura obiecta specifica, concedo; generica, nego; nàm logica non dicitur obiectiuè vna vnitate specifica, sed generica, ideò, &c.

Obijc. secundò, Sicùt se habet potentia ad obiectum, ità scientia ad suum obiectum, sed vna est potentia vnitate specifica, quæ percipit plura obiecta specie distincta, vt, si potentia visiua percipit hominem, & equũ, qui distinguuntur specie, ergo, &c. Maior patet, nàm potentia visiua est circà visibile tamquàm suum obiectũ, & similitèr sciẽtia versatur circà scibile, tamquàm circà suum obiectum, ergò sic se habet scientia ad suum obiectum, sicùt potentia ad suum obiectum.

Resp. Disting. Minorem, vna est potentia specificè intrinsecè, concedo; extrinsecè, & obiectiuè, nego; nàm potentia obiectiuè dicitur multiplex, sicùt multa sunt obiecta, ità dicendũ de logica, quæ non dicitur vna vnitate specifica, quià plura sunt obiecta specie distincta, sed dicitur vna vnitate generica, vt supra, &c.

Obijc. tertiò, Logica quæ est in me non est eadem logica, quæ est in Petro, ergò logica non est vna.

Resp. Disting. antecedens, non est eadem subiectiuè, concedo; obiectiuè, nego; nàm hoc secundo modo logica dicitur vna vnitate obiectiua.

Not. Quod obiectum genericum alicuius scientiæ non est necesse, vt sit simpliciter genus prædicamentale, sed sufficit, quod sit genus vniuersale, quod sub se contineat plura ad modũ specierum, secundùm quam considerationem dicitur genus scibile; sic in proposito, syllogismus, qui est obiectum in logica, non est genus prædicamentale, cùm Prædicamenta sint entia realia, sed est genus vniuersale.

QVAESTIO VII.

Quodnam sit subiectum in Logica.

SVbiectum tripliciter sumitur, scilicet, de quo, in quo, & circà quod; primum est subiectum propositionis, secundum est subiectum inhæsionis; tertium est subiectum considerationis; & istud est duplex, scilicet materiale, & formale, materiale est res considerata, formale est modus considerandi, vt patet de corpore naturali, quod est subiectum in Philosophia naturali. nàm corpus est sub[illegible] [illegible]turale, est su[illegible]ectum formale; subiectum enim formale additur materiali propter duo, primò, vt restringat ipsum subiectum materiale, si sit nimis amplum; secundò, vt det vnitatem, & specificationem in scientia, cuius est subiectum, vt naturale additur corpori, quia corpus est nimis amplũ, nã non solùm consideratur à Philosopho,

sed

ſed etiã à Medico, & à Mathematico; naturale verò reſtringit ipſum corpus, vt ſolùm conſideretur à Philoſopho; Philoſophus enim tantùm agit de corpore naturali, Medicus de corpore ſanabili, Mathematicus de corpore quantò, ſeù menſurabili.

Tres ſunt conditiones ſubiecti, quas Scotus enumerat quæſtione 3. vniuerſalium; prima, vt de ipſo præcognoſcatur Quid, & quia, ideſt, habeat exiſtentiam, & definitionem; ſecunda, vt per eius quod quid eſt demonſtrentur paſſiones de ipſo; tertia, vt omnia conſiderata in ſcientia ad ipſum habeant attributionem: Syllogiſmus dupliciter poteſt ſumi, ſcilicet; primò intentionaliter, & ſecundò intentionaliter; ſyllogiſmus primò intentionaliter eſt ſyllogiſmus mentalis, vocalis, & ſcriptus formatus ex tribus terminis, & duabus propoſitionibus; Syllogiſmus ſecundò intentionaliter eſt reſpectus rationis habitus præmiſſarum ad habitum concluſionis, de quo loquimur in præſenti, quæ conditiones ſubiecti, vt neceſſariæ ab Auctoribus recipiuntur, & expreſsè deducuntur ex 1. Poſt. t. 2. & 2<. vbi Ariſtoteles docet, ſubiectum eſſe illud [illegible] principia, partes, & paſſiones [illegible] tur. His poſitis [illegible]

Prima concluſio, Ens rationis non eſt adæquatum ſubiectum in Logica; eſt contrà Thomiſtas omnes, quorum qui putarunt, ens rationis in ſua communitate ſumptum eſſe ſubiectũ in Logica; Alij coarctantes hanc opinionem affirmant, adæquatum ſubiectum Logicæ eſſe ens rationis Logicum, quod ab ipſis appellatur ſecunda intentio Logica, vt eſt veritatis manifeſtatiua. Probatur, ſubiectum adæquatum nõ debet excedere ſcientiam, cuius eſt ſubiectum, vt patet ex adæquatione ſubiecti cum ſcientia, ſed ens rationis excedit Logicam, quia etiam ſe extendit ad Grammaticam, Poeticam, & Rhetoricam, ergò, &c.

Reſpondent. Quod non omne ens rationis eſt ſubiectum in Logica, ſed tantùm illud genus entis rationis, quod appellatur ens rationis Logicũ, ſeù ſecunda intentio, & iſtud ens rationis non excedit Logicam, ſed.

Contrà; In qualibet ſcientia eſt diſtinguendum, ſubiectum prædicationis à ſubiecto attributionis, nec vnum coincidit cum altero, vt notum eſt; ſed ſecunda intentio in Logica eſt ſubiectum prædicationis, quia prædicatur de omnibus contentis in Logica, ſcilicet de ſubiecto, prædicato, copula, de genere, ſpecie, propoſitione, &c. ergò non eſt ſubiectum attributionis.

Secundò, ſubiectum debet continere omnia conſiderata in ſcientia, cuius eſt ſubiectum, & ad ipſum reducantur, vel tamquàm principia, vel partes, vel proprietates, ſed ens rationis logicum non eſt huiuſmodi, quia conſiderata in logica non ſunt principia, nec partes, nec paſſiones entis rationis logici, licèt omnia ſint entia rationis per prædicationem, ergò cùm careat conditionibus requiſitis ad ſubiectum, nullo modo poteſt ſtatui pro ſubiecto.

Secunda concluſio. Neque tres operationes intellectus eſſe ſubiectum Logicæ;

Logicæ; est contrà Neutericos, intèr quos alij substinent, tres operationes intellectus, vt dirigibiles esse subiectū Logicæ; alij cognitionem intellectiuam vt dirigibilem, comprehendentem illas tres operationes, itaùt illa sit subiectum materiale, dirigibilitas subiectum formale. Probatur, subiectum debet esse notum in scientia, cuius est subiectum, sed tres operationes intellectus non sunt huiusmodi, quia de istis operationibus agitur in scientia de Anima, quæ est posterior ipsa Logica, ergò cùm tales operationes non sint notę apud Logicam, sequitur, quod neq. possunt esse eius subiectū: Itèm tota logica versatur circà ens rationis, & hac ratione dicitur scientia rationalis, & distinguitur à scientijs realibus, sed dictæ tres operationes quomodocumque sumantur sunt entia realia, ergò non possunt constitui subiectum scientiæ rationalis.

Respondent, Quod de actibus nostri intellectus per se agitur in logica, vt in libris Perihermeniarum de Enūciatione, in Libris Priorum, & sequentibus de Discursu; in libro Prædicabilium, quamuis tractetur de istis terminis, scilicet de genere, specie, & reliquis, quæ videntur entia rationis, tamen tractatur de illis, quatenùs important entia realia, nàm docetur ibi, genus prædicari de speciebus, sed non valet prædicare dicendo, species est genus; sed homo est animal, similitèr prædicatum affirmatur de subiecto, sed non valet dicere, subiectum est prædicatum, sed benè, Petrus est albus, Petrus est homo; sed

Contrà: In libris Perhietm. & Priorum agitur de regulis, & præceptis, quibus operationes nostri intellectus dirigi debent, non verò agitur de ipsis operationibus; & dictæ regulæ traduntur sub terminis secundarum intentionum, vt patet discurrendo, scilicet, prædicatum affirmatur de subiecto, in prima figura maior extremitas prædicatur de medio termino; ergò, &c. Ad illud de prædicabilibus dicimus falsam esse eius explicationē, nàm non est necesse, quod ea, quæ docetur ibi in secundis intentionibus, verificentur de eisdem prædicatione exercita, ex eo quià vera est apud omnes illa regula logicalis; Quæ significantur in secundis, exercentur in primis: non verò in eisdem terminis, vt infrà in disputatione de vniuersali: ideò tota responsio Aduersariorum est falsa.

Tertia conclusio: Syllogismus in communi secundò intentionalitèr est subiectum adæquatum in logica. Est Scoti quæst. 3. vniuersalium; contrà prædictos Auctores; conclusio hæc remanet primò probata ex refutatione aliarum opinionum.

Secundò ratione; Syllogismus habet omnes conditiones requisitas ad subiectum, [illegible], Consequenti sequitur; Antecedens probatur, nàm syllogismus habet primam, scilicet quid, & quià, nàm definitur ab Aristotele in libris Priorum; similitèr habet quià, idest, existentiam, quià non entis non est definitio; habet secundam, scilicet, passiones de ipso demonstrabiles per suum quod quid est, vt cōstare ex tribus terminis, & dua-

& duabus propositionibus; esse illatiuum consequentiæ; habet tertiam, nàm omnia considerata in logica, vel sunt eius partes subiectiuæ, vel integrales; si primæ, & sic sunt syllogismus Topicus, Elenchus, Prioristicus, & Posterioristicus; si secundæ, & istæ vel sunt propinquæ, vel remotæ, si propinquæ, & sic sunt propositiones, de quibus agitur in libris Perhierm. si remotæ, & sic sunt termini simplices, de quibus agitur in libris Prædicamẽtorum, & Vniuersalium, ergò syllogismus habet omnes conditiones requisitas ad subiectum, & consequentèr constituitur adæquatum subiectũ in logica.

Obijc. primò, contrà primam conclusionem; tota logica versatur circà ens rationis, ergò ens rationis est subiectum: Consequentia sequitur, quià illud est subiectum in aliqua scientia, circà quod versatur illa scientia, sed logica est circa ens rationis, ergo, &c.

Resp. Disting. antecedens; tota Logica versatur circa ens rationis tamquam circa aliquod trascendentale, concedo; adæquatum, nego; nam ens rationis etiam se extenditad gramaticam, & Rectoricam, obiectum enim, debet esse adæquatum in scientia, ideò,

D[illegible]si-deratur tantûm a logico, ergò saltèm hoc modo est subiectum adęquatum.

Resp. Negando consequentiam; nam ens rationis logicum, seù secunda intentio licèt consideretur tantùm a logico, tamen cùm omnia considerata in logica non reducantur ad ipsũ, vt principia, partes, & passiones, vt dictum est, sequitur quod non potest statui pro subiecto: Itèm ex 2. Elench: cap. vltimo habetur, quod intẽtio Aristotelis in logica fuit elucidare secundam intentionem, quæ est veritatis manifestatiua per virtutem illatiuam, & huiusmodi secunda intentio manifestatiua veritatis per virtutem illatiuam est syllogismus, seù argumentatio, de quo etiam plura reliquit præcepta.

Obijc. secundò, Circa idem laborant metaphisicus, & dialecticus, ex 4. Meth. t. 5. sed ens circa quod laborat metaphisicus est subiectum in metaphisica, ergò ens, circa quod laborat logicus est subiectum in logica.

Resp. Auctoritatem Aristotelis sic glosari, circa idem, scilicet, diuersimodè consideratum laborant Metaphisicus, & Dialecticus, & sic ens reale cõsideratur a metaphisico, & a logico, à metaphisico per se, a logico per accidens, ens rationis è contra, a logico per se, a metaphisico per accidens: Vel secundò, concessa simplicitèr auctoritate Aristotelis, non propter hoc sequitur intentum, nam Philica est circa ens reale, tamen nòn sequitur, ergo ens reale est subiectum, in phisica, ita dicendum de logica: Vel tertiò, Aristoteles ibi ponit similitudinem logicę & metaphisicæ, quoad modum procedendi, quia ambæ procedunt per cõmunia, & tradunt media communia alijs scientijs, ideo dicit metaphisicus, & dialecticus, intelligendo per dialecticum illam partem Topicam, quæ tradit media communia, sicùt Metaphisica, tamen non propter hoc vult, quod idem sit subiectum vtriusque.

Obijc.

Obijc. tertiò, Contra secundam cõclusionem. Illud est subiectum scientiæ, ad quod omnia considerata in illa scientia reducuntur, sed omnia considerata in Logica reducuntur ad tres operationes intellectus, ergo, &c.

Minor patet, nàm considerata in logica, vel sunt termini simplices, & isti reducuntur ad primam operationem intellectus, vel propositiones, & hæ ad secundam, vel syllogismi, & hi ad tertiam, ergo, &c.

Resp. Disting. Maiorem, sine præcisione, concedo; cum præcisione, nego; nam non solùm requiritur hoc, sed etiam quod sit notum in illa sciẽtia, cuius est subiectum, vt dictum est; mòdo tres operationes intellectus non sunt notæ in Logica, sed in scientia animastica: Item tres operationes intellectus quomodocumque sumantur sunt entia realia, & sic non possunt esse subiectum scientiæ rationalis, vt est Logica, ideo arguitur ab insufficienti enumeratione conditionũ, & committitur fallacia consequentis, arguendo affirmatiuè ab vna causa alicuius rei habentis plures causas.

Obijc. quartò, Contra tertiam conclusionem. Illud est subiectum alicuius scientiæ, ad quod omnia considerata in illa scientia reducuntur, sed omnia considerata in Logica reducũtur ad argumentationem, ergo, &c. Minor patet, nam considerata in Logica vel sunt definitiones, vel diuisiones, vel discursus, sed hæc omnia sunt partes, & species argumentationis, ergo, &c.

Resp. Disting. Minorem, omnia considerata in Logica reducuntur ad argumentationem remotè, concedo; proximè, nego; nam proximè reducuntur ad syllogismum, & quia syllogismus continetur sub argumentatione, ideo reducuntur etiam ad argumentationem, sed remotè. item argumẽtatio in communi vel est æquiuocum ad Syllogismum, Enthimema, & Exemplum, vel analogum; si primum, ergo non est subiectum, quia non est vnum scibile, nam æquiuocum plura significat; si secundum, ergo cùm analogum supponat pro famosiori significato, tùnc argumentatio idem erit quod syllogismus.

Obijc. quintò, In Logica agitur de Enthimemate, Inductione, & Exemplo, sed hæc non possunt reduci ad Syllogismum, ergo, &c. Minor probatur, nam omnis reductio fit ad essentialiter prius, sed Syllogismus non est prior Enthimemate, Inductione, &c. Cum sit vna species argumentationis, sicut ipsæ, ergo, &c.

Resp. Negando minorem: Ad probationem distinguo maiorem, reductio secundùm essentiam fit ad aliquod prius, concedo; secundũ perfectionẽ, nego; nã licet reductio secũdũ essentiam fiat ad essentialiter prius, vt patet de homine, qui reducitur ad animal, tamen reductio secundum perfectionem fit ad aliquod perfectius, siuè hoc sit prius secũdum essentiam, siuè non; modò Enthimema, Inductio, &c. reducuntur ad syllogismum, tamquam species imperfecta ad perfectam.

Dices, Definitio, & diuisio non possunt reduci ad Syllogismum neque secundum perfectionem, ergo saltem

penes

penès hoc syllogismus non potest cõstitui pro subiecto; Antecedens patet, nàm definitio, & diuisio sunt partes argumentationis in communi.

Resp. Negando consequentiam, nàm definitio, & diuisio reducuntur ad syllogismum secundùm ministeriũ, quià inseruiunt syllogismo, nàm definitio inseruit vt medium, diuisio diuidit propositiones, quæ sunt partes syllogismi, imò si non fuisset diuisio, incideremus in multos errores discurrendo.

Obijc. sextò, Nihil potest esse subiectum totius, & partis, sed syllogismus in communi est subiectum partis, scilicet in libris Priorum, ergò, &c. Minor communitèr conceditur.

Resp. Distinguendo Maiorem, sub eadem ratione, concedo; sub diuersa, nego; nàm syllogismus est subiectum in libris Priorum quoàd proprietates ipsum formalitèr consequentes; est autèm subiectum in tota Logica quoad omnes proprietates siuè in se, siuè in suis partibus integralibus, vel subiectiuis, vel reducibilibus ad ipsum.

Dices, Scotus in quæst. 2. lib. Priorum in conclusionibus responsiuis expressè habet, syllogismum non esse subiectum in tota Logica, sed instrumentum sciendi, ergò vel Scotus sibi ipsi contradicit, vel dicendum, quod syllogismus non est subiectum in tota Logica.

Resp. Quandò Scotus dicit, syllogismum non esse subiectum in tota logica, intelligit de syllogismo quoàd proprietates ipsum formalitèr consequentes, quod nos concedimus, quia sic est subiectum in libris Priorum; quandò verò dicit secundò, quod instrumentum sciendi est subiectum in tota logica, intelligit de instrumento sciendi, quod habet vim illatiuam, & sic est syllogismus non tantùm quoad passiones ipsum formalitèr consequẽtes, sed etiàm quoad omnes passiones in se, vel in suis partibus subiectiuis, vel integralibus, vel reducibilibus ad ipsum, vt dictum est. Vel secundò dicimus, quod Scotus non composuit libros Priorum, ideò nulla contradictio in verbis Scoti.

Obijc. septimò, Subiectum scientiæ debet habere partem materialem, & formalem; sed syllogismus non habet istas duas partes, quià non assignantur, ergò non potest cõstitui pro subiecto.

Resp. Disting. Maiorem, quandò subiectum est nimis amplum, concedo; quandò verò est adæquatum, & coarctatum scientiæ, nego; nàm syllogismus non est nimis amplus. Vel secundò, subiectum scientiæ realis, concedo; rationalis, nego; nàm subiectum scientiæ rationalis, vt est Logica, non est necesse, vt habeat istas duas partes.

Obijc. octauò, Quod est ignotum, non potest esse subiectum, sed syllogismus est ignotus, quià si esset notus vel esset notus per seipsum, quod nõ, quià tùnc idem esset notum, & ignotum, vel per alium, quod non, quia non datur, ergò, &c.

Resp. Negando Minorem; Ad probat. dicimus, quod syllogismus in communi est notus per syllogismum particularem, scilicet per demonstrationem.

Dices. Ille syllogismus demonstratiuus vel est notus, vel ignotus; si notus, ergò per alium, & sic in infinitũ, quià tùnc idem esset quærere de illo alio; si ignotus, ergò syllogismus in communi est etiàm ignotus.

Resp. Quod syllogismus demonstratiuus est notus quoad illationem conclusionis, & euidentiam ex præmissis, non ex alio syllogismo, sed ex terminis, lumine intellectus, & dispositione, & ideò non per alium syllogismum, & sic non proceditur in infinitum; tamèn quoad alias passiones syllogismi in communi non est notus, sed notificatur ab eadem cognitione syllogismi in communi.

Dices, Ergò idem est notum, & ignotum.

Resp. Disting. consequens, respectu diuersorum, concedo; respectu eiusdem, nego; nàm iste syllogismus demonstratiuus est notus quoad veritatem præmissarum, & etiàm quoad illationem conclusionis; est ignotus quoad passiones, quæ demonstrantur de communi, scilicet dici de omni, & dici de nullo, & cùm hæc est nota de communi, est etiàm nota de particulari, licèt non per se primò, sed in quantùm syllogismus particularis continetur sub communi: syllogismus demonstratiuus, per quem habetur scientia, est notus quoad veritatem præmissarum, quià sunt propositiones immediatæ illatiuæ conclusionis, & etiàm est notus quoad illationem conclusionis ex præmissis; quià illatio est per se manifesta, cùm sit syllogismus perfectus, qui nullo indiget, vt conclusio necessariò sequatur ex præmissis; est verò ignotus quoad illam passionem, quæ demonstratur de communi; & sic illa scientia, quæ habetur de syllogismo demonstratiuo, habetur per seipsum, quatenus illa passio, quæ demonstratur de communi per particularem, demonstratur etiàm de particulari, licèt non per se primò, sed in quantùm syllogismus particularis continetur sub communi.

DISPVTATIO DE ENTE RATIONIS.

QVAESTIO I.

An detur ens rationis.

Ens rationis in tota sua latitudine est illud, quod habet esse dependentèr à ratione; & hoc potest tripliciter contingere, vt colligitur ex Scot. in 4. d. 1. q. 2. sub B, primò effectiuè, idest, quod efficitur à ratione, vt actus intellectus: secundò subiectiuè, idest, quod subiectatur in ratione, scilicet in intellectu, vt ijdem actus intellectus, species intelligibiles, scientiæ; tertiò obiectiuè, idest, quod obijcitur intellectui considerandum, vt omne illud, quod percipitur ab intellectu; & hoc adhùc dupliciter, primò, quod habet illud esse, etiàm si non obijciretur intellectui, vt homo, vt risibilis; secundò, quod non haberet illud esse, si nõ obijciretur intellectui, vt Angelus, vt corporeus, qui non est talis, nisi tali modo cognoscatur ab intellectu, & hoc dicitur habere tantùm esse obiectiuè in intellectu, & dicitur ens fictũ à ratione, de quo quæritur in præsenti. His positis sit.

Conclusio affirmatiua; Est ferè cõmunis, exceptis Bernardo Mirandulano, Vallesio oppositum substinentibus. Probatur primò ex Aristotele 6. Meth. circà finem, vbi diuidit ens, scilicet in ens in anima, & extrà animam; per ens in anima intelligunt expositores ens rationis, ergò, &c.

Secundò ratione, nàm multa sæpè cogitamus, ac si essent, quæ nèc sunt, nèc possunt esse, vt patet de chimera, hyrcoceruo, & similibus, ergò cùm aliud esse non habeant nisi à ratione, sequitur, quod verè dantur entia rationis: Itèm experimur aliquos actus, quorum obiecta non sunt à parte rei, vt cùm concipimus equum rationalẽ, Angelum corporeum; hæc enim obiecta non sunt à parte rei, nèc possunt esse: Itèm tota Logica Aristotelis est plena his terminis, scilicet, subiectum, prædicatum, genus, species, & similia, quæ omnia sunt entia rationis, ergò, &c.

Si respondent, intellectus concipiẽdo equum rationalem non concipit quid fictum, quod dicatur ens rationis, sed veram, & realem rationalitatem, quàm cognoscit in homine, & ipsam intentionalitèr coniungit cum equo, sed

Contrà: rationalitas, quæ in casu prædicatur de equo, non est illa rationalitas, quæ conuenit homini, sed alia, & consimilis, quam fingit intellectus, ergò cùm non sit realis, sequitur, quod

ſit ens rationis. Item dato, quod ſit realis, adhuc vnio talis rationalitatis cum equo eſſet ficta, & rationis, quia applicatur rebus hinnibilibus, ergò, &c.

Obijc. primo; Non poteſt aſſignari cauſa entis rationis, ergò non datur; Conſequentia ſequitur; Antecedens probatur, nam ſi datur, eſſet intellectus, ſed hoc non, quia eſt cauſa realis, & conſequenter ſemper attingit effectum realem.

Reſp. Negando antecedens; Ad prob. dicimus, quod intellectus eſt cauſa efficiens entis rationis (vt infrà) non tamen propriè, quia ſicut non eſt verum ens ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ità non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid dicitur fieri.

Obijc. ſecundo. Ens reale, & purum nihil opponuntur contradictoriè, inter quæ non datur Medium, ſed ens rationis non eſt ens reale, vt patet, ergò eſt purum nihil, & conſequenter non datur; Item nulla eſt neceſſitas ponendi ens rationis, ergò, &c.

Reſp. diſt. maio. Si purum nihil ſumatur pro eo, quod negat quodcumque eſſe ſiuè in re, ſiuè obiectiuè in intellectu, concedo; ſi pro eo, quod negat tantùm eſſe in re, nego; nam ens reale, & purum nihil primo modo opponuntur contradictoriè, non verò ſecundo modo; Ad conſequentiam dicimus, quod ens rationis eſt purum nihil ſecundo modo, & conſequenter datur, cum habeat eſſe obiectiuè in intellectu: Ad aliud negamus antecedens; nam néceſſitas entis rationis deſumitur ex noſtro imperfecto modo concipiendi; nam intellectus noſter ſæpè non poteſt concipere aliquod obiectum, vt in ſe, vt priuatio, negatio, chimera, &c. illas concipit ad modum alterius, vt priuationem ad modum ſui habitus oppoſiti, negationem ad modum ſuæ formæ oppoſitæ, chimeram ad modum entis realis; Item fingit relationem rationis vbi non eſt, vt relatiõ Creatoris ad creaturam; fingit diſtinctionem vbi non eſt, & conſequenter dari ens rationis multum iuuat noſtrum modum intelligendi.

Obijc. tertiò, quod eſt impoſſibile non poteſt concipi, quia intelligi ſequitur eſſe, ſed ens rationis eſt impoſſibile à parte rei, ergò ſimiliter in intellectu, & conſequenter, nec datur obiectiuè in intellectu.

Reſp. diſt. maio. non poteſt concipi per ſe, & abſolutè, concedo; ad modum entis, nego; nàm impoſſibile, vt chimera, concipitur ad modum alterius, ſcilicet, ad modum poſſibilis.

Obijc. quartò, implicat obiectum eſſe intellectum, & priùs non eſſe intelligibile, quia quod intelligitur in actu ſecundò, ſupponitùr intelligibile in actu primò; ſed ſi daretur ens rationis, [illegible] tunc eſſet [illegible] & non p[illegible], quia totum ſuum eſſe eſſet ab intellectu, ergò, &c.

Reſp. diſt. mino. formaliter, & actualiter, concedo; virtualiter, nego; nàm ens rationis in ſuis cauſis poteſt dici intelligibile, ſcilicet, virtualiter.

Obijc. quintò, implicat dicere, aliquod habere eſſe proprium, quod tan-

[illegible]

tantùm fingitur esse, quia quod tantùm fingitur, nec est, nec potest esse, ergò, &c.

Resp. dist. antecedens, esse proprium simpliciter, concedo; secundùm quid, & diminutum, nego; nàm argumentum concludit de esse simpliciter, non de esse secundùm quid.

QVAESTIO II.

An totum esse entis rationis sit à ratione?

COnclusio affirmatiua: Est Scoti quol. tertiò, litt. A, & in primo d. 36. q. vn. litt. F, & G, contrà Medinam, Fonsecam dicentes, aliqua entia rationis habere esse formale actuale antecedenter ad omnem operationem intellectus; contrà aliquos dicentes, etsi entia rationis, quoàd existentiam pendent à ratione, non tamen quoàd essentiam: Probatur, nam id intelligimus per ens rationis, quod omninò contradistinguitur ab ente reali, ergò si aliquam realitatem haberet antecedenter ad opus intellectus, tunc non esset distinctum ab ente r[illegible] & [illegible] nec propriè ens rationis.

Respondet Medina, ens rationis in actu perfecto, & completo pendet ab opere intellectus, in actu verò imperfecto præcedit; sed.

Contrà. Ens rationis, ideo dicitur tale, quia nullo modo potest esse in actu, nisi per opus intellectus, ergò nec in actu imperfecto potest esse antecedenter ad intellectum.

Obijc. primò; Nullo operante intellectu datur à parte rei cæcitas in oculo, tenebræ in aëre, paries dicitur visus, Deus creator, & similia, sed hæc non dicunt esse reale, ergò rationis.

Resp. Negando Mino. Nam enumerata, vel sunt priuationes reales, vt cæcitas, tenebræ, &c. vel denominationes extrinsecæ, vt Deus dicitur creator, paries visus, &c.

Obijc. secundò. Entia rationis habent priùs esse possibile, quàm actuale, quia antèquàm ad modum entium concipiantur possunt sic concipi, & verum est dicere, antè operationem intellectus ens rationis est possibile, & potest fieri per intellectum, ergò, &c.

Resp. dist. antecedens, formaliter, nego; tantùm virtualiter, concedo; nam possibilitas virtualis entis rationis est solùm in ordine ad potentiam intellectiuam, à qua potest fieri, & intelligi; Itaque esse possibile, & intelligibile in entibus rationis non est aliquod intrinsecum, vt in entibus realibus, sed potiùs est mera denominatio extrinseca, procedens à potentia intellectiua, quatenùs, ea, quæ nec sunt, nec possunt esse, possunt concipi ad modum entis.

Obijc. tertiò. Ens rationis est prius sua cognitione, quia ex primo de Anima 33. Obiectum præcedit actum potentiæ, vt color præcedit ipsam potentiam visiuam, ergò totum esse entis rationis non consistit in cognosci.

Resp. Negando antecedens; Ad pro-

probat. dicimus, quod auctoritas Aristotelis valet tantùm de obiecto motiuo, quod, scilicet, natum est producere in potentia speciem impressam sui, non autem de obiecto, tantùm terminatiuo, vt est ens rationis, quod non potest producere speciem sui in potentia; Vel dicimus, quòd intellectus potest cognoscere rem dupliciter, vel sicuti est in se, vel aliter, ac est; primo modo vtique præsupponit obiectum esse, secundo modo nō, sed illud efficit.

Obijc. quartò. Ens rationis debet esse alicubi subiectiuè, cùm non sit substantia, sed non est subiectiuè in intellectu, vt dictum est, ergò in rebus ipsis, de quibus prædicatur, quod etiam Scotus quæst. 9. vniuersalium docet.

Resp. Negando Maio. Nam si sic, tunc esset verum accidens reale; potest tamen concipi, vt subiectiuè in aliquo ad modum accidentis, & tunc est, quandò per intellectum prædicatur de ipsis rebus, vt animal est genus, in hac prædicatione, & simili prædicatum non inest subiecto, vt in se, sed vt cognito, & ita loquitur Scotus q. 9. vniuersalium.

QVAESTIO III.

An denominationes extrinsecæ sint reales.

Denominatio extrinseca hic non sumitur pro ipsa actuali appellatione, quia non minùs obiectū appellatur visū, quæ est denominatio extrinseca, quàm paries albus, quæ est denominatio intrinseca; nec pro illa, quæ est extrà essentiam rei denominatę, quia esse album est extrà essentiam parietis, & tamen fundat denominationem intrinsecam in pariete albo; nec etiam pro ipsa impositione nominis, quæ est opus rationis, quia intellectus est, qui imponit nomina rebus; sed sumitur, prout distinguitur ab intrinseca, & est, quando forma denominans non est vnita rei denominatæ, vt esse visum, esse cognitum; quia forma, à qua paries denominatur visus, est ipsa visio, quæ non est vnita parieti, sed est in oculo, sic de esse cognito; & ita denominatio intrinseca distinguitur ab extrinseca, quia prima debet esse vnita subiecto denominato, non verò secunda; Hoc posito sit.

Conclusio affirmatiua. Est communis; Probatur, denominatio extrinseca nihil aliud est, nisi forma extrinsecè coniuncta subiecto denominato, vt patet; sed nullo intellectu cogitante datur forma coniuncta extrinsecè subiecto denominato, vt esse visum dicit formam visionis, quæ cum non sit in pariete, sed solùm terminatur ad illum, sequitur, quod sit tantùm extrinsecè coniuncta illi, ergò, &c.

Obijc. Non potest esse denominatio realis, nisi forma realiter vniatur rei denominatæ, sed quod realiter vnitur, dicitur intrinsecè vniri, ergò, &c.

Resp. dist. maio. Nisi forma realiter vniatur intrinsecè, vel extrinsecè, concedo; intrinsecè tantùm, nego; nam

nam paries dicitur visus realiter, idest, à visione existente in oculo, & terminata ad parietem.

Dices, visio non potest esse, nec intelligi sine subiecto viso, ergò est intrinseca obiecto viso,& consequenter illud denominat intrinsecè.

Resp. dist. consequens, est intrinseca obiecto viso essentialiter terminatiuè, concedo, inhæsiuè, nego; nam visio dicit essentialiter obiectum visum, tamquam purum terminum, ad quem terminatur, non verò inhæsiuè, ità vt ipsi inhæreat.

QVAESTIO IV.

Quid sit formaliter ens rationis.

ENS rationis non potest propriè definiri, cùm nòn sit ens reale, tamen potest definiri eo modo, quo definitio exprimit vnum conceptum per se in intellectu, siuè talis conceptus sit rei extrà, siuè rationis, & in hoc sensu quæritur in præsenti.

Prima conclusio. Ens rationis formaliter non est extrinseca denominatio, proueniens ab aliqua forma reali, neque ab actu rationis, siuè hic actus exprimat rem sicuti est, siuè aliter, ac est. Est Sco. in 1. d.30. q. 2. ad vltimum, & Scotistarum, scilicet, Fabri 4. Meth. disp. 4. Vulpes tom. 1. 1.par. disp.17. art.8. n.6. & disp. 28. art. vlt. n.7. contrà Fonsecam, Vasquez affirmantes sine vlla limitatione, quamlibet denominationem extrinsecam, prouenientem à quacumque forma esse ens rationis, vt denominatio, qua res dicitur cognita, volita, visa, &c. columna dicitur dextra, vel sinistra ex vario situ animalis; contrà Durandum, Sotum coarctantes ad solam denominationem deriuatam in obiecto ab actu rationis, vt denominatio cogniti; contrà alios recentiores magis coarctantes ad illam solum, quæ prouenit ab actu rationis concipientis obiectum aliter, ac sit.

Probatur, ens rationis formaliter habet esse præcisè per opus intellectus, sed denominatio extrinseca, quæcumque illa sit, datur à parte rei, vt dictum est, ergò, &c.

Respondet Durandus, quod denominationes extrinsecæ, prouenientes ab actibus aliarum potentiarum sunt reales, non verò, quæ proueniunt ab actibus intellectus, sed

Contrà, Non minùs actus intellectus, quàm aliarum potentiarum vitalium sunt reales, & realem dicunt habitudinē ad obiectum, ergò denominationes prouenientes ab actu intellectus etiàm sunt reales.

Respondent Auctores tertiæ opinionis, quod denominationes extrinsecæ, prouenientes ab actu intellectus concipientis obiectum alitèr ac est, sūt entia rationis, sed

Contrà, Per denominationem extrinsecam, qua, verbi gratia, Angelus dicitur corporeus, vel alatus iuuenis, exprimitur res alitèr ac est, sed talis denominatio sumitur à forma reali, scilicet à cognitione, non minùs ac aliæ, per quas res dicuntur cognitæ, sicuti sunt, ergo, &c.

Dices, Scotus in primo d.36.q.vn. §. concedo, vocat ens rationis illud esse

esse cognitum, quod habent creaturæ ab æterno per actum diuini intellectus, ergò, &c.

Resp. Scotum non appellare illud esse diminutum ens rationis formalitèr, sed tantùm materialitèr.

Not. In schola Subtilium solet distingui ens rationis in materiale,& formale, seù in ens rationis derelictum à ratione, & ab eo formatum: ens rationis secundo modo est, quod habet actu existentiam fictam ab intellectu: ens rationis primo modo est illud, cui non repugnat talis existentia ab intellectu sic fingente; denominationes igitùr extrinsecæ secundùm se dicuntur entia rationis materialia, seu potentialia, quatenùs,scilicet,possunt concipi, vt forma intrinseca in obiecto: Itaque secundùm Scotum, denominationes extrinsecæ, vt sic non sunt entia rationis formalitèr, sed requiritur nouus actus intellectus, per quem suscipiant tale esse formale.

Secunda conclusio, Ens rationis est illud, quod habet tantùm esse obiectiuum in intellectu. Est communis intèr Recentiores: Colligitur ex Scoto in pluribus locis. Probatur, ens reale habet esse independentèr ab intellectu vt patet, ergò ens rationis non habet esse independentèr ab intellectu, & consequentèr habet tantùm esse obiectiuum ab eo: Consequentia sequitur, quià ens prima sui diuisione diuiditur in reale & rationis, & consequētèr opponuntur, ergò si ens reale habet esse à parte rei, ens rationis non sic; nàm hyrcoceruus, quando obijcitur intellectui, habet tantum esse obiectiue in illo, quià à parte rei nullum habet esse, imò repugnat sic esse.

Tertia conclusio, Illud esse obiectiuum entis rationis necessariò pendet ab eo actu intellectus, quo cognoscitur ad modum veri entis: Est Scoti, & Scotistarum, scilicet. Vulpes tomo primo, prima parte, disput. 28. artic. vltimo, num. 4. Fabri 4. Meth. disput. 4. Probatur, obiectum adæquatum, & primarium intellectus est ens reale positiuum, ens rationis est obiectum secundarium, tùnc sic: Obiectum secundarium alicuius potentiæ debet aliquo modo participare rationem formalem obiecti primi illius potentiæ, alitèr non posset ab illa potentia intelligi, cum non contineretur sub proprio obiecto, sed ens rationis est obiectum secundarium intellectus, & non potest formalitèr, & intrinsecè participare entitatem realem, quæ est obiectum primarium intellectus, ergò debet participare secundùm aliquam similitudinem, & proportionem, & consequentèr debet necessariò pendedere ab eo actu intellectus, quo cognoscitur ad modum entis, quod est primum obiectum intellectus.

Colligitur primò, Ens rationis formalitèr sumptum distinguitur ab ente reali siuè in actu, siue possibili. Probatur, nàm enti rationis tantùm conuenit existentia obiectiua, ergò distinguitur ab ente reali tàm existente, quā possibili.

Dices, Hæc propositio, Petrus currit, ipso dormiente, est quid fictum, & ens rationis habens totum esse obiectiuè in intellectu, sed non est impossibile Petrum currere, ergò, &c.

Resp.

Resp. Negando Maior. nàm ens rationis ità obiectiuè exiſtit in intellectu, vt extrà illum nèc actu exiſtit, nèc poteſt exiſtere; aliter enim etiàm roſa concepta in hieme eſſet ens rationis, quià actu non exiſteret in rerum natura; Vel ſi concedatur maior, tùnc dicendum eſt, ibi ponitur impoſſibile non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, ſcilicet, ſuppoſito Petro dormiente, impoſſibile eſt, quod currat in ſenſu compoſito.

Colligitur ſecundò, Diſtinguitur etiàm à puro nihilo; Probatur, nàm purum nihil dicit puram negationem cuiuſcumque, ſiuè exiſtentis in re, ſiuè obiectiuè in intellectu, ſed ens rationis habet exiſtentiam obiectiuam, ergò, &c.

Dices, Ens rationis non eſt ens reale, ergò eſt non ens reale, quià intèr cōtradictoria non datur medium, ſed non ens reale eſt idem, ac purum nihil, ergò, &c.

Resp. Negando Min. ſubſumptam, quià purum nihil non ſolùm dicit negationem realitatis, ſed etiàm exiſtentiæ obiectiuæ, ens rationis licèt non habeat exiſtentiam realem, habet tamèn exiſtētiam obiectiuam.

Colligitur tertiò, Ens rationis diſtinguitur ab ente reali non per negationem entis realis, ſed per illam entitatem obiectiuam, per quam etiàm diſtinguitur à puro nihilo; Probatur, & ſimùl explicatur; nàm ens rationis formaliter dicit ens formatum à ratione, & quamuis non ſit ens reale, tamèn non dicit illam negationem formaliter, ſed tantùm concomitantèr, & cōuenter; ſicùt enim ens reale dicit negationem entis rationis, & non cōſtituitur formalitèr per talē negationem, ſed per rationem formalem realitatis, deindè ſequitur negatio illa; ità dicendū de ente rationis, ergò, &c.

Obijc. primò Contrà primam concluſionem, denominatio eſt opus rationis, ergò non datur antè operationem intellectus, & conſequentèr eſt formalitèr ens rationis.

Resp. Diſting. antecedens, denominatio formalitèr, quæ pertinet ad ordinem nominum, concedo; materialitèr, quæ pertinet ad ordinem rerum, nego; nàm denominatio formalitèr eſt opus rationis, quià intellectus eſt, qui imponit nomina rebus; hìc verò loquimur de denominatione pro materiali, quatenùs, ſcilicet, forma tribuit ſuum eſſe formale ſubiecto, & reſpicit aliud ſubiectum pro termino, tùnc illud denominat intrinſecè, iſtud verò extrinſecè, vt viſio eſt in oculo, vt in ſubiecto, & terminatur ad parietem tamquàm ad terminum, & ſic dicitur intrinſecè oculus videns, & extrinſecè paries viſus.

Obijc. ſecundò, Denominatio illa extrinſeca, qua res dicitur cognita, nullum eſſe habet niſi obiectiuè in intellectu, quia, ceſſante opere intellectus, ceſſat illa denominatio, ergò talis denominatio formaliter eſt ens rationis; Conſequentia ſequitur, quia ſic eſt ens rationis.

Resp. Negando antecedens, nàm talis denominatio potius eſt ſubiectiuè in intellectu, quàm obiectiuè, quià realiter nihil aliud eſt, niſi ipſa cognitio exiſtens in intellectu, & terminata ad obiectum, tunc dicitur eſſe ob-

iectiuè in intellectu, quando cognitione reflexa attingitur obiectum, vt cognitum, & ly, vt cognitum, tamquàm intrinsecum obiecto; Vnde per illum actum, quo obiectum dicitur cognitum, non cognoscitur istud esse cognitum, & consequenter non est obiectiuè, sed fit tale per alium actum sequentem, & sic vtique est ens rationis formaliter, & quamuis denominatio cogniti in obiecto pendeat ab actuali opere intellectus, tamen non pendet ab eo ex vi cognitionis, vt ens rationis.

Obijc. tertiò, Totum esse entis rationis consistit in obijci intellectui, sed hoc totum verificatur de illa extrinseca denominatione, qua res dicitur cognita aliter ac sit, nàm res cùm ità cognoscitur nihil aliud esse habet nisi obijci, seù cognosci, ergò, &c.

Resp. Negando Minorem: Ad probat. dicimus, quod res quandò cognoscitur aliter, ac est, tunc causatur quoddam esse fictum, quod est formaliter ens rationis, tamen illa passiua cognitio, in qua consistit extrinseca denominatio, verè est realis, sicut cognitio, qua intellectus cognoscit huiusmodi rem, est realis; ens enim rationis in casu nō est denominatio, proueniens ab ipso actu cognitionis intellectus, cum sit realis, sed est id, cui cōuenit talis denominatio, seu id, quod cognoscitur, & cognoscendo fingitur ab intellectu.

Obijc. quartò, Contra tertiam conclusionem. Ens rationis fit non solùm concipiendo illud ad modum veri entis, idest aliter quod est, sed etiam cōcipiendo illud ad modum entis rationis, idest sicuti est, ergò essentia entis rationis non est concipere aliquod aliter quod est.

Resp. Negando secundam partem antecedentis: nàm duplex datur cognitio entis rationis ex Scoto in 2. d. 1. quæst. 1. art. 2. & quæst. 5. vna directa, & altera quasi reflexa; per primam fit ens rationis, scilicet concipiēdo quod non est, ac si esset; per secundam concipitur ens rationis factum; prima dicitur practica, quatenus non solùm est expressiua, sed etiàm factiua entis rationis: secunda dicitur speculatiua, quià per eam consideratur illud obiectum factum per priorem cognitionem, & in hac cognitione habet rationem obiecti, non effectus; quæ distinctio in hac materia de ente rationis est valde attendenda.

Obijc. quintò, Talis modus faciendi ens rationis, idest, per conceptionem ad modum veri entis, non potest conuenire relationibus rationis, ergò, &c. Antecedens probatur, nàm tales relationes fiunt per resultantiam in obiectis cognitis, & comparatis, absque eo quod intellectus eas concipiat ad modum relationum realium, ergò, &c.

Resp. Negando antecedens; Ad probat. nego assumptum, nàm relatio cogniti, vel voliti non potest resultare in obiecto absque alia fictione intellectus, quià hoc est discrimen inter relationem realem, & rationis; illa insurgit positis extremis, ista verò, vltra extrema, indiget actu intellectus, quo efficiatur, & ante illum illud esse cognitum dicit tantùm denominationes reales in obiectis.

Dices,

Dices, Ex Scoto 5. Meth. q. 11. habetur, falsum est, quod actu reflexo intelligendi sit relatio rationis, fit enim primo actu directo intellectus comparantis hoc ad illud, quandò verò reflectit intelligendo illam comparationem, tunc non causatur relatio rationis, sed consideratur, ergò per primum actum, quo obiecta comparantur, statim resultat relatio rationis absque nouo actu. Item in 2. d. 1. q. 5. litt. B, sic ait, *relatio rationis est modus obiecti in primo actu intellectus, & tamen non est in se nihil in genere intelligibilium, sed est in se aliquod verè intelligibile, & ità non intelligitur nisi in actu reflexo*, ergò ex Scoto relatio rationis in primo actu fit, & in secundo intelligitur, vt facta.

Resp. Negando consequentiam; nam ad tollendam æquiuocationem, actus directi, & reflexi in doctrina Scoti sunt hìc distinguendi tres actus; primus, quo duo obiecta realia comparantur ad inuicem, ex quo resultat sola extrinseca denominatio passiuæ comparationis; secundus, quo intellectus concipit talem comparationem per modum cuiusdam relationis; tertius, quo intelligit relationem ità confictam; primus actus est omninò directus; tertius est omninò reflexus; secundus potest dici reflexus, & directus, reflexus respectu primi, directus respectu tertij; quando Scotus dicit, relationem rationis fieri cognitione directa, non reflexa, non loquitur de primo actu, quia per ipsum solùm attingitur ens reale, sed de secundo actu, quia per ipsum accipit esse, & intelligitur ens rationis; ideò respectu istius actus habet rationem, tùm effectus, tùm obiecti, & in tertio actu habet præcisè rationem obiecti. Itaque illa cognitio, quæ sequitur immediatè ad cognitionem entis realis, est practica, & factiua entis rationis; vltima verò est merè speculatiua, & contemplatiua.

Obijc. sexto. Entitas ficta, quam dicit ens rationis, est formaliter impossibilis, ergò non potest habere similitudinem cum ente reali possibili, & consequenter non concipitur ad modum entis veri, & possibilis: Consequentia sequitur, quia opposita non habent similitudinem ad inuicem, sed potius dissimilitudinem, ergò, &c.

Resp. dist. consequens, in essendo, concedo; in imitando, nego; nam ens rationis est velut vmbra entis realis, & sicut vmbra corporis imitatur esse corporis, ità ens rationis imitatur esse entis realis.

Not. similitudo entis rationis cum ente reali non est similitudo vniuocationis, seù communicationis, vt est similitudo albi ad album, sed proportionis, & imitationis, tùm in existentia, tùm in modo existendi, quia sicut ens reale existit à parte rei, ità ens rationis existit obiectiuè in intellectu; & sicut ens reale est duplex, scilicet per se stans, & in alio inhærens, ità ens rationis dupliciter potest concipi, scilicet, per modum per se stantis, quod concipitur ad modum substantiæ, vt hircoceruus, & per modum inhærentis, quod concipitur ad modum accidentis, vt species, genus,

&c. & ideò, quandò concipitur ens rationis, non est necessaria pro illo tunc cognitio actualis entis realis, sed sufficit cognitio habitualis, & implicita talis entis realis.

Quæritur, an ens rationis possit consistere in falsa applicatione vnius entitatis realis, cum alia entitate reali incompossibili?

Resp. Probabile esse; & hoc modo potest explicari communis sententia veterum Scotistarum, scilicet, entia rationis fieri solùm à potentia collatiua actu collatiuo; nam talis potentia comparando vnum obiectum ad aliud iungit non vnibilia, & sic efficit ens rationis, vt videre est apud Fuentem in eadem disputatione, sed quia non omnia entia rationis fiunt per appræhensionem plurium partiū cum vnione earum, vt patet de multis, quæ concipiuntur per modum per se subsistentium, & non alteri inhærentium.

QVAESTIO V.

An ens rationis habeat causam sui esse?

IN quæstione non loquimur de causalitate propriè dicta, quia cum entia rationis non sint entia propriè dicta, sequitur, quod nec possunt habere veras causas; ideò qua ratione dicuntur entia, eadem proportione quæritur, An habeant causas sui esse?

Prima conclusio. Ens rationis habet causam efficientem; Probatur, nam cuiuslibet existentiæ (citrà primum ens) est aliqua causa efficiens, aliter deduceretur de non existente ad existendum per seipsum, sed entia rationis existunt obiectiuè in intellectu, & prius non existebant, ergò, &c. huiusmodi causa est intellectus, vel alia potentia vitalis, vt infrà.

Dices primo, causæ reali correspondet effectus realis, sed intellectus est causa realis, ergò, &c.

Resp. dist. maio. quando causa producit propriè, & per actionem physicam, concedo; impropriè, & per actionem metaphoricam, nego; nam ens rationis producitur ab intellectu per cognitionem, quæ dicitur actio metaphorica, & grammaticalis.

Dices secundo, potentiæ reali respondet obiectum reale, sed intellectus est potentia realis, ergò, &c.

Resp. dist. maio. obiectum motiuum, concedo; terminatiuum, nego; nam, &c.

Secunda conclusio. Habet causam finalem; Probatur, nam intellectus sæpè format entia rationis, vt cognoscat res rectè; & sine errore, sed huiusmodi cognoscere est causa finalis entis rationis, ergò, &c. Maior explicatur, nam priuationes non sunt intelligibiles ex se, possunt tamen intelligi iudicio quodam diuisiuo, vt intelligendo in oculo non esse potentiā videndi, in aëre non esse lucem, &c. & denominationes extrinsecæ iudicio quodam compositiuo, vt intelligendo Deum esse Creatorem, parietem visum, &c. sed intellectus, vt appræhendat appræhensione simplici priuationes, & tales denominationes, fingit illas

illas ad modum entium, vt cæcitatem ficut quamdam prauam dispositionē in oculo, denominationem extrinsecam Creatoris, ficut quādā relationē, ergò entia rationis fiunt propter aliquem finem: Item intellectus conficit intentiones Logicales, vt sibi præscribat certam regulam, qua possit cognoscere plures propositiones sub vna, vt sub vna signata cognoscuntur plures exercitæ, vt genus prædicatur de speciebus, ergò homo est animal, Leo est animal.

Dices, ex Scotistis entia rationis assimilantur reliquijs cretæ, à figulo derelictis, dum vas intendit efformare, nam ficut figulus intendit solùm efficere vas, reliquiæ verò per accidens sequuntur præter eius intentum, ità Logicus intendit per se actus Logicales, & per accidens intentiones Logicales ex illis resultantes, ergò, &c.

Resp. Dictum Scotistarum intelligitur de ente rationis pro materiali, vt sunt denominationes extrinsecæ, nam istæ per accidens derelinquuntur in obiecto, & solùm cognitio per se intenditur; dum verò intellectus concipit easdem denominationes per aliū actum sequentem, vt quid intrinsecum obiecto, hoc certè facit in Logica ob aliquem finem intentum; dicere enim, secundas intentiones in Logica non per se intendi ab intellectu, sed ipsos actus Logicales, est asserere, Logicam non esse de secundis intentionibus, quod est falsum.

Tertia conclusio. Habet causam materialem, & formalem suo modo; Probatur, & simul explicatur; nam si sumantur, vt causæ intrinsecæ, & ex qua, sic entia rationis poterunt suo modo habere causam materialem, & formalem, vt sunt illa entia rationis ad instar substantiæ, vt hircoceruus, & similia; si verò sumatur causa materialis pro in qua, & formalis pro forma totius, vt est quidditas, & sic aliqua entia rationis habebunt causam materialem in qua, scilicet, illa entia rationis, quæ concipiuntur ad modum accidentis, vt genus, species, & causam formalem, quatenus, videlicet, habent propriam quidditatem sibi proportionatam; causa materialis, in qua, est ipsa res, vt cognita, & ab intellectu appræhensa, vt homo, vt cognitus.

Dices primo, ex Scoto 7. Meth. q. 18. entia rationis habere esse in intellectu non solùm obiectiuè, sed etiam subiectiuè, ergò, &c.

Resp. Entia rationis non sunt subiectiuè in rebus extrà intellectum, sed in rebus cognitis; Scotus verò ibi intelligitur mediatè, idest mediante re cognita.

Dices secundo, hircoceruus, chimera non possunt esse subiectiuè in rebus cognitis, quia non concipiuntur ad modum entis alteri inhærentis, sed ad modum substantiæ, ergò sunt subiectiuè in intellectu.

Resp. Talia entia rationis nullibi sunt subiectiuè, nec habent materiam in qua, sed tantùm ex qua, & sunt tantùm obiectiuè in intellectu.

QVÆ-

QVAESTIO VI.

Quæ potentia potest efficere ens rationis?

SErmo non est de ente rationis, prout habet esse solùm à ratione, quia sic esset repugnantia in terminis, quod alia potentia ab intellectu possit efficere ens rationis, sed de ente proportionali, & æquiualenti enti, quod fit à ratione, idest, sicut datur aliquod ens, quod solùm existit obiectiuè in intellectu, ità quæritur, si possit dari ens, quod solùm obiectiuè existat in aliqua potentia intentionali alia ab intellectu; nec etiam loquimur de ente rationis materiali, quia sic omnes concedunt non solùm intellectum, sed etiam voluntatem, sensus internos, & externos posse efficere huiusmodi ens rationis, vt sunt denominationes extrinsecæ, sed de ente rationis pro formali, & sensus est, An per opus alterius potentiæ ab intellectu possit fieri ens, habens solum esse obiectiuè in illa potentia, pro qua sit.

Prima conclusio; Nulla potentia sensitiua, siuè interna, siuè externa potest formare huiusmodi ens rationis. Colligitur ex Scoto in 1. d. 45. q. vn. litt. C. & quol. 17. litt. C, contrà Iandunum, & alios substinentes, omnes sensus tàm internos, quam externos posse formare huiusmodi ens rationis; Faber verò, & Fuentes substinent de mente Scoti phantasiam, seù imaginatiuam posse efficere huiusmodi ens, quam opinionem, tamquam probabilem amplectuntur aliqui recentiores Neuterici.

Probatur, nam huiusmodi ens rationis formaliter est talis naturæ, vt illi omninò repugnet existere extrà illam potentiam, à qua formatur, sed in nullo sensu potest aliquod ità obiectiuè existere ex vi alicuius actus sensitiui, quia obiectum sensuum est sensibile, sed esse sensibile est esse ens reale, contradistinctum ab esse rationis, ergò, &c.

Secunda conclusio. Intellectus potest verè formare ens rationis; est communis, & notum est apud omnes, vt patet ex ipso nomine entis rationis; ideò non eget probatione.

Tertia conclusio; Voluntas potest efficere huiusmodi ens rationis; Est Scoti in 1. d. 45. q. vn. litt. C. & quol. 17. litt. C, contrà Thomistas substinentes, solùm intellectum efficere ens rationis; Probatur, illa potentia vitalis potest efficere ens rationis, de quo loquimur, quæ dat esse obiectiuum rei, quæ realiter non est, nec potest esse, sed voluntas est huiusmodi, quia potest ex sua libertate fingere bonitatem in obiecto vbi non reperitur, nec potest reperiri, neque, vt sic ab intellectu proponitur, vt volũtas fruitur diuitijs propter se, scilicet, non referendo illas ad aliud, scilicet, ad Deum, ergò, &c.

Not. Ex Scoto in primo d. 1. q. 1. litt. D, prætèr finem verum, & apparentem, datur etiàm finis præstitutus, seù præfixus, qui tantùm præfigitur à voluntate; & est quandò obiectum est ostensum à ratione sub ratione materiali,

riali,

riali, & voluntas ex sua libertate illud sibi præfigit tamquàm finem, non quod voluntas feratur in malitiam per se, quià malitia non est obiectũ prosecutionis, sed quià, ostenso obiecto voluntati sub ratione mali, & ex alia parte ostensa bonitate vel in se, vel in alio obiecto, potest voluntas effigere illam bonitatem tali obiecto, & sic acceptare illud obiectum in se malũ sub prætextu illius bonitatis: Itèm si ad conficiendum huiusmodi ens rationis requiritur, quod potentia effectiua sit collatiua, voluntas est potentia collatiua, quià potest comparare vnum obiectum alteri, non per modũ iudicij, & cognitionis, sed ordinis, & acceptationis, cùm vult media proptèr finem; si requiritur, quod sit potentia reflexiua, voluntas est sic, quià volens aliquid, sæpiùs consentit per actum reflexum se velle, ergò, &c.

Itèm potest appetere sibi impossibilia appetitu saltèm inefficaci, vt appetere sibi naturam Angelicam, etiàm vt talia ab intellectu ostensa, ergò, &c.

Obijc. primò, Contrà primam conclusionem, oculus videns remum in aqua, videt illum, vt fractum, sed à parte rei actu non est fractus, ergò remus fractus habet tantùm esse obiectiuè in oculo.

Resp. Negando Maiorem, nàm oculus non videt, nèc videre potest immediatè remum fractum, sed videt remum sanum per species refractas à motu aquæ; nèc putat ipse oculus remum esse fractum, quia nõ habet vim componendi curuitatem cum remo, cùm non sit potentia collatiua; phantasia enim est, quæ putat illas species immissas à remo non esse refractas à medio, scilicet ab aqua, sed sic esse immissas à remo, tùnc putat ipsum remũ esse fractum: Itèm dato hoc, adhùc tamen neganda est consequentia, quià ad ens sensibile, æquiualens enti rationis nõ sufficit, quod videatur id, quod non est, sed etiàm requiritur, quod sit impossibile, modò fractio remi est possibilis à parte rei; sic etiàm respondendum est ad multa alia exempla, scilicet, quod oculus videt solem, qui est maximæ magnitudinis, ac si esset magnitudinis bipalmaris, quià oculus vìdet paruitatem realem non quidem Solis, sed specierum, quæ ob maximã distantiam minuuntur, & ideò videt Solem magnum per species imminutas, similiter colores in Iride, in collo columbę, concauitates in picturis, vnũ, & idem obiectum multiplicatum cõpresso oculo, & alia huiusmodi.

Obijc. secundò, Probando sensum internum, scilicet, phantasiam posse formare huiusmodi ens rationis; nàm ex Scoto in primo d.45. q. vnica, littera E, habetur, phantasiam, seu imaginatiuam supponi esse potẽtiam collatiuam, quià habet virtutem coniungendi non solùm compossibilia, vt ex monte, & auro fingit montem aureũ, sed etiàm incompossibilia, vt ex hirco, & ceruo fingit hircoceruum, ergò, &c.

Resp. Quod non est certum apud Scotum, phantasiam esse potentiam formaliter collatiuam, vt ibi videre est, cum vis collatiua oriatur ex immaterialitate potentiæ; sed admittatur pro nunc, phantasiam esse formaliter

colla-

collatiuam, tamen cum non egrediatur limites potentiæ sensitiuæ, non potest componere nisi species sesatas; ideo in compositione hircocerui potest attingere solùm vnionem accidentium, quæ vnio est possibilis à parte rei, non verò illarum naturarum, scilicet hirci,& cerui.

Dices, Phantasia format sibi obiectum, vt est cognitum ab intellectu, quià,quod intellectus intelligit,id phātasia phantasiatur, sed intellectus in eo casu coniungit non solum accidentia, sed etiàm naturas, ergò, &c.

Resp. Negando Maiorem: Ad probat. dicimus verum esse, quod quandò intellectus operatur, etiam phantasia operatur,sed circà suum obiectū, quod non transcendit sensibilitatem; vnde cum intellectus intelligit naturas incompossibiles, phantasia cognoscit figuram, quantitatem,& accidentia externa illarum.

Obijc. tertiò, Dum quis videns à longè statuam putat esse hominem, vtique habet hanc appręhensionem, quod ille est homo, sed impossibile est hominem esse statuam, ergò sæpiùs phantasia appræhendit vnionem rerum impossibilium.

Resp. Negando consequentiam; nā intellectus est qui facit illam complexionem, phantasia verò,cum non se profundet ad substantiam, sistit in contemplatione externæ figuræ hominis,& statuæ,& eas figuras ob similitudinem coniungit ad inuicem, & earum vnionem attingit, non verò naturarum.

Obijc. quartò, Contra tertiam conclusionem. Voluntas,cum sit potentia cæca, supponit obiectum propositum, seu ostensum ab intellectu, ergò cum non faciat obiectum, sed illud supponat, est omninò inepta ad efficiendum ens rationis.

Resp. Disting. antecedens, supponit obiectum, vt bonum verum, vel apparens, concedo; præfixum, nego; nam voluntas, quandò tendit in bonū apparens, licèt supponat illud,& fictio se teneat tantùm ex parte intellectus, tamen quandò tendit in bonum præfixum, tunc non supponit illud, & fictio non se tenet ex parte intellectus, quià in tali casu ipse intellectus ostendit obiectum malum, & sub ratione mali, sed totaliter se tenet ex parte voluntatis, quæ, non obstante ostensione intellectus, ex sua libertate applicat bonitatem illi obiecto, & tale obiectum falsò indutum bonitate sibi præfigit tanquàm finem, & sic dicitur facere ens rationis.

Dices, Ergò voluntas tendit in incognitum, quià talis bonitas non est ostensa ab intellectu in illo obiecto.

Resp. Negando sequelam: Ad probationem dicimus, quod intellectus, quamuis non ostendat bonitatem in tali obiecto, tamen eam ostendit in alio, vel in se abstractè, quod sufficit, vt voluntas possit eam applicare obiecto ostenso, vt malo, & sic non dicitur ferri in incognitum.

Obijc. quinto, Voluntas ordinando vnum ad aliud, ad quod non est sua natura ordinabile, non facit nouā relationem ordinis, quæ sit ens rationis, sed tantū resultat suo modo denominatio extrinseca relatiua, vt resultat vniuersaliter ex actibus aliarum poten-

ten-

tentiarum, ergò, &c.

Resp. Distinguendo antecedens; resultat denominatio extrinseca actu directo, concedo; actu reflexo, nego; nàm actu directo, quo primò voluntas ordinat vnum obiectum ad aliud, non resultat in obiecto nisi extrinseca denominatio comparati, tamèn in eo sic comparato potest causare respectũ rationis per alium actum quasi reflexum.

QVAESTIO VII.

De actu quo producitur ens rationis?

Actus intellectus, pro nùnc, est duplex, scilicet absolutus, & collatiuus; primus est ille, quo obiectum absolutè consideratur sine ordine ad aliud, vt consideratio hominis secundùm se; secundus, quo consideratur cum tali ordine, vt hominis ad animal; vterque est duplex, scilicet directus, quo intellectus directè, & primò attingit obiectum illis actibus; & reflexus, quo reflectit supra obiectum cognitum, vel absolutè, vel relatiuè: Ens rationis diuiditur in absolutum, & respectiuum; primum est illud, quod habet esse obiectiuum in intellectu per actum absolutum, vt chimera; secundum est, quod habet esse obiectiuum per actum collatiuum vt relatio rationis; Pro qua sit

Prima conclusio. Actus formatiuus entis rationis potest esse absolutus, vel collatiuus, vel reflexus iuxtà exigentiam entium rationis, quæ fiunt. Est Scot. 5. Meth. 17. contrà Suarez docentem, ens rationis fieri per actum comparatiuum, non quià quodcumque ens rationis sit relatiuũ, sed quià fit per comparationem non entis ad ens reale, contrà Meurissem asserentem, fieri per actum reflexum. Probatur primò; Ens rationis absolutum fit concipiendo aliquod absolutè, idest sine ordine ad aliud, nàm dùm concipitur tenebra veluti forma extensa per aërem nulla interuenit comparatio tenebræ ad lucem, vt ad terminũ, sed tantùm ipsa concipitur ad modum lucis, sed huiusmodi actus est absolutus, ergò, &c.

Secũdò, quod possit esse collatiuus; nàm ens rationis relatiuum fit per actum conferentem vnum ad aliud, & nèc potest fieri alitèr, sed talis actus est collatiuus, ergò, &c. Antecedens patet, nàm si volumus efficere denominationem extrinsecam Creatoris in Deo, necessariò conferimus Deum cum creatura, vt relatiuum cum suo correlatiuo, ergò, &c.

Tertiò quod possit esse reflexus; nàm multa sunt entia rationis, quæ fundantur in ipsis operationibus intellectus, vt quamplures intentiones Logicales, sed hæc fiunt per actum reflexum, nàm intellectus reflectendo cõcipit denominationes extrinsecas, ortas ex priori cognitione in obiecto ad modum formæ intrinsecæ, vt concipiendo parietem visum, quatenùs ipsa visio sit intrinseca parieti, & tùnc ipso actu reflexo fit ens rationis, ergò, &c.

Secunda conclusio, Entia rationis spectantia ad materiam propositionis,

& discursus possunt fieri per tres operationes intellectus distributiuè, scilicet alia per primam, alia per secundam, alia per tertiam; Est communis; Patet, nàm intellectus potest appręhendere terminos repugnantes, vt dùm concipit alium Deum distinctum à Deo verò; potest componere propositiones falsas affirmando, & negando, vt homo est brutus, homo non est animal; potest etiàm efficere prauos discursus deducendo ex aliquo antecedente id, quod nullo modo potest sequi ex illo antecedente, sed hoc modo appræhẽdendo, iudicando, & inferendo fingit id quod non est, nèc potest esse, ergò, &c.

Tertia cõclusio. Entia rationis spectantia ad formam propositionis, & discursus, vt subiectum, prædicatum, antecedens, consequens, fiunt solùm per primam operationem intellectus. Est Scoti pluribus in locis contrà quàplures recentiores, asserentes secundas intentiones, scilicet subiectum, prædicatum, genus, species, &c. fieri per secundam, & tertiam operationem. Probatur, & simùl explicatur, nàm intellectus considerando hominem esse animal, hoc actu non efficitur ens rationis, quod dicitur propositio, subiectum, prædicatum, genus, species, &c. sed tantùm habentur denominationes extrinsecæ, vt animal dicitur prædicatum, homo subiectum, &c. Tùnc verò talia efficiuntur entia rationis formalitèr, cum intellectus cõcipit esse subiectum in homine, prædicatum in animali, connexionem in copula per modum quarumdam relationum realium, sic dicendum de genere, de specie, vt homo est species, animal est genus. Itèm antecedens, consequens, & consequentia non sunt entia rationis per ipsum actum illationis, sunt tantùm denominationes extrinsecæ, vt vna propositio dicitur antecedens, vel inferens, alia consequens, vel illata, tunc verò fiunt entia rationis formalitèr, dum esse antecedens, seu inferens in propositione concipitur per modum cuiusdã relationis ad propositionem consequenter, vel illatam, & è contrà; sed omnes tales fictiones fiunt per actus reflexos, qui spectant ad primam operationem intellectus, quià vniuersaliter denominationes extrinsecæ appræhenduntur ad modum entis per primam operationem, & per conceptus simplices, ergò, &c.

Obijc. primò Contra primam conclusionem ex Suarez: Ens rationis fit per eum actum, quo concipitur ad modum entis realis, sed talis actus est comparatiuus, ergò, &c.

Resp. Disting. Maior. Ad modum entis realis, vt ad terminum, nego; imitatiuè, concedo; nam in formando ens rationis absolutum licèt intercedat aliqualis comparatio, tamen non intercedit illa comparatio, qua vnum refertur ad aliud, vt ad suum terminũ, quæ propriè est comparatio, & fit per actum collatiuum, sed tantùm concipitur vnum ad similitudinem alterius; si enim concipimus, verbi gratia, tenebram in aere per comparationem ad lucem, quia ipsam concipimus extendi per aerem, vt solet extendi lux, sic non est propriè comparatio, sed potius imitatio; si verò conciperemus tenebram in aere veluti quemdam re-spe-

spectum ad lucem, tunc esset vera comparatio, & referentia ad lucem, vt ad terminum; & esset ens rationis propriè factum per notitiam comparatiuam, & in hoc sensu locuti sunt Scotistæ antiquiores, qui dixerunt, quodcumque ens fieri per actum collatiuum.

Obijcitur secundò, ex Meurisse, actus intellectus, quo fit ens rationis, semper supponit alium actum eiusdem intellectus, vt in formatione hircocerui supponitur cognitio hirci, & cerui; nam cum omne ens rationis fiat ad instar entis realis, semper supponit cognitionem entis realis, ergò omne ens rationis fit per actum reflexum.

Resp. Negando consequentiam; nam si sumamus actum reflexum largè, pro cognitione supponente aliam priorem, sic potest dici, omne ens rationis fieri per actum reflexum, quia ei supponitur cognitio entis realis, ad cuius instar efformatur; sed si actus reflexus sumatur propriè, scilicet, pro eo, quo intellectus se reflectit, vel suprà se cognoscentē, vel suprà obiectum, vt à se cognitum, vel suprà actum, & sic non est necesse, omne ens rationis fieri per actum reflexum; discursus enim supponit iudicium, iudicium supponit actum simplicem, & tamen discursus non est propriè actus reflexus; similiter dicendum de iudicio, possunt dici largo modo actus reflexi.

Obijc. tertiò, Contrà tertiam partem, nam ex Scoto 5. Meth. q. 11. & in 2. d. 1. q. 5. B. actus reflexus non facit ens rationis, sed attingit illud, iam factum per priorem actum directum, ergò, &c.

Resp. Distinguendo antecedens, actus reflexus speculatiuus, concedo; practicus, & factiuus, nego; nam, &c.

Obijc. quartò, Contrà secundam conclusionem; In prima operatione non datur falsitas, vt patet, sed ens rationis fit per actum falsum, idest, per illum actum, quo concipitur res aliter quàm sit, ergò, &c.

Resp. Negando minorem; Nam ad ens rationis sufficit, vt obiectum quod cognoscitur nullum esse habeat nisi obiectiuè in intellectu, quomodocumque id contingat, idest, siuè per primam operationem intellectus, siuè per secundam, siuè per tertiam.

Dices, In formatione entis rationis concipitur res aliter quàm sit; sed in tali conceptione semper reperitur falsitas actus, ergò, &c.

Resp. Negando minorem; nam in tali formatione non contingit semper falsitas formalis affirmando, & negando, sed quia interuenit quædam impropriétas appræhendendo rē per extraneos conceptus, quod est concipere non-ens ad modum entis, seu rem aliter, ac sit, non diuisiuè, vbi est falsitas, sed quasi præcisiuè, videtur quod sit falsitas, sed non est ità, &c.

Dices, In formatione hircocerui intellectus componit plures naturas incompossibiles, sed compositio spectat ad secundam operationem, ergò, &c.

Resp. dist. maiorem, intellectus componit illas naturas affirmādo vnā

de alia, nego; apprehendendo illa duo, vt vnum, concedo; nam intellectus non componit illas partes incompossibiles affirmando vnam de alia, quæ compositio spectat ad secundam operationem, sed tantùm apprehendit illa duo vt vnum per simplicem attingentiam vnionis fictæ inter illa.

Obijc. quintò, Contrà tertiam conclusionem; Propositiones, & discursus spectant ad secundam, & tertiam operationem, ergò fiunt formaliter entia rationis per ipsas operationes; Consequentia sequitur, aliter enim per illas nullo modo efficerentur entia rationis, quia inuenirentur facta per primam operationem.

Resp. Distinguendo antecedens, quoàd materiam, concedo; quoad formam, nego; nam propositio, & discursus, quoàd materiam, idest, quantùm ad veritatem, vel falsitatem connexionis prædicati cum subiecto in propositione, antecedentis, & consequentis in discursu fiunt à secunda, vel tertia operatione; quantùm ad formam, idest, quantùm ad illam coordinationem prædicati, subiecti, & copulæ in propositione, antecedentis, & consequentis in discursu fiunt per primam operationem, quia illa coordinatio est quædam relatio simplex rationis, quæ reperitur in omni propositione, & argumentatione, siuè vera, siuè falsa.

Obijc. sexto; Intellectus dum affirmat vnum de alio, & deducit vnum ex alio statim resultat relatio rationis inter subiectum, & prædicatum, inter propositionem inferentem, & illatam, ergò per iudicium fit formaliter ens rationis, scilicet, prædicatum, & subiectum, & per discursum fit antecedens, & consequens.

Resp. Negando antecedens; nam sistendo præcisè in actibus iudicij, & discursus non habemus, nisi extrinsecas illas denominationes, & fiunt relationes rationis dum illæ denominationes cogitantur ad modum relationis realis, quod vtique fit per simplicem apprehensionem.

Quæritur, An omnis intellectus creatus faciat ens rationis?

Resp. Affirmatiuè; Patet de intellectu creato humano, vt omnes concedunt; patet etiam de intellectu Angelico, cum ipse discurrat, & multa cognoscat per coniecturam, & circà talia obiecta potest elicere actus falsos, ex quibus fiunt entia rationis, vt Demon putabat, Christum Dominum non esse Deum, errabat, & faciebat ens rationis; imò per primam operationem potest id, quod non est, cogitare, ac si esset, & in hoc nulla videtur repugnantia; si enim illi non repugnat peccatum, & error, tantò minus repugnabit effingere ens rationis, quamuis inuoluat imperfectionē, ac errorem intellectus.

QVAESTIO VIII.

An intellectus diuinus possit efficere ens rationis.

QVæstio hæc licèt sit Theologica, tamen quia eius intelligentia multum iuuat ad formationem

tionem entis rationis, & etiàm quià solutio istius quæstionis pēdet ex principijs logicis, ideò meritò proponitur in hac disputatione talis quæstio. In hac enim quæstione non loquimur de ente rationis pro materiali, quià sic certum est, Deum facere huiusmodi ens rationis, cùm cognoscat seipsum, & alia à se, & illa obiecta denominentur cognita; sed loquimur de ente rationis pro formali, vt sunt illa, quæ habent tantùm esse obiectiuum in illa potentia, à qua fiunt, & à parte rei nullo modo possunt esse. Pro qua sit

Prima conclusio negatiua; Est Scoti in primo d.8. q.4. litt. N. & Scotistarum, scilicet Vulpes tom.1. par.1. disp.28. art.vltim. & disp.29. artic.4. Probatur; nàm ens rationis est illud, quod habet tantùm esse obiectiuum in intellectu, & tale esse obiectiuum necessariò pendet ab eo actu intellectus, quo cognoscitur ad modum veri entis, vt dictum est q.4. sed huiusmodi esse obiectiuum non est attribuendum intellectui diuino, cùm ipse omnia intuitiuè cognoscat, ergò, &c. Item ens rationis fit concipiendo res alitèr ac sint, vt ea quæ non sunt, ac si sint, quæ non sunt distincta, vt distincta, quæ non sunt relata, vt relata, quæ sunt priuatiua, vt positiua, quæ omnia dicunt imperfectionem, ergò, &c. Item entia rationis dicuntur formæ fictæ, ergò non possunt fieri à Deo, alitèr Deus diceretur fingere, quod est falsum.

Not. Scotus in hac quæstione videtur affirmare vtramque partem, vt colligitur in pluribus locis suæ doctrinæ, tamèn magis videtur partem negatiuam.

Secunda conclusio; Intellectus diuinus cognoscit entia rationis à nobis facta, tamèn ex vi illius cognitionis illa non facit. Colligitur ex Scoto pluribus in locis, Vulpes in tom.1. par.1. disp.vt suprà, contrà Vasquez, & alios sustinentes, Intellectum diuinum nō cognoscere ens rationis à nobis factū, quià fieri est cognoscere. Faber, & Fuentes ex nostris videntur affirmare, Deum non solùm cognoscere ens rationis à nobis factum, sed etiàm ipsū efficere, & dicunt, quod tota illa imperfectio, quæ tribuitur ad efficiendum ens rationis, se tenet ex parte obiecti intelligibilis tantùm.

Prima pars probatur primò ex illo sapien.8. scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, signa, & monstra scit, antequàm fiant, ergò, &c.

Secundò ratione; nàm Deus videt obiecta cogitata, alitèr non sciret secreta cordium, sed huiusmodi obiecta sæpe sunt impossibilia, & chimerica, vt cùm affirmamus hominem esse irrationalem, equum esse rationalem, ergò, &c.

Respondet Vasquez, quod talis cognitio Dei terminatur solùm ad illa extrema realia, non verò ad illam vnionem fictam, ideò Deus tantùm cognoscit illa extrema, non ens rationis; sed

Contrà, Ille actus est falsus, & vt talis est à Deo cognitus, ergò non solùm attingit illa extrema, sed etiàm vnionem à nobis efformatam; Consequentia sequitur, quià ad cognoscendam

m actus nō sufficit solùm attingere illa extrema.

Secunda pars probatur; Ens rationis non formatur per illam cognitionem, qua cognoscitur, quià sic habet rationem obiecti, non effectus; sed quandò Deus cognoscit ens rationis à nobis factum, attingit ipsum tali genere cognitionis, ergò non format illud, sed solùm reddit illud extrinsecè cognitum. Itèm ens rationis non potest esse extra potentiam formantem illud, imò neque extra illum actum, quo dicitur formari, quia totum esse suum debet habere in illo, & ex vi illius; sed quandò Deus cognoscit ens rationis à nobis factum, non solùm attingit illud vt existens extra suum actum, sed etiam extra suum intellectum, quia videt illud in intellectu nostro, ergò ex vi talis cognitionis nō format illud.

Obijc. primò contrà primam conclusionem; Vis efficiendi ens rationis est perfectio intellectus creati, ergò non debet denegari intellectui diuino. Antecedens probatur, nàm potentia quoad plura se extendit, eò est perfectior, patet, quià ideò vis effectiua entis rationis negatur potentiæ sensitiuæ, quià limitatur tantùm ad ens sensibile tamquàm ad suum obiectū, ergò est perfectio in intellectu creato se extendere ad efficiendum ens rationis.

Resp. Distinguēdo antecedens, est perfectio simpliciter, nego; est perfectio supplens imperfectionem, concedo; nàm vis effectiua entis rationis in intellectu creato est perfectio supplēs imperfectionem, ideò cùm nō sit perfectio simpliciter, non est tribuenda Deo.

Obijc. secundò, Intellectus comprehendens cognoscit obiectum omni modo, quo est cognoscibile, sed priuationes, negationes, & Angeli non solùm secundùm se, sed etiàm ad modūm alterius sunt attingibiles, vt priuationes ad modum entis positiui, Angeli ad modum iuuenis alati, ergò hoc modo etiàm possunt cognosci à diuino intellectu formando ens rationis.

Resp. Distinguendo maiorem, omni modo non inducente imperfectionem in comprehendente, concedo; inducente, nego; nàm cognoscere non ens ad modum entis inducit imperfectionem in cognoscente, quod non est tribuendum intellectui diuino, alitèr enim obiectum debet etiàm cognosci cum discursu ab intellectu diuino, quia hoc modo est etiàm cognoscibile.

Obijc. tertiò, Deus cognoscit priuationes, & negationes, quæ sunt non entia, sed tales cognoscuntur per modum entium, quià nihil est intelligibile nisi ens, ergò, &c. Hæc necessitas cognoscendi hoc modo est communis omni intellectui, quià non fundatur in imperfectione intelligentis, sed in ipso obiecto intelligibili, quod sic petit intelligi.

Resp. Distinguendo Minorem, indirectè, concedo; directè, nego; nàm priuationes, & negationes directè cognoscuntur à Deo sicuti sunt, idest per modum non entis, ideò hoc modo nullum interuenit ens rationis, quia nulla est fictio; indirectè cognoscun-

tur

tur per modum entis iudicio quodam diuisiuo, vt quandò attingimus cæcitatem, idest concipiendo in oculo non esse potentiam visiuam, & hoc modo etiam cognoscuntur à Deo, sed ex hac cognitione non sequitur, fieri ens rationis.

Obijc. quartò contrà secundam cõclusionem: Ens rationis à nobis factũ ità dependet ab actu nostri intellectus, vt sibi repugnet dependere ab alia cognitione, sed si Deus cognosceret huiusmodi ens rationis, sequeretur talis repugnantia, ergò, &c.

Resp. Distinguendo Maior. vt sibi repugnet dependere ab alio actu in esse, & in fieri, concedo; in cognosci speculatiuo modo, nego; nam, &c. Sic applica ad minorem, & inuenies falsam consequentiam.

Obijc. quintò, Deus cognoscendo fictiones nostras cognoscit etiam figmenta, quæ sunt earum obiecta, sed illa figmẽta cognoscuntur ad modum entis, ergò sic cognoscuntur à Deo, & consequenter Deus facit ens rationis, quia ens rationis est cognoscere non ens ad modum entis.

Resp. Distinguendo minorem, ab intellectu creato, concedo; ab intellectu diuino, nego; nam Deus cognoscit immediatè illa figmenta sicuti sunt, quia videt esse figmenta, & entia rationis; tamen potest dici, quod mediatè cognoscat illa per modum entis, quatenus videt sic esse obiecta nostrorum actuum.

Obijc. sexto; Si sic, ergò efficeret ens rationis; sequela probatur, nam tale ens rationis à nobis factum, vt esset à Deo cognitum, reciperet nouũ esse obiectiuum, ergò, &c.

Resp. Negado sequelã; Ad probat. distin. antecedens, reciperet nouum esse obiectiuum extrinsecum, concedo; intrinsecum, nego; nam tale esse obiectiuum esset tantùm extrinsecè, quale est illud, quod conuenit etiam entibus realibus, non autem intrinsecum, & formale, quod solùm constituit ens rationis, vt dictum est; & ideò licèt illud esse obiectiuum primi generis pendeat à solo intellectu diuino, non idcircò dicuntur fieri ab eo entia rationis, sed tantùm facta cognosci.

Obijc. septimo; Si Deus cognoscit ens rationis ab homine factum, ergò illud cognouit ab æterno, antequam efficeretur ab intellectu creato, ergò ex vi istius cognitionis efficeret ens rationis; hæc vltima consequentia patet, quia tale obiectum non haberet esse in se, nec posset habere, ergò solùm habet esse obiectiuum in intellectu diuino.

Resp. Negando secundam consequentiam; nam Deus eo modo cognoscit res ab æterno, quo sunt pro differentia temporis, sed cum tale ens rationis numero nullũ habeat esse futurum, nisi fictum ab homine, ideò eodem modo fuit cognitum ab æterno, & sic actus Dei non terminatur immediatè ad ens rationis factibile, vt sic, sed factibile à tali intellectu.

Obijc. octauo, Facere, & cognoscere ens rationis sunt formaliter idẽ, ergò si Deus cognoscit tale ens rationis, sequitur, quod facit.

Resp.

Resp. Distinguendo antecedens; facere, & cognoscere practicè, concedo; speculatiuè, negò; nam, &c.

QVAESTIO IX.

An ens rationis habeat proprias proprietates, & quæ sint?

PRima conclusio. Ens rationis habet proprias proprietates in suo ordine. Est Scoti in 4. d. 1. q. 2. litt. I, & quæst. 6. vniuersalium. Probatur, nam ens rationis habet suo modo essentiam, ergò etiam proprietates ab ea fluentes ei proportionatas; Consequentia sequitur, quia passiones concomitantur propriam essentiam.

Secunda conclusio. Ens rationis in communi habet suo modo omnes illas proprietates, quæ conueniunt enti reali in communi, ad modum cuius concipitur; entia rationis in particulari habent proprietates illorũ entium, ad quorum instàr concipiuntur. Prima pars probatur, & simul explicatur; nam ens reale in communi habet proprietates simplices, vt vnum, verum, bonum, & proprietates disiunctas, vt contingens, necessarium, idem & diuersum, finitum, & infinitum, sed omnia ista possunt suo modo adaptari entibus rationis, ergò, &c. Minor patet, nam ens rationis in se est vnum suo modo, quia est in se indiuisum, & à quocumque distinctum, est etiam in se verum in essendo, si veritas, quæ est passio entis, declaratur per ordinem adæquationis rei ad intellectum, atq; ideò habet propriam intelligibilitatem; est etiam bonum, nam sæpè videmus voluntatem ferri in bonum apparens, & fictum; possunt etiam suo modo applicari proprietates disiunctæ, scilicet, finitum, & infinitum, &c. quia possumus concipere Deum ad modum venerabilis Senis semper durantis, & infinitæ virtutis.

Secunda pars etiam declaratur; nam proprietates entium rationis debent correspondere suo modo illis rebus, ad quarum instàr concipiuntur; ideò si concipiantur ad modum substantiæ, habebunt proprietates substantiæ, si ad modum accidentis, accidentis, si ad modum relatiui, non habebunt proprietates absolutorum, sed relatiuorum, si ad modum entis absoluti, absoluti, ergò, &c.

Obijc. primò, contrà primam conclusionem; proprietas ità se habet circà subiectum, quod ex natura rei distinguitur ab illo, fluit ab eius quidditate, & est minus ens illo subiecto, sed nullæ proprietates sunt huiusmodi circà ens rationis, ergò, &c. Minor patet, nam non possunt distingui ex natura rei ab ente rationis, cum non existerent à parte rei; nec possunt fluere ab eius quidditate, cum ens rationis nullam habeat efficientiam, nec possunt esse minus ens ente rationis, quia quod est minus ens ente rationis est nihil, ergò, &c.

Resp. Distinguendo minorem; simpliciter, concedo; secundùm quid, nego; nam conditiones conueniunt pas-

passionibus realibus simpliciter, tamen secundùm quid possunt conuenire passionibus rationis, quia suo modo possunt concipi, vt fluant ab essentia entis rationis, & quod ab illo ex natura rei distinguantur; quod verò sit minus eo, non sequitur esse nihil, quia sicut in entibus realibus dătur gradus in essendo, vt accidēs est minus ens substantia, tamen non est nihil, ita suo modo admitti debent in entibus rationis, cum debeant concipi ad instar eorum.

Obiic. secundo Contrà secundam conclusionem, probando, quod entia rationis nō habeant propriam veritatem, & intelligibilitatem; nam intelligibilitas est passio entis realis, ergò non entis rationis. Item obiectum concurrit cum potentia ad conproducendam sui notitiam, sed ens rationis non potest partialiter producere sui notitiam, quia talis est ens reale, ergò, &c.

Resp. Distinguendo antecedens, intelligibilitas motiua, concedo; terminatiua tantùm, nego; vel intensè, & primò, concedo, remisse, & secundò, nego; nam &c. Ad aliud distinguo maiorem, obiectum motiuum, concedo; terminatiuum tantùm, nego; nam, &c.

Obiic. tertio, De entibus rationis fictis non datur scientia, quia talia entia rationis non habent certam naturam, de qua sit demonstrabilis determinata passio, cum non habeant fundamentum à parte rei, ergò non sunt per se intelligibilia: Item Scotus quolib. 3. ab initio docet, entia rationis merè ficta non esse per se intelligibilia.

Resp. Distinguendo antecedens, vt sic absolutè, negò; comparatiuè, concedo; nam quando dicitur, quod de illis non habetur scientia, non intelligitur absolutè, sed comparatiuè ad alia entia rationis fundata, quatenus de illis non potest esse scientia in tali gradu certitudinis, qualis habetur de entibus rationis fundatis; & hoc modo respondetur ad Scotum in loco citato.

Obiic. quarto, Si ens rationis est intelligibile, vel cognoscitur per propriam speciem, vel per speciem entis realis; non primum, quia non est obiectum motiuum; nec secundum, quia species disparata non potest causare notitiam obiecti disparati, ergò tantò magis per speciem entis non possumus venire in cognitionem entis rationis.

Resp. Ens rationis cognosci per speciem entis realis, sicut materia per analogiam ad formam; vniuersalia, & transcendentia per species inferiorum, in quibus continentur, & relationes per species absolutorum, in quibus fundantur, vt hircocervus per species hirci, & cerui; & vniuersaliter per analogiam ad ens reale.

Dices, Species vnius obiecti disparati non potest causare notitiam alterius disparati, nam species hominis non potest causare notitiam Leonis, ergò, &c.

Resp. Distinguendo antecedens, si non continet illud, concedo; si aliquo modo continet, nego; nam ens

M reale

reale aliquo modo continet ens rationis saltem fundamentaliter, & virtualiter, ideò species entis realis, licèt sit repræsentatiuum formale solius entis realis, tamen est repræsentatiuum virtuale etiam entis rationis, & secundariò dat eius cognitionem; non est sic dicendum de homine respectu Leonis, quia species hominis nullo modo continet Leonem: Item species albedinis est virtuale repræsentatiuum similitudinis in ea fundatæ, quamuis sit alterius generis, ergò, &c.

Not. Ens rationis, quandò cognoscitur cognitione directa per speciem entis realis, non cognoscitur sicuti est, quia cognoscitur per speciem alienam; quandò verò attingitur cognitione reflexa, tunc cognoscitur sicuti est, & nullo modo concurrit species entis realis; Sed tota. actiuitas est tribuenda virtuti reflexiuæ intellectus ex Scoto q.3. vniuersalium ad tertiũ, & Mauritius ibidem.

Obijc. quintò, Obiectum est mensura cognitionis, quia tota perfectio cognitionis mensuratur ex obiecto, sed ens rationis non potest esse mensura cognitionis, quæ est ens reale, quia mensura est perfectior mensurato, ergò neque est cognoscibile.

Resp. Distinguendo minorẽ, quoad perfectionem, concedo; quoad veritatem, nego; nam licèt ens rationis non possit esse mensura suæ cognitionis quoad perfectionem, potest tamen esse mensura quoad veritatem, & ideò cognitio dicitur relatio actus conformitatis ad obiectum.

Obijc. sexto, Cognitio dicit relationem realem ad obiectum ex Scoto quol.3. sed relatio realis requirit terminum realem, ergò &c. Item obiectum specificat cognitionem, quæ cum sit realis debet habere specificatiuum reale, ergò, &c.

Resp. Distinguendo minorem, relatio realis prædicamentalis concedo; transcendentalis subdistinguo, semper, nego; aliquando, concedo; nam in relationibus transcendẽtalibus (qualis est ista) non inconuenit esse ad terminum non realem, quia earum realitas potiùs est sumenda à fundamento, quàm à termino; Item in notitia abstractiua datur relatio realis attingentiæ ad obiectum non existens, vt habet Scotus in loco citato; ita dicendum erit in notitia entis rationis: Ad aliud dicimus, quod obiectùm specificat cognitionem non intrinsecè, sed tantùm extrinsecè, ideò hoc munus potest suo modo etiam conuenire enti rationis; & sic talis cognitio dicitur intrinsecè realis, & extrinsecè rationalis.

QVAESTIO X.

De diuisione entis rationis.

PRima conclusio. Ens rationis non rectè diuiditur in relationem, negationem, & priuationem; est contra omnes Thomistas, & Neutericos recentiores oppositum sustinentes; Probatur, nam negatio & priuatio verè dantur à parte r[e]

ergò

ergò nō sūt formaliter entia rationis; Antecedens patet, nam nullo intellectu cogitante lapis non est videns, aer est tenebrosus, quæ se habent, vt negatio, & priuatio, ergò, &c.

Si dicas cum Suarez, quod hìc non sumuntur negatio, & priuatio secundùm se, quatenùs, scilicet, sunt amotiones entium realium, quià sic reperiuntur à parte rei, sed sumuntur quatenùs concipiuntur ad modum formę positiuæ, vt cùm intellectus concipit in aëre tenebras tamquàm formas positiuas tollentes lucem; sed

Contrà; negatio vel priuatio concepta hoc modo non est formalitèr negatio, vel priuatio, sed forma positiua ficta; ergò vt tales non sunt entia rationis; Item intellectus est, qui format ens rationis fingendo illud ad modum entis positiui, & etiàm ipsas negationes, & priuationes reales, ergò nullum datur ens rationis negatiuum, sed omne est positiuum.

Secundò probatur, quod sit diminuta; nàm prætèr relationem, negationem, & priuationem dantur alia entia rationis, ergò non rectè diuiditur in illas tres species: Antecedens patet, nàm hircocerutus, chimera, & similia sunt verè entia rationis, sed ista ad nullum istarum reducuntur, non ad relationem, quià dùm finguntur non concipiuntur per modum relationis ad aliud; nèc ad priuationem, quia non concipiuntur per modum carentiæ in subiecto apto, vt solet fingi priuatio; neque ad negationem, quia non concipiuntur per modum carentiæ in subiectò inepto; chimera enim, v. g. non dicit carentiam, sed aliquod positiuum, scilicet, quoddam animal compositum ex homine, & Leone.

Respondet Suarez, quod omnia ista figmenta comprehenduntur sub negatione, quia sunt simpliciter non entia, sicut est negatio; sed

Contrà, ergò relationes rationis etiam continerentur sub negatione; sequela sequitur, quia sunt simpliciter non entia.

Respondent alij, quod hæc similia entia rationis sunt ficta sine fundamento, & ideò non includuntur in tali diuisione, quæ solùm est entium rationis, habentium fundamentum in re, & sic saluant sufficientiam illius diuisionis, sed

Contra, negatio extrà genus, quādò cōcipitur velutires per se existens, est verè ens rationis per Aduersarios, sed talis non habet fundamentum in re, vt patet, ergò, &c. Item chimera, & similia non carent omni fundamento, vt animal conceptum vt compositum ex homine, & Leone, ergo, &c.

Secunda conclusio. Ens rationis debet diuidi sicut ens reale, ad modum cuius concipitur; Colligitur ex Scoto quæstione sexta vniuersalium in fine. Probatur, quicquid simpliciter est in entibus realibus, secundùm quid inuenitur in entibus rationis, ergò qualis est diuisio simpliciter entis realis, talis erit secundùm quid diuisio entis rationis; Item ens rationis inuestigatur per analogiā ad ens reale, ergò sicut in tantùm habet esse, in quantùm concipitur ad modum entis realis, ità in tantùm diuiditur, in

quantùm cõcipitur diuidi ad modum entis realis, & consequenter diuiditur sicut ens reale; ideò sicut ens reale diuiditur in substantiam, & accidens, accidens in absolutum, & respectiuũ; accidens absolutum in quantitatem, & qualitatem, respectiuum in intrinsecùs, & extrinsecùs aduenieus; ità ens rationis diuiditur in substantiam rationis, & accidens rationis; hoc in absolutum, & respectiuum rationis, & hoc in intrinsecùs, & extrinsecùs aduenieus rationis.

In singulis prædicamentis formantur entia rationis ab intellectu; nam in substantia concipiuntur chimeræ, & similia monstra, quæ finguntur vt in se subsistentia, non verò vt alijs adiacentia; In quantitate spatium imaginarium extrà cælum, & ipsam quantitatem molis imaginatam in chimera; In qualitate famam, & honorem, vt dispositiones conuenientes personæ honoratæ; In relatione ipsas denominationes extrinsecas in rebus denominatis per modum correlationis, vt relationem cogniti ad cognitionem; In Actione, & Passione, cùm cogitamus ignem torquere animas, & in eas agere actione corporea, & ipsas animas torqueri passione consimili; In Vbi, cùm cogitamus Deum replere hunc mundũ ad modum corporis; In situ, dum concipimus ipsum Deum stare, vel sedere in cælo; In Quando, dum concipimus ipsum durare infinito spatio temporis; In Habitu, dum concipimus esse amictum lumine tamquam vestimento; Ex his clarè colligitur, quod præter ens rationis respectiuum, quod tantùm admittunt veteres Scotistæ, etiam ens rationis absolutum necessariò debent concedere, vt etiam habetur expresè ex Scoto in 1. d. 36. quæst. vnica, litt. G.

Tertia conclusio, Ens rationis in tota sua amplitudine diuiditur in fundatum, & non fundatum. Probatur, & simul explicatur; ens rationis fundatum est, quandò intellectus habet aliquam occasionem ad faciendũ illud ens rationis, v.g. quia intellectus scit creaturam dicere ordinem ad Deũ Creatorem, putat in Deo esse aliquam relationem; similiter dicendum de obiecto viso in ordine ad oculum videntem; ens rationis non fundatum est illud, quod fit ab intellectu fingente sine vllo fundamento, vt chimera, & similia.

Not. per fundamentum entis rationis non accipitur illud ens reale ad modum cuius concipitur, quia tunc omnia entia rationis haberent fundamentum in re; nam intellectus ex appræhensione rerum naturalium sumit occasionem fingendi illa monstra, quæ numquam cogitaret ens rationis, nisi prius cognouisset ens reale; nec illud ens reale, de quo ens rationis prædicatur, vt genus de animali, species de homine, quia ens rationis potest tribui alicui subiecto sine fundamento, vt si intellectus tribueret homini intentionem generis, & non speciei, ergò fundamentum entis rationis dicit aliquod aliud præter subiectum, idest dicit illam occasionem tribuendi tali subiecto tale ens rationis, ideò fundamentum entis rationis non debet confundi cum eius subiecto,

cto, quia potest accidere, quod intellectus formet ens rationis cum fundamento absque subiecto, vt spatium imaginarium, cogitatum per modum cuiusdam extensionis, existimatur ens rationis cum fundamento, quia intellectus habet occasionem à parte rei ità concipiendi illud, & non alio modo, & tamen nulli enti reali putatur adiunctum de quo prædicetur; ex his sequitur, quod per fundamentum entis rationis intelligitur quædã specialis occasio, vt motiuum vrgens intellectum ad excogitanda entia rationis tali, vel tali modo fingenda; itaut intellectus non temerè, & merè gratis, sed occasione desumpta ex ipsis proprietatibus rerum format ens rationis; hæc est communis explicatio Scotistarum; ideò ens rationis fundatum distinguitur à figmento, seù à non fundato, quia primum sumitur originaliter, seù occasionaliter à proprietate in re; secundum verò non.

Non rectè Thomistæ, & veteres Scotistæ deduxerunt, sola entia rationis fundata esse vera entia rationis, cũ eorum cognitio sit scientifica, & potest scientijs deseruire, quod non est dicendum de non fundatis; quia si ens rationis est illud, quod solùm habet esse obiectiuum in intellectu, sequitur, quod fictitia magis videntur participare de ente rationis, cum magis pendeãt à virtute fictiua intellectus, & magis distent ab ente reali; quod verò non possint ità deseruire in scientijs sicut fundata, hoc nihil obstat ad rationem entis rationis.

Obijc. primo, Contrà primam conclusionem. Aristoteles 4. Meth. c. 2. & 5. & 5. Meth. enumerat priuationes, & negat inter entia, sed non inter entia realia, ergò rationis: Minor patet, quia ab ipso vocantur non entia.

Resp. Quod negatio, & priuatio in se sunt entia rationis fundamentaliter tantùm, quatenus possunt præbere intellectui occasionem efformãdi illas in entia rationis, illis tribuendo esse positiuum, & in hoc sensu Aristoteles enumerat illas inter non entia.

Dices, Negatio, & priuatio licèt vt sunt à parte rei non sint entia rationis formaliter, tamen, quando à nobis concipiuntur vt formæ positiuæ, participant formaliter rationem entis rationis, ergò negationes, & priuationes sunt verè entia rationis.

Resp. Distinguendo consequens, secundùm se, nego; vt conceptæ per modum formæ positiuæ, concedo; nam negatio, & priuatio secundùm se non sunt entia rationis formaliter, sed præcisè, vt conceptæ per modum formæ positiuæ, & sic illud esse positiuum tributum ab intellectu est formaliter ens rationis, non verò secundùm se.

Obijc. secundò, Contrà secundam conclusionem; nam non debemus ponere tantam distinctionem inter ea, quę finguntur ad modum entis, quanta est inter entia ipsa simpliciter, sed entia simpliciter distribuũtur per omnia genera, ergò, &c. Item substantia, quantitas, &c. differunt genere generalissimo, & habent decem modos essendi primò diuersos, sed omnia entia rationis habent vnum modum essendi, scilicet ficti, ergò, &c.

Resp.

Resp. Distinguo maiorem; simpliciter, & absolutè concedo; secundùm quid, nego; nam non debemus ponere tantam distinctionem simpliciter, sed tantam secundùm quid, & proportionaliter; sicut inter hominem, & leonem pictos non reperitur simpliciter tanta distinctio, quanta est inter illos, vt veros, tamen reperitur tanta secundùm quid, & proportionaliter ad illos veros. Ad secundum dicimus, quod sicut intrà latitudinem entis realis dantur varij gradus essendi, ità proportionaliter dicendum est de ente rationis; nam substantia rationis est perfectius ens accidente rationis, quia concipitur ad instar perfectioris entis; quando dicitur, quod omnia entia rationis habent vnum modum essendi, scilicet fictum per rationem, dicimus quod est verum de ente rationis communissimo, & transcendenti, non autem de specifico, sicut etiam entia realia dicuntur habere vnum modum essendi, quatenus omnia existunt præter opus intellectus.

Obijc. tertiò, Scotus quæst. 11. Prædicamentorum, constituit Prædicamentum entium rationis, quod à Scotistis appellatur vndecimũ Prædicamentum, ergò non debet diuidi ad instar entis realis.

Resp. Quod Scotus ibi mouet dubium, an entia rationis reducantur ad prædicamenta realia, an verò constituant proprium prædicamentum, nec ibi aliquid resoluit, sed pro vtraque parte disputat, ideò &c. possumus dicere, quod constituatur vnum prædicamentum pro omnibus entibus rationis, quod sit ens rationis in tota sua amplitudine, sicut potest constitui vnum prædicamentum pro omnibus entibus realibus, quod sit ens reale finitum, ideò sicut distribuuntur entia realia; ità similiter entia rationis, seruata tamen proportione.

Obijc. quartò, Contrà tertiam conclusionem, probando omnia entia rationis esse fundata; nam intellectus formando entia rationis semper sumit occasionem à rebus, non enim possumus fingere hircoceruum, v. g. nisi prius intelligeremus seiunctim hircũ, & ceruum, ergò, &c.

Resp. Negando antecedens. Ad probationem dicimus, quod licèt per fundamentum entis rationis intelligamus occasionem, à qua mouetur intellectus ad fingendum, tamen non quamcumque occasionem, sed tantum proximam, & vrgentem, nam si sit remota, & leuis non propriè censetur fundamentum (ex communi modo loquendi) entis rationis fundati, sicut in moralibus, quando aliquis iudicat de proximo suo, motus ab aliquo motiuo, si tamen motiuum non est vrgens, sed parui momenti, tunc illud iudicium dicitur temerariũ, & sine fundamento; talis est occasio, à qua mouetur intellectus ad formandum hircoceruum, scilicet leuis, & remota, sicut remotè tantùm fundatur in rebus, scilicet ratione suarum partium, non ratione totius; immò figmentis vt sic nihil correspondet à parte rei, nec proximè, nec remotè.

Dices, Partes correspondent figmento, ergò, &c.

Resp.

Resp. Negando antecedens; nam ratione partium non est figmentum, sed tantùm ratione vnionis earũ partium, cui vnioni nulla possibilitas correspondet à parte rei; ideò hircoceruus, vt talis nullam habet occasionem in rebus nec proximam, nec remotam.

Quæritur primò, Quid est prima intentio?

Resp. Est obiectum actu cognitum per actum rectum, aut reflexum, aut collatiuum secundùm aliquod attributum conueniens illi antè operationem intellectus; vt si quis concipit hominem, & animal actu recto, scilicet, intelligendo quod sint, vel actu reflexo, scilicet intelligendo se intelligere, vel illa intelligere, vt à se cognita; vel actu collatiuo, scilicet intelligẽdo hominem participare essentialiter naturam animalis; & animal non includere essentialiter naturam hominis, nihil concipitur in casu actu collatiuo, quod homini, & animali non conueniat à parte rei; & hæc est prima intentio obiectiua; actus verò, quo intellectus cognoscit hominem, & animal, est prima intentio formalis, siuè sit rectus, siuè reflexus, siuè collatiuus.

Quæritur secundò, Quid est secunda intentio?

Resp. Est respectus rationis inter duo obiecta, vel plura, ad inuicem cõparata in aliquo attributo rationis, fictо ab intellectu per modũ relationis mutuæ inter illa secundùm exigentiam, & aptitudinem. Colligitur ex Scoto in primo d. 25. quæst. vnica; dicitur respectus rationis, quia cùm sit relatio rationis exigit duo extrema, vnum in quo est subiectiuè, & ipsum denominat, & dicitur fundamentum, & aliud ad quod refertur, & dicitur terminus, vt v. g. genus est vna secunda intentio fundata in animali cognito, & terminata ad hominem cognitum, equum cognitum, &c. dicitur secundùm exigentiam, & aptitudinem, quia si non præsupponeret talem aptitudinem, tùm sequeretur, quod intellectus posset fundare quamlibet secundam intentionem super quamlibet primam intentionem, & consequenter nulla esset ratio, quarè in homine magis fundatur species, quàm genus.

Not. Intentio licèt primò, & principaliter accipiatur pro tendentia, seù pro actu intellectus in obiectum cognitum, tamen quia actus dicit ordinẽm ad obiectum, hinc est, quod ob penuriam vocabulorum etiam obiectum à Philosophis appellatur intentio, eò quod intellectus tendit ad obiectum, & ipsum obiectum terminat tendentiam intellectus; Intentio (prout hìc sumitur) est duplex, scilicet formalis, & obiectiua; intentio formalis est ipsemet actus intellectus tendens in obiectum; intentio obiectiua est ipsummet obiectum, in quod tendit intellectus; vtraque intentio est duplex, scilicet prima, & secunda; hìc non loquimur de secunda intentione pro formali, quia omnes fatentur hanc esse realem, quæ est actus ipse intellectus, quo secundariò tendit in obiectum, sed loquimur de secunda intentione, obiectiua.

Quæ-

Quaeritur tertiò, Per quem actum intellectus fiunt secundæ intentiones?

Resp. Quòd secundæ intentiones materialiter sumptæ derelinquuntur per actum collatiuum intellectus cōparantis vnum obiectum ad aliud, formaliter verò fiunt per actum reflexū, quo talis comparatio passiua concipitur in obiectis comparatis ad modum veræ relationis, & mutuæ inter illa. Ex Scoto in 2. d. 1. q. 1. ar. 2.

Quaeritur quarto, An solus intellectus possit efficere secundas intentiones?

Resp. Quod voluntas (cum sit potentia collatiua) etiam potest efficere secundas intentiones, ergò non solum intellectus.

DISPVTATIO
DE VNIVERSALI.

QVaeritur primo, An cognitio vniuersalium, secundùm ordinem traditum à Porphirio, sit necessaria ad doctrinam Aristotelis?

Resp. Quod duplex ex necessarium, scilicet simpliciter, & secundùm quid; necessarium simpliciter est illud, sine quo finis haberi non potest, vt cibus ad vitam; opera bona ad beatitudinem; necessarium secundùm quid, seù ad benè esse est illud, sine quo finis haberi potest, sed non ità commodè, vt equus ad iter agendum, ignis in hyeme; hoc supposito dicimus, quod huiusmodi cognitio est necessaria tantùm secundùm quid, seù ad benè esse ad doctrinam Aristotelis, quia potest haberi doctrina Aristotelis sine cognitione vniuersalium secundùm ordinem traditum à Porphirio, vt patet; nam doctrina Aristotelis fuit manifestata quam plurimis Philosophis perfectè, & vniuersalia non erant disposita à Porphirio secundùm hunc ordinem, ergò huiusmodi cognitio est tantùm necessaria secundùm quid, seù ad benè esse.

Quaeritur secundo, Hæc cognitio vniuersalium ad quæ est necessaria?

Resp. Ad Prædicamenta, ad definitiones, ad diuisiones, & ad demonstrationes, ad prædicamenta, quia in tota serie prædicamentorum agitur de generibus, & speciebus; ad definitiones, quia definitio, aut est quidditatiua, & sic componitur ex genere, & differentia; aut est descriptiua, & hæc componitur ex genere, & proprio, seù accidente, & definitum sem-

semper est species; ad diuisiones, quia diuisio, aut est generis in species, aut subiecti in accidentia, siuè propria, siuè communia: ad demonstrationes, quia medium in demonstratione est definitio, quæ constat ex genere, & differentia, & id quod demonstratur est passio, & id, de quo demonstratur, est species.

DISPVTATIO PRIMA

DE VNIVERSALI IN COMMVNI.

QVAESTIO I.

An Vniuersale sit ens?

Scotus quæst. 4. Vniuersalium mouet hanc quæstionem, & est prima in ordine ad hanc Disputationem, quia non entis nulla potest fieri inquisitio; igitur antequàm inquirat alia de vniuersali, examinat præsentem difficultatē, pro cuius intelligentia.

Notandum, vniuersale est multiplex, scilicet in causando, vt Deus; in cognoscendo, vt intellectus; in repræsentando, vt species intelligibilis; in distribuendo, vt signa vniuersalia; & in prædicando, & est illud, quod est aptum natum prædicari de multis, & de hoc loquimur; quod potest sumi dupliciter, vno modo primò intentionaliter, idest pro re extrà operationem intellectus, vt sunt naturæ ipsæ communes, scilicet homo, & animal; alio modo secundò intentionaliter, idest pro secunda intentione ab intellectu causata, quæ extra ipsum non existit, vt animal est genus, ly genus est vniuersale secundò intentionaliter ab intellectu formatum, & extrà ipsum non reperitur, & de hoc est sermo apud Logicum. His positis sit.

Conclusio. Vniuersale est ens. Est Scoti q. 4. Vniuersalium. Probatur, non entis, non est definitio ex Aristotele 7. Meth. sed vniuersale definitur, vt patet ex 1. Periherm. cap. 1. & alibi, ergo est ens.

Confirmatur, non ens non est ratio intelligendi ens, quia tunc ens intelligeretur esse non ens, sed vniuersale est ratio intelligendi quam plurima entia, nam intelligimus Petrum

sub ratione hominis, & hominem sub ratione speciei, ergo, &c.

Obijc. primò, Omne quod est ideò est, quia vnum numero est, ex Boëtio in Libello de Vnitate, & Vno, sed vniuersale non est vnum numero, quia sic esset singulare, ergò, &c.

Resp. Distinguendo maiorem, omne quod est &c. extrà intellectum existentia completa, concedo; in intellectu, nego; nam vniuersale non est extrà intellectum, ideò argumentum non currit.

Obijc. secundò, Omne quod est, aut est à natura, aut ab intellectu, sed vniuersale non est à natura, quia esset singulare, neque ab intellectu, quia esset figmentum, ergò, &c.

Resp. Quod vniuersale est ab intellectu; cùm dicitur, ergò est figmentum, negatur, quia est ab intellectu cum fundamento in re, scilicet effectiuè ab intellectu, materialiter, & originaliter à proprietate rei; figmentum verò est illud, quod est tantum effectiuè ab intellectu.

Obijc. tertiò, Omne quod non est singulare, aut prædicatur de singulari, aut est in singulari, sed vniuersale non est singulare, nec est in eò, nec prædicatur de eo, ergò est nihil: Maior est Aristotelis cap. de Substantia; Minor probatur, quia solum secundæ substantiæ dicuntur de primis, sed vniuersale non est secunda substantia, quia est accidens, ergò, &c. nec est in singulari, quia tunc singulare esset vniuersale, sicut quandò albedo est in pariete, denominat parietem album, &c, ità, &c.

Resp. Negando minorem; nam vniuersale est in primis substantijs originaliter, ideò non est necessè, vt ipsas denominet; nam anima brutorum originaliter est in semine, & tamen non dicitur semen simpliciter animatum, sic neque prima substantia dicetur vniuersalis; dicitur etiam de singulari; & cum dicitur, solæ secundæ substantiæ dicuntur de primis, dicimus, quod secundæ substantiæ considerantur secundò intentionaliter, & sic sunt accidentia intentionalia.

QVAESTIO II.

An vniuersale sit per se intelligibile?

Intelligibilitas est passio entis, & determinato, quod vniuersale sit ens; nunc verò in hac quæstione Scotus quærit, an sit intelligibile, quæ intelligibilitas potest dupliciter considerari, scilicet intensè, & prima, & est illa, quæ competit enti reali; remisse, & secunda, & est illa, quæ potest competere enti rationis. His positis sit

Conclusio affirmatiua. Est Scoti quæstione 5. vniuersalium; Probatur, vniuersale est definibile, ergò intelligibile; Antecedens est Aristotelis 1. Perihierm. Consequentia sequitur, quia quod habet definitionem, potest sciri secundùm illam. Confirmatur; quod est ratio intelligendi aliud est per se intelligibile, sed vniuersale est huiusmodi, ergò, &c. Minor patet, quia, vt inquit Scotus, omne quod intelligitur, intelligitur

sub

sub ratione vniuersalis, quia sub ratione singularis nihil intelligitur, ergò, &c.

Obijc. primò, Nihil est intellectu, quin prius fuerit in sensu, ex Philosopho lib. de Sensu, & Sensato, sed vniuersale non cadit sub sensu, ergò nec in intellectu, & consequenter nec intelligibile.

Resp. Quod Aristoteles ibi intellexit de rebus sensibilibus, quæ non possunt esse in intellectu, nisi prius fuerint in sensu, vniuersale verò non est sensibile, ideò nihil contrà conclusionem.

Obijc. secundò, Quod est per se intelligibile præsupponitur ab intellectu, sed vniuersale non præsupponitur, quia causatur ab illo, ergò &c. Maior patet, quia intellectus præsupponit suum obiectum intelligibile.

Resp. Negando maiorem; Ad probationem distinguo maiorem, intellectus præsupponit suum obiectum motiuum, concedo; terminatiuum, nego; nam obiectum motiuum est ens reale, quod verè, & propriè mouet intellectum ad sui cognitionem; obiectum terminatiuum habet tantum terminare actum intellectus; modò vniuersale est obiectum terminatiuū intellectus, non motiuum, ideò &c.

Obijc. tertiò, Vniuersale, & quælibet secunda intentio intelligitur per primas intentiones, ergò non per se. Consequentia sequitur, quia per se, & per aliud opponuntur.

Resp. Distinguendo consequens, si ly, per se, idem dicit quod absolutè, & sine adminiculo alterius, concedo; si idem dicit quod verè, & propriè, nego; nam vniuersale verè, & propriè intelligitur intellectione sibi cōpetente, licèt intelligatur per aliud, nempè per primas intentiones. Vel secundò, disting. consequens, non per se, prout opponitur per aliud, concedo; prout opponitur per accidens, nego; nam intelligibile per accidens est id, de quo non possumus formare conceptum verum, & positiuum, vt sunt negationes, & priuationes; vniuersale verò licèt sit intelligibile per primas intentiones, tamen de ipso possumus formare cōceptum verum, & positiuum, ideò est intelligibile per se, aliter enim pauca essent per se intelligibilia. Vel tertiò, vniuersale non intelligitur per se primò, sed per se secundò, sicut Petrus est per se risibilis, non autem primò, nec adæquatè, sed secundariò.

Dices, Intelligibilitas est passio entis realis, sed vniuersale est ens rationis, ergò &c.

Resp. Distinguendo maio. Intelligibilitas intensa, & prima, concedo; remissa, & secunda, nego; nam &c.

QVAESTIO III.

An Vniuersale habeat aliquam propriam passionem.

CONclusio affirmatiua, quæ passio est Prædicari de pluribus. Est Scoti quæst. 6. Vniuersalium. Probatur primò, vniuersale habet definitionem, ergò, & passionem. Consequentia sequitur, quia passio insequitur

quitur definitionem; Antecedens est Aristotelis primò Perhierm. & primo Post.

Secundò probatur; passio per se primò conuenit subiecto communi, per se secundò subiecto particulari, vt patet de passione hominis, sed prædicari de pluribus, in quo quinque vniuersalia conueniunt, primò inest vniuersali in communi, & per ipsum inest alijs quinque vniuersalibus, ergò est passio. Minor probatur, quia quinque vniuersalia prædicantur de pluribus, quia vniuersale in communi prædicatur de pluribus.

Obijc. primo, Si vniuersale habet passionem, aut illa passio erit vniuersalis, aut singularis; non singularis, quia tunc singulare esset conuertibile cum vniuersali, quod est inconueniens; non vniuersalis, quia tunc esset passio sui ipsius, ergò nullam habet passionem.

Resp. Quod illa passio est vniuersalis, cùm dicitur, ergò est passio sui ipsius, negatur hæc sequela, quia in casu non sumitur vniuersale, vt quid, sed vt modus, idest habet modum vniuersalis; nam idem est dicere, prædicabile, quod est passio, est vniuersale vt modus, ac si diceret, prædicabile, quod est passio, habet modum vniuersalis, & infert Scotus, quod illa prædicatio non est essentialis, & intrinseca, sed denominatiua, & extrinseca.

Obijc. secundo, Si vniuersale haberet passionem, tunc illa passio continebitur sub Proprio, quod est quartum prædicabile, sed hoc est inconueniens, ergò inconueniens est, quod habeat passionem. Maior patet, quia omnes passiones continentur sub Proprio, quod est quartum prædicabile. Minor probatur; Inconueniens est contentum sub specie conuerti cum genere, sed sic esset in casu, ergò inconueniens est, quod passio vniuersalis contineatur sub proprio, & consequenter non datur.

Resp. Negando minorem. Ad probat. distinguo maiorem, quando illud contentum est ens reale, concedo; quando est ens intentionale, seu rationis, nego; nam nullum est inconueniens in secundis intentionibus aliquod contineri sub specie, & conuerti cum genere; idem enim potest esse inferius, & superius secundùm earum diuersam indigentiam; & hoc ideò est, quia, cum secundæ intentiones sint exiguæ entitatis, non habent assignatam coordinationem, sicut entia realia, quorum repositum sub vno genere non potest reperiri sub alio, nec dici de alio genere. Vel secundò distinguo maiorem, continebitur sub proprio, vt modus, & denominatiuè, concedo; Quidditatiuè, nego; sed prima responsio est tutior.

Obijc. tertio, Nullum accidens est subiectum accidentis, sed vniuersale est accidens, ergò non est subiectum suæ passionis, quæ similiter est accidens. Maior est Arist. 4. Meth. Minor est Scoti.

Resp. Distinguendo maio. Nullum accidens reale, concedo; intentionale, nego; nam vniuersale est accidens intentionale, ideò, &c.

Obijc. quarto, Omnis passio est minus ens suo subiecto, sed quod est minus

minus ens ente rationis est nihil, ergò, cum vniuersale sit ens rationis, non habebit passionem.

Resp. Distinguendo minorem, in vltimo gradu, concedo; in aliquo gradu medio, nego; nam sicut in entibus realibus dantur gradus, ita in ente rationis, quo modo est passio vniuersalis.

QVAESTIO IV.

An vniuersale sit subiectum in Libro Porphirij.

VIso, quod vniuersale habet aliquas conditiones requisitas ad subiectum scientiæ, scilicet, quod sit ens, definibile, & quod habeat passiones de eo demonstrabiles, nunc verò Scotus quærit, an sit subiectum huius scientiæ: quotuplex sit subiectum, & quid sit patet in quæstione de subiecto totius Logicæ. Hoc posito sit

Conclusio affirmatiua. Est Scoti quæst. 7. vniuersalium, Diui Thomæ contrà Albertum Magnum ponentem hìc subiectum quinque vniuersalia. Probatur primò, illud est subiectum, quod habet conditiones requisitas ad subiectum, sed vniuersale est huiusmodi, ergò &c. Maio. patet, Minor probatur, nam conditiones subiecti sunt, quod subiectum habeat quid, & quia, quod habeat passiones demonstrabiles, & quod omnia considerata in scientia ad ipsum reducantur; sed vniuersale habet primam, quia definitur, & est ens; vt visum est in prima quæstione; habet secundam, scilicet passionem, quæ est Dici de, seu prædicari de pluribus; habet tertiam, quia nihil consideratur in hac scientia, cui non possit tribui ipsum vniuersale, vel saltem quod ad ipsum reducatur, ergò habet omnes conditiones subiecti.

Secundò probatur contrà Albertum; Vna scientia habet vnum subiectum, per quod ab alijs distinguitur, sed hæc scientia est vna, ergò &c. subsumo minorem, sed quinque vniuersalia non sunt vnum, ergò quinque vniuersalia non possunt esse subiectum.

Obijc. primo, In hac scientia determinatur de istis quinque sub propria ratione diuidendo, & definiendo quodlibet per propria sibi, nullam faciendo mentionem de vniuersali secundum se, ergò potiùs hæc quinque vniuersalia erunt subiectum, & non vniuersale secundum se, & in communi; Consequentia sequitur, quia potiùs illud, de quo agitur in aliqua scientia est subiectum illius sciētiæ, quàm illud, de quo non agitur, ergò &c.

Resp. Negando consequentiam; nam non fuit necessarium hìc definire vniuersale in communi, cùm sit sufficienter à Philosopho definitum in Lib. Perhier. & Post. In hac scientia, licèt detur definitio de quinque vniuersalibus, tamen datur sub ratione alicuius prioris, scilicet vniuersalis in communi.

Obijc. secundò, Subiectum debet adæquare omnia, quæ per se tractantur in scientia, sed vniuersale non est hu-

huiusmodi; quia non continet indiuiduum, nec speciem subijcibilem, cùm non sint vniuersales, ergò &c.

Resp. Negando minorem; Ad probationem dicimus, quod species subijcibiles, & indiuidua continentur sub vniuersali, non quia sint formaliter vniuersalia, sed quia terminant relationem vniuersalis, vt indiuidua terminant relationem speciei, species subijcibilis terminat relationem generis, ideò &c.

Quæritur. Vniuersale est nè subiectum in quantum intentio est, aut in quantum intentio applicabilis rei?

Resp. Quod vniuersale est subiectũ, in quantum est secunda intentio applicabilis rei.

Dices, Secunda intentio applicabilis rei est vnum per accidens; de quo non est scientia, sed subiectum debet esse vnum per se, ergò &c. Maior patet, nam secunda intentio est accidens; res est substantia, sed substantia, & accidens non faciunt vnum per se, ergò &c.

Resp. Negando maiorem; Ad probat. distinguo minorem, accidens reale non facit vnum per se cum substantia, concedo; intentionale, nego; nam vniuersale est accidens intentionale, quod facit vnum per se cum re.

Dices, Scotus quæst. 3. vniuersalium circà finem, inquit, se non debere tractare de vniuersali pro conceptu applicato rebus, quia sic esset per accidens, de quo non est scientia, ergò vniuersale non est subiectum, vt intentio applicata rebus.

Resp. Quod Scotus ibi intellexit non velle tractare de vniuersali pro intentione, & pro re æquè primò; sed quod tractando de intentionibus, consequenter tractat de rebus, quæ sunt eorum fundamenta, quod non debuit Scotus negare, cum hoc sit valdè necessarium. Vel secundò, de ente per accidens non est scientia, loquendo de accidente absoluto, vt de homine albo, concedo; de ente respectiuo, nego; nam accidens respectiuum non potest perfectè cognosci, nisi cognoscatur eius fundamentum, & tale est vniuersale, cuius fundamentum est res ipsa ad extrà.

Obijc. Vniuersale consideratur in Libris Topicorum, & in Metaphysica, ergò non potest esse subiectum adæquatum huius libri.

Resp. Distinguendo antecedens, eodem modo, quo consideratur in hoc libro, nego; diuerso modo, concedo; nam in Topicis determinatur de his vniuersalibus non ex sua natura, sed ad constituenda diuersa problemata; Metaphysica considerat vniuersale reale; in hoc libro considerantur vniuersalia intentionalia secundùm eorum naturam.

QVAESTIO V.

An vniuersale sit genus vniuocũ ad quinque vniuersalia?

SCotus q. 8. Vniuersalium quærit vnitatem istorum quinque vniuersalium in hoc, quod sunt vniuersalia, & mouet hanc quæstionem, an vniuersale, quod est subiectum, sit

vniuo-

vniuocum ad quinque vniuersalia, & sub qua ratione; pro qua sit.

Conclusio affirmatiua. Est Scoti, & omnium Logicorum contrà Albertum Magnum, ponentem vniuersale esse analogum. Probatur primò, quod sit genus, nam cui competit prædicari de pluribus differentibus specie, potest esse genus; sed vniuersali competit sic prædicari de istis quinque; ergò &c. Maior patet ex definitione generis: Minor etiam patet; nam ista quinque vniuersalia essentialiter inter se differunt; de quibus vniuersale in communi prædicatur, ergò &c.

Secundò probatur, quod sit vniuocum, nam illud, quod prædicatur de aliquibus secundum idem nomen, & eandem rationem, est vniuocum illis, sed vniuersale ità se habet ad quinque prædicabilia; ergò &c. Maior est Aristotelis cap. de Vniuocis: Minor probatur, quia omnia vocantur vniuersalia, & participant rationem vniuersalis, quæ est prædicari de pluribus, nam genus prædicatur de pluribus, similiter species, & sic de cæteris; ergò &c.

Obyci primò, Si vniuersale esset genus ad hæc quinque; ergò quodlibet istorum esset species, & sic genus esset species, quod est falsum, ergò &c. Item genus, quod est species vniuersalis prædicaretur de ipso vniuersali, & sic inferius prædicaretur de suo superiori, quod etiam est falsum, ergò &c.

Resp. Distin. sequelam, esset species, vt quid, nego; vt modus, concedo: Ad aliud per idem respondetur, nam vniuersale esset genus tantùm vt modus, non vt quid; nam vt quid est, quandò consideratur illud quod intelligitur, vt modus verò est, quandò consideratur illud, sub quo intelligitur, vt in ista propositione; genus est species, ly genus sumitur, vt quid, ly species, vt modus, sic etiam dicendum in illa propositione; vniuersale est genus.

Dices, Cui per se competit definitio, competit & definitum ex Arist. in Anteprædicamentis, sed generi relato ad vniuersale per se competit definitio speciei, ergò &c. Item vniuersali verè, & propriè competit prædicari de pluribus differentibus specie, quæ est definitio generis, ergò quidditatiuè esset genus, & non vt modus.

Resp. Negando minorem, nam generi vt genus est, non competit referri ad vniuersale, sed prædicari de pluribus differentibus specie; quòd postea referatur ad vniuersale, hoc ei competit extrà eius rationem, & per intellectum; ità similiter vniuersali per se non competit prædicari de pluribus differentibus specie; sed tantùm prædicari de pluribus; si postea illa plura differant specie, hoc ei competit extrà rationem vniuersalis, & sic cùm dicimus, vniuersale est genus, genus est species, ly genus dicitur de vniuersali vt modus, & denominatiuè, & similiter ly species de genere.

Obijc. secundò, Quodlibet istorum vniuersalium est vnum indiuiduum secundæ intentionis, & ipsius vniuersalis, ergò vniuersale non est genus ad illa. Antecedens communiter conceditur

ceditur, nam genus est hoc vniuersale, species est hoc vniuersale. Consequentia sequitur, quia illud, quod prædicatur de aliquibus, quæ differunt numero, potiùs habet rationem speciei, quàm generis, ergò &c.

Resp. Distinguendo antecedens, est vnum indiuiduum, vt modus, concedo; vt quid, nego; nam illa ratio indiuidui solùm eis tribuitur ab intellectu extrà eorum propriam rationem; vni enim, & eidem conceptui possunt conuenire plures rationes extraneæ, secundum quod diuerso modo considerantur.

Obiec. tertio, Quod vniuersale non sit vniuocum; nam quod prædicatur de suis inferioribus secundùm prius, & posteriùs est analogum non vniuocum, sed vniuersale prius dicitur de genere, quàm de specie, ergò non est vniuocum illis: Item vniuocum non prædicatur perfectiori modo de vno, quàm de alio, sed vniuersale perfectiori modo dicitur de specie, quàm de differentia, quia de specie prædicatur in quid, de differentia in quale.

Resp. Distinguendo maiorem, quod prædicatur, &c. non est vniuocum physicum, concedo; Logicum, nego; nam ad hoc vniuocum sufficit, quod habeat vnum nomen, & eamdem rationem communem suis vniuocatis. Per idem respondetur ad confirmationem.

Obiec. quarto, Vniuocum non prædicatur de suis vniuocatis secundùm magis, & minùs, sed vniuersale prædicatur de istis quinque secundùm magis, & minus, ergò &c. Minor patet, quia genus est vniuersalius, quàm species.

Resp. Negando minorem. Ad probationem dicimus, quod genus est maius, quia species, non verò magis; nam magis, & minus pertinent ad quidditatem; maius, & minus ad quantitatem.

Obiec. quinto, Vniuocatio secundarum intentionum sumitur ab vniuocatione primarum; sed in primis intentionibus, nihil est commune vniuocum substantiæ, & accidenti, ergò neque in secundis, & consequenter vniuersale non est vniuocum istis, cuius primæ intentiones sunt substantię, & accidentia.

Resp. Non determinãdo pro nunc, si substantiæ, & accidenti sit aliquod commune vniuocum à parte rei; dicimus tamen nunc ad maiorem, quod vniuocatio secundarum intentionum aliquando sumitur ab vniuocatione primarum, in quibus proximè fundantur, vt genus in animali, species in homine; ideò genus est vniuocum, quia animal, cui applicatur, est vniuocum; aliquando ab alijs secundis intentionibus, in quibus fundantur, & tunc illæ secundæ intentiones ad hoc, vt sint vniuocæ, sufficit vt sua inferiora in quibus fundantur sint vniuoca; Modò vniuersale in communi est vniuocum, non quia fundatur in aliqua prima intentione, quæ à parte rei sit vniuoca, sed quia per se primo respicit ista quinque, quæ conueniunt in vna ratione vniuersalis. Vel secundò dicimus, quod ad Vniuocationem alicuius secundæ intentionis

supræ-

supremæ sufficit vniuocatio in fundamentis suorum inferiorum, quæ vniuocatio est occasio, à qua intellectus mouetur ad constituendam vniuocationem in secundis intentionibus.

Resp. Ad maiorem, quod vniuersale non est creatum, nec increatum, sed tantùm productum ab intellectu; illa diuisio enim est de ente reali, ideò &c.

QVAESTIO VI.

An vniuersale sit accidens?

Accidens dupliciter potest sumi, primò pro omni eo, quod aduenit alicui extrà eius quidditatem, siuè hoc sit virtute agentis naturalis, siuè intellectualis, vt genus accidit animali, quia est extrà eius quidditatem; secundò pro omni eo, cuius totum esse est inesse alicui, & ab illo dependet in esse, & conseruari, vt albedo; pro quâ sit

Conclusio. Vniuersale est accidens primo modo, siuè est accidens intentionale. Colligitur ex Scoto quæst. 9. vbi supponit vniuersale esse accidens, & quærit in quo sit. Probatur. Quod aduenit alicui præter eius essentiam, est illi accidens, sed vniuersale aduenit rebus extrà earum quidditates, ergò est illis accidens. Maio. constat, nam albedo est accidens equo, quia aduenit ei præter eius quidditatem. Minor est clara, nam genus est extrà quidditatem animalis, ideò &c.

Obijc. Si vniuersale est accidens, aut est creatum, aut increatum; non secundum vt patet, quia solus Deus est increatus; nec primum, quia terminus creationis est ens reale, quia creatio est actio realis; sed vniuersale non est ens reale, ergò &c.

QVAESTIO VII.

An vniuersalia sint tantùm quinque?

Scotus in tota hac quæstione tantùm inquirit, vndè habeatur, vniuersalia esse tantùm quinque, quasi supponat ipsa non esse plura; & solum insistit probando sufficientiam vniuersalium. In secundis intentionibus, vt plurimum, pro ratione formali vtimur proprietate ipsa; nam teste Philosopho 7. Meth. vltimæ differentiæ nos latent, & si hoc dictum recipitur in entibus realibus, quantò magis in secundis intentionibus, in quibus difficile est assignare quidditatem, & coordinationem propriam, ideò in illis vtimur aliqua proprietate reperta loco propriæ differentiæ; pro qua sit

Prima conclusio; Vniuersalia non sunt quinque ex eo quia significant substantiam, vel accidens; conclusio est contrà aliquos, sic ponentes sufficientiam vniuersalium, & dicunt; Si vniuersale significat substantiam, aut totam, aut partem, si totam sic est species, si partem, aut materialem, sic est genus, aut formalem, sic est differentia; si accidens, aut conuertibile, sic est proprium, aut non conuertibile, & sic est accidens. Probatur

conclusio à Scoto impugnando hunc modum dicendi; Vniuersale, vt secunda intentio accidit substantiæ, & accidenti, ergò vniuersalia non distinguūtur penès significare substantiam, vel accidens.

Secunda conclusio. Vniuersale non distinguitur in ista quinque per ordinare ea, quæ sunt in vno genere in ordine ad aliud genus, vel in vno genere inter se: est contrà aliquos sic ponentes sufficientiam vniuersalium; Vniuersale aut est ordo vnius generis ad aliud, vt accidentis ad substantiam, scilicet accidentis conuertibilis, & sic est proprium, aut non conuertibilis, & sic est accidens commune; si est eiusdem generis inter se, aut est ordo directus secundùm sub, & suprà, & tunc sunt duo vniuersalia, scilicet genus, & species, aut est indirectus, & tunc est differentia. Probatur conclusio; nam dato quod vniuersale distinguatur hoc modo, tunc daretur sextum vniuersale, quia indiuiduum directè ordinatur secundùm sub, ergò falsus est iste modus dicendi.

Tertia conclusio. Vniuersale distingitur in quinque vniuersalia per prædicari in quid, vel in quale: Est Scoti quæst. 12. vniuersalium, & reiectis aliorum assignationibus ità ponit sufficientiam vniuersalium. Omne vniuersale prædicatur de pluribus, aut prædicatur in quid, aut in quale, si in quid, aut prædicat partem essentiæ, sic est genus, aut totam essentiem, sic est species; si in quale, aut in quale essentiale, sic est differentia, aut in quale accidentale, & hoc dupliciter, aut conuertibiliter, sic est proprium, aut non conuertibiliter, sic est accidens commune; & ità habetur vera ratio distinguendi ipsum vniuersale in quinque vniuersalia.

Obijc. primò, contrà primam conclusionem; Significare substantiam, vel accidens est maximè proprium vniuersalis, quia vniuersalia sunt conceptus rationis, quorum ratio est significari, ergò potiùs per significare, quàm per prædicare debent distingui.

Resp. Negando antecedens. Ad probat. dicimus, quod ratio conceptus non est significare, sed potiùs prædicare; significare enim est proprium vocis, non conceptus.

Obij. secundò, contrà secundam conclusionem; Hic liber est ordinatus ad Librum Prædicamentorum, vt diximus; sed Prædicamenta disponuntur per ordinari secundùm sub & suprà; ergò hæc vniuersalia debent sic disponi, & distingui.

Resp. Distinguendo maiorem, vniuersalia ordinantur ad Prædicamenta, vt aliquid accipiant ab illis, nego; vt aliquid eis tribuant, scilicet cognitionem prædicandi, concedo; nam potius Prædicamenta debent accomodari prædicabilibus, quàm è contrà. Vel secundò, ordinantur ad Prædicamenta non quatenùs ordinabilia, sed quatenùs prædicabilia; nam Prædicamenta prædicantur de pluribus, ideò debemus scire quid, & quotuplex sit prædicari.

Obijc. tertiò, contrà tertiam conclusionem. Aristoteles 1. Top. cap. 3. enumerat quatuor prædicabilia, scilicet genus, definitionem, proprium, & ac-

& accidens, ergò malè dicitur, quod sint quinque prædicabilia.

Resp. Negando consequentiam; nam prædicabilia diuerso modo considerantur hìc & ibi; in Topica enim considerantur quatenùs prædicant essentiam, vel non, & sic, vel conuertibiliter, vel non conuertibiliter; ideò ibi non ponitur species, quia species prædicat essentiam, sicut definitio; nec ponitur differentia, quia si est differentia inter media reducitur ad genus, si specifica ad definitionem; hìc verò sumuntur vniuersalia penès prædicari in quid, vel in quale; ideò hìc non ponitur definitio, quia non habet modum prædicandi, vel in quid, vel in quale, cùm sit multiplex, & quia diuerso modo considerantur prædicata hìc, & ibi, non est mirum si non ponantur ibi, sicut hìc.

Obijc. quartò, Quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur, & reliquum ex primo Topicorum, sed vniuersale, & singulare sunt opposita, ergò quot sunt singularia, tot vniuersalia, sed singularia sunt infinita, ergò &c.

Resp. Distinguẽdo maio. quot modis &c. Quoad significata, concedo; quoad supposita, nego; nam si vnum oppositum est æquiuocum habens plura significata, alterum oppositum, (si secundùm omnem significationem opponitur) tot etiam debet habere significata, vt patet de acuto & obtuso; nam acutum significat acutiem in voce, & in gladio; obtusum verò etiam significabit obtusitatem in voce & in re; sic etiam vniuersale aliud est in causando, aliud in prædicando, & aliud in repræsentando, ità potest distingui de singulari; non autem quot sunt supposita vnius oppositi, tot debent esse, & alterius, vt patet de rationali, & irrationali, de iusto, & iniusto.

Obijc. quintò, Ens prædicatur de pluribus in quid, & tamen nec est genus, nec species, ergò est concedendum aliud vniuersale, & sic sex sunt vniuersalia.

Resp. Negando consequentiam; nam ens est quoddam illimitatum, & transcendens, nos autem hìc loquimur de vniuersali limitato.

Obijc. sexto, Indiuiduum prædicatur de pluribus, vt Petrus est indiuiduum, Antonius est indiuiduum, ergò indiuiduum est vniuersale, & sic plura quàm quinque, &c.

Resp. Distinguendo antecedens, vt quid, nego; vt modus, concedo; nam indiuiduum vagum induit modum speciei.

Obijc. septimo, Quæ eodem modo prædicantur non sunt distincta vniuersalia, sed genus, & species eodem modo prædicantur, scilicet in quid, ergò &c.

Resp. Distinguendo minorem, si attendantur quoad ly in quid, concedo; si verò in ratione totius, & partis, nego; nam &c.

QVAESTIO VIII.

An vniuersale rectè diuidatur in quinque vniuersalia per prædicari in quid, & in quale?

IN præsenti quæstione non quærimus, per quod habeatur sufficientia vniuersalium, quia hoc supponitur in præcedenti quæstione; tantùm quæritur, an id rectè ponatur; pro qua sit

Conclusio affirmatiua; intelligitur conclusio de prædicari in quid, & in quale limitato, secundò intentionaliter, signatè, & propriè si respiciat inferiora; appropriatè si respiciat fundamenta. Probatur primò auctoritate Porphirij diuidentis ista quinque per prædicari in quid, & in quale ergò &c.

Secundò ratione; res per id rectius distinguuntur, per quod constituuntur, sed quinque vniuersalia constituuntur per prædicari de pluribus, ergò per illud rectè distinguuntur; Maior patet; nam idem est principium constitutiuum, & distinctiuum.

Obijc. primo, Membra diuidentia non debent excedere diuisum, sed prædicari in quid, & in quale excedunt vniuersalia, ergò non rectè diuidunt vniuersalia: Minor constat, quia ens prædicatur in quid, & suæ passiones prædicantur in quale: Item omnia decem Prædicamenta prædicantur in quid de suis inferioribus, ergò non solùm vniuersalia prædicantur in quid.

Resp. Negando minorem: Ad probationem dicimus, quod ens, & eius passiones prædicantur in quid, & in quale illimitatè, nos hic loquimur de prædicari limitatè. Ad confirmationem dicimus, quod prædicamenta non habent vnum modum diuersum prædicandi, vt prædicabilia sunt, quia omnia prædicantur ad modum generis, ideò &c.

Obijc. secundo, Nullum accidens prædicatur in quid, sed vniuersale est accidens intentionale, vt dictum est, ergò &c. Maior constat, nam accidens non dicit quid, sed quale, & rem denominat.

Resp. Quod maior est vera de accidente reali, non de accidente intentionali. Vel melius dicimus, quod accidens, siuè reale, siuè intentionale, vel ad subiectum, vel ad inferiora; si comparatur ad subiectum, sic de ipso prædicatur in quale, & denominatiuè; si ad inferiora, sic prædicatur in quid, vel prædicatione exercita, vel signata; Vndè in secundis intentionibus etiã est prędicatio exercita, vel essentialis si est superioris de inferiori, vel denominatiua; si est æqualis de æquali, vel inferioris de superiori, & hoc est priuilegium secundarũ intentionum; in primis enim intentionibus vna species opposita non prædicatur de altera nec prædicatione exercita, nec signata, nec essentialiter, nec denominatiuè; in secundis intentionibus licèt non possint prædicari ad inuicem essentialiter, tamen possunt denominatiuè.

Obijc.

Obijc. tertio, Accidens non est distinctum vniuersale ab alijs quatuor, ergò non sunt quinque vniuersalia, Antecedens patet, quia quodlibet istorum est accidens.

Resp. Negando antecedens. Ad probationem dicimus, quod omnia ista vniuersalia sunt accidentia, vt modus, seu pro extraneo; accidens verò quintum prædicabile est accidens, vt modus, & vt quid respectu sui fundamenti, in quo fundatur.

Obijc. quarto; Prædicari in quid est indifferens ad genus; & ad speciem, quia contrahitur ad illa per differentias oppositas, scilicet per differre specie, vel numero; similiter prædicari in quale in ordine ad alia tria, ergò prædicari in quid constituit vnũ vniuersale distinctum à genere, & à specie.

Resp. Quod prædicari in quid est æquiuocum, & ideò non constituit vnam speciem distinctam; sic dicitur de prædicari in quale.

Quæritur, quid est prædicatio exercita, & quid signata?

Resp. Prædicatio exercita est illa, quæ fit per hoc verbum substantiuũ, Est, vt homo est animal; Signata est, quæ fit per verba adiectiua, vt prædicari, dici, affirmari, negari &c. vt animal prædicatur de homine; ista verba adiectiua sunt termini secundæ intentionis, & per se ad ipsam pertinent; sed vt clara fiant, ponuntur tres regulæ, quarum

Prima regula, à prædicatione exercita ad signatam in terminis, siuè primæ, siuè secundæ intentionis tenet consequentia, terminis non mutatis, vt homo est animal, animal prædicatur de homine, genus est vniuersale, vniuersale prædicatur de genere.

Secunda, à prædicatione signata ad exercitam in terminis secundæ intentionis non tenet consequentia per se, nisi tales termini se habeant sicut inferiùs, & superiùs, vel sicut subiectum, & propria passio, vel sicut definitio, & definitum; non enim sequitur, genus prædicatur de specie, ergò species est genus, quia genus licèt sit communius ad speciem, tamen non est eius superiùs, nec definitio, nec passio, cum ambæ sint species oppositæ vniuersalis; & licèt hæc prædicatio sit vera, vniuersale est genus, genus est species vniuersalis, tamen non est per se, & vt quid, sed vt modus, & denominatiuè.

Tertia, à prædicatione signata in terminis secundæ intentionis ad exercitam in terminis primæ intentionis tenet consequentia, vt genus prædicatur de specie, ergò homo est animal, species prædicatur de indiuiduis, ergò Franciscus est homo. Ex quo colligitur, quod signatur in terminis secundæ intentionis, exercetur in primis, vt vniuersale prædicatur de pluribus, non potest sic exerceri, ergò illa plura sunt vniuersalia, sed homo, leo &c. sunt animal: Terminus enim primæ intentionis est ille, quo exprimitur res, quæ existit extra animam, vt hic terminus, homo, leo &c. Terminus secundæ intentionis est ille, quo exprimitur res in anima, vt ly, species, exprimit hominem cognitum,

genus

genus exprimit animal in intellectu, scilicet cognitum.

QVAESTIO IX.

Quanam est ratio formalis ipsius Vniuersalis?

MOuetur hoc quæsitum ex occasione ipsiusmet Aristotelis assignatis duas definitiones ipsius vniuersalis; vnam in primò Perhierm. cap. 5. Vniuersale est aptum natum prædicari de multis; aliam in primò Post. tex. 11. & in 2. t. 16. Vniuersale est esse in omni, seu in multis; nunc autem quæritur, quænam illarum sit formalis definitio vniuersalis, de quo loquimur, ideò sit

Conclusio. Prædicari de pluribus est propria definitio vniuersalis. Conclusio est Scoti, qui licèt quæst. sexta vniuersalium, inquirens passionem vniuersalis, non determinauerit, quid esset passio, quid ratio formalis ipsius vniuersalis; in resolutione verò quæstionis septimę expressè declarat, quod prædicari de pluribus sit propria eius ratio; & clarius in quæst. 12. in corpore; prædicari diuiditur in quid, & in quale tamquam in per se differentias. Probatur conclusio; Principium formale constitutiuum est principium formale distinctiuum, sed vniuersale, vt secũda intentio distinguitur ab alijs per prædicari de pluribus, ergò hoc est formale cõstitutiuũ ipsius vniuersalis: item prædicari est terminus secundæ intentionis, esse est terminus primæ intentionis, ergò vniuersale, vt secunda intentio rectiùs definitur per prædicari de multis, quàm per esse in multis.

Obijc. primò, Prædicari de pluribus est passio ipsius vniuersalis, vt diximus quæst. 4. ergò non est definitio eius, Consequentia sequitur, quia definitio distinguitur à passione.

Resp. Distinguendo antecedens, est passio vniuersalis, prout dicit aptitudinem ad prædicandum de pluribus, concedò; prout dicit principium, à quo fluit talis aptitudo, nego; nam non est inconueniens, quod idem possit esse passio, & definitio alicuius diuerso modo consideratum, vt hinnibilitas in equo prout dicit aptitudinem ad hinniendum dicitur passio; prout respicit principium, à quo fluit dicitur propria ratio formalis &c. & sic in casu: Vel secundò dicimus, quod in carentibus ratione formali, vtimur passione notiori pro propria ratione; tamen prima responsio est ad mentem Scoti.

Obijc. secundò, Vniuersale priùs habet esse in multis, quàm prædicari de multis, ergò definitio, quæ est per esse in multis est formalior, quam illa quæ est per prædicari de multis. Antecedens patet; nam ideò vniuersale prædicatur de multis, quia est in multis, ergò &c.

Resp. Distinguendo antecedens, vniuersale primò intentionaliter, concedo; secundò intentionaliter, nego; nam vniuersale formale, seu secundò intentionaliter primò habet prædicari, quia prædicari est terminus secundæ intentionis; vniuersale verò pro materiali,

teriali, seù primò intentionaliter primò habet esse; in, quia esse est proprium entis realis.

Dices; Ex Aristotele, ex eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, ergò ad esse sequitur prædicari.

Resp. Distinguendo consequens, in primis intentionibus, concedo; in secundis intentionibus, nego; nam vniuersale pro materiali, seù pro prima intentione priùs est in multis, deindè prædicatur de multis; vniuersale verò pro secunda intentione priùs prædicatur.

QVAESTIO X.

Quomodo istud vniuersale formale causatur ab intellectu.

INtellectus duplex est, scilicet, agens, & possibilis, vt fusè in Libris de Anima; intellectus agens, pro nunc, est ille, qui producit species intelligibiles; intellectus possibilis est, qui producit intellectionem, deinde circa ipsam intellectionem operatur; actus ipsius intellectus possibilis est triplex, scilicet rectus, collatiuus, & reflexus; & quilibet istorum potest sumi, & vt actiuus, & vt passiuus; Actus rectus actiuus est ille, quo intellectus intelligit aliquod obiectum in se, vt intelligo hominem; Actus rectus passiuus est illa cognitio passiua, qua obiectum actu dicitur cognitum. Actus collatiuus actiuus est ille, quo intellectus comparat vnum obiectum ad aliud, vt hominem ad animal; Passiuus est illa cognitio passiua, qua vnum obiectum actu cognitum comparatur ad aliud similiter actu cognitum. Actus reflexus actiuus est ille, quo intellectus reflectens suprà se cognoscit seipsum, vel cognoscit se intelligere, vel cognoscit suam intellectionem; Passiuus est illa passiua cognitio, qua intellectus à seipso dicitur cognitus, vel sua intellectio dicitur cognita. His positis sit

Prima conclusio: Vniuersale formale, seù secundò intentionale non producitur ab intellectu agente. Est Scoti 7. Meth. q. 11. & in quartò dist. 11 q. 2. contrà Thomistas, asserentes esse naturam specificam ab indiuiduis abstractam, repræsentatam per speciem intelligibilem; nam per ipsos illa species dicitur vniuersale in repræsentando, natura illa repræsentata dicitur vniuersale formale. Probatur conclusio; natura sic repræsentata est ens reale, sed vniuersale, de quo hìc loquimur, est ens rationis, ergò non producitur hoc modo; Maior patet, quia natura sic repræsentata præcedit actum intellectus possibilis, per quem fit ens rationis, vt patet in disputatione de ente rationis.

Secunda conclusio; Nec producitur ab intellectu possibili actu recto; est contrà aliquos Neotericos asserentes, vniuersale formale nihil aliud esse, quàm natura cognita actu recto. Probatur conclusio; Vniuersale dicitur tale per rationem vniuersalitatis, sed natura cognita actu recto non habet hanc

hanc rationem, scilicet aptitudinem ad dicendum de multis, ergò nec dicitur vniuersalis. Minor probatur; nam intellectus actu recto nihil de nouo addit naturæ; tantùm intelligit id, quod in ea præexistit; tum etiam intellectus prima appræhensione, nec est compositiuus, nec diuisiuus, sed tantùm facit naturam sibi præsentem in ratione obiecti, sicut est in se, sed secundùm se non est vniuersalis, de quo loquimur, imò nec aliquo modo per Aduersarios, tum etiam huiusmodi vniuersale est ens rationis respectiuum, ergò &c.

Tertia conclusio. Vniuersale formale, seu secundò intentionaliter producitur ab intellectu possibili actu reflexo suprà collatiuum. Colligitur ex Scoto loco citato. Prima pars probatur; nam tale vniuersale supponit intellectionem rei, sed hæc fit ab intellectu possibili, vt in Libris de Anima, ergò &c. Secunda pars probatur; nam vniuersale dicitur tale in ordine ad sua inferiora, sed hoc non potest fieri nisi per actum comparatiuum, ergò ad eius productionem præsupponitur actus collatiuus; quod producatur actu reflexo probatur; nam intellectus possibilis, postquàm actu comparatiuo comparauit vnum obiectum alteri obiecto, tunc posteà actu reflexo suprà obiecta comparata reperit naturam communem pluribus, quæ si differunt specie, tribuit ei obiecto illud vniuersale, quod dicitur genus; si differunt numero, tunc tribuit ei aliud vniuersale, quod dicitur species, & sic dicendum de alijs, ergò actu reflexo suprà collatiuum producitur vniuersale; pro maiori intelligentia huius quæstionis est videnda disputatio de Ente rationis in quæstione septima.

Obijc. primò, contrà primam conclusionem; Natura per contractionem fit singularis, ergò per abstractionem fit vniuersalis; Consequentia sequitur per rationem oppositorum; nam cum vni oppositorum assignatur vnus modus essendi, alteri debet assignari modus oppositus, sed abstractio, & contractio respectu naturæ opponuntur, ergò, &c. Item vniuersale est obiectum intellectus agentis, & possibilis, illius, vt actiui, illius, vt receptiui, ergò cùm recipitur in intellectu possibili, supponitur factum ab intellectu agente.

Resp. Distinguendo consequens, per abstractionem fit vniuersale primò intentionale, cuius consideratio spectat ad Metaphysicum, concedo; vniuersale secundò intentionale, & vltimò reponibile in esse vniuersalis Logici, nego; Vel secundò distinguendo maiorem probationis; si talia opposita opponuntur omnibus modis, concedo; si aliquo modo, & non omnibus, nego; nam vniuersale, & singulare non opponuntur omnibus modis, sed tantùm quia singulare est in vltimo actu, vniuersale verò non, ideò &c. Vel tertiò disting. maiorem, si vnum oppositum non requirit plura ad sui formationem, quàm alterum, concedo; si requirit plura, nego; nam natura, vt sit singularis sufficit contractio per differentiam indiuidualem; vt sit vniuersalis requirit vltrà abstractionem etiam aptitudinem,

nem, quæ resultat per comparationem, quæ fit per actum collatiuum intellectus; ideò &c. Ad aliud dicimus, quod obiectū intellectus agentis non est vniuersale, sed quidditas rei sensibilis; Vniuersale formale, seù secundò intentionale est effectiuè, & obiectiuè ab intellectu possibili; nam intellectus possibilis etiam est duplex, scilicet actiuus, & passiuus, actiuus, vt producit intellectionem, passiuus, vt recipit intellectionem; productio verò entis rationis, & vniuersalis secundò intentionalis spectat ad intellectum actiuum, non passiuum &c.

Obiic. secundò; Natura sic repræsentata est apta nata prædicari de pluribus, ergò sic est vniuersale formale; Antecedens constat, natura enim sic repræsentata est indifferens ad indiuidua, & participabilis ab illis.

Resp. Distinguendo antecedens, remotè, concedo; propinquè, nego; nam hoc fit per actum comparatiuum.

Obiic. tertiò, Ex 3. de Anima, Intellectus agens facit obiectum potētia intelligibile, actu intelligibile, ergò similiter facit potentia vniuersale, actu vniuersale.

Resp. Distinguendo consequens, facit vniuersale actu, spectans ad Metaphysicum, potest concedi; facit actu vniuersale formale, & vltimò reponibilem esse vniuersalis Logici, nego &c.

Obiic. quarto, contrà tertiam conclusionem; Intellectus actu comparatiuo nihil rationis intelligit, ergò per actum comparatiuum non fit vniuersale. Antecedens probatur, nam dum intelligitur natura in ordine ad inferiora, intelligitur natura, vt participabilis, sed hoc est à parte rei, ergò per actum comparatiuum nihil rationis intelligitur in natura comparata.

Resp. Distinguendo consequens; per actum comparatiuum præcisè nō fit vniuersale, concedo; per actum comparatiuum cum reflexo, nego; nam intellectus possibilis actu reflexo suprà comparatiuum producit vniuersale secundò intentionale, quia in obiectis comparatis reperit aliquam proprietatem communem pluribus, & ideò illis tribuit vniuersale secundò intentionale; & hoc vel est genus, vel species, secundùm exigentiam ipsius rei.

QVAESTIO XI.

An vniuersale (cùm sit accidens) sit in re tamquàm in subiecto?

IN præsenti quæstione non quæritur de vniuersali in se, nùm sit à parte rei, sed tantùm in intellectu, cùm de hoc in sequenti fiat sermo, sed de esse subiectiuo ipsius vniuersalis eo modo, quo potest ei competere, & ideò quærimus, an vniuersale, cùm sit accidens, ad differentia eius, quod potest quæri de ipso vniuersali, vt vniuersale est, vel vt secunda intentio, quæ omnia sunt formalitates, siuè rationes obiectiuæ; nunc verò vniuersale consideratur sub ratione accidentis tantùm; pro qua sit

P Con-

Conclusio. Vniuersale est in re, tamquàm in subiecto. Est Scoti q. 11. vniuersalium. Probatur, accidens est in eo, tamquam in subiecto, quod denominat, sed vniuersale, vt accidens est, denominat rem, ergò est in re tamquam in subiecto. Maior constat à posteriori; nam albedo, ideò denominat parietem album, quia est in illo tamquàm in subiecto. Minor est manifesta, nam species non denominat intellectum, sed hominē.

Not. quod per subiectum hic intelligitur largo vocabulo, scilicet omne id, quod fundat aliquid, quod propriè inhærere dici non potest. Item per Commentatorem primò de Anima, intellectus est, qui facit vniuersalitatem in rebus, ergò vniuersale, aut est in intellectu, aut in re; non in intellectu, quia est ab illo tamquàm ab efficiente, esse ab, & esse in, respectu eiusdem repugnat eidem, ergò in re.

Obijc. primo, ex tertio de Anima; Intellectus non agit extramittendo, cùm sit virtus passiua, sed vniuersale fit ab intellectu, ergò non est extrà intellectum, & consequenter non est in re, tamquàm in subiecto.

Resp. Distinguendo maio. intellectus non agit extramittendo extramissione reali, concedo; extramissione intentionali, nego; nam extramissio intentionalis fit per solam attributionem, quatenus intellectus tribuit rebus ipsis aliquam secundam intentionem, & sic vniuersale formale non est extrà intellectum primo modo, sed secundo modo, ideò &c. Vel secundò, vt dicit Mauritius, vniuersale formale est in rebus ipsis existentibus in intellectu; Vel tertiò, intellectus non agit extramittendo secundum esse effectiuum, concedo, secundùm esse subiectiuum, nego; nam sic secundæ intentiones habent esse in rebus, non in intellectu.

Obijc. secundò, Ex intellectu, & intelligibili fit verius vnum, quàm ex materia, & forma, ex Commentatore 3. de Anima, sed materia non est extrà formam, nec è contrà, ergò nec intelligibile extrà intellectū; & consequenter, nec vniuersale extrà intellectum, & sic non in re.

Resp. Distinguendo maio. fit verius vnum, si loquimur de intelligibili, quod est intellectus, concedo; si loquimur de intelligibili, quod est quodcumque aliud intelligibile, nego; nam intellectus non solùm alia, sed etiam seipsum intelligit actu reflexo, & tunc erit intellectus, & verius dicitur vnum, quàm materia, & forma, quia idem non distinguitur à seipso, nisi tantùm ratione, non verò intelligitur de cæteris intelligibilibus.

Obijc. tertio, Si sic, ergò singulare erit vniuersale; quod est falsum; probatur sequela; quod est in aliqua re tamquàm in subiecto, denominat illam rem, sed res est singularis, ergò singulare dicitur vniuersale.

Resp. Negando sequelam. Ad probat. distinguo minorem, res vnam numero est singularis, concedo; res vna genere, vel specie, nego; nam vniuersale formale inest rei specificæ, vel genericæ, non verò numericæ, & sic denominat ipsam rem specificam, vel genericam, non verò numericam, ideò &c.

Dices,

Dices, Vniuersale intentionale habet dici, de, quod est eius essentia, vt dictum est, ergò non habet esse, in.

Resp. Distinguendo consequens; non habet esse, in, vt vniuersale est concedo; vt accidens est, nego &c.

Dices. Accidens intentionale non inhæret, sed denominat, ergò vniuersale, vt accidens est, non habet esse, in.

Resp. Distinguendo antecedens, non inhæret inhærentia reali, concedo; intentionali nego; nam inhærentia intentionalis fit per attributionem, vt suprà &c.

Obijc. quartò, Deus dicitur Dominus, Creator, Conseruator &c. & sunt omnes isti respectus intentionales, tunc sic; nullum accidens est subiectiuè in Deo, quia argueret in ipso imperfectionem, sed prædicti respectus sunt accidentia intentionalia, ergò non sunt in Deo vt in subiecto, ergò in intellectu, & consequenter vniuersale, cùm sit accidens intentionale, est in intellectu, tamquàm in subiecto, non in re.

Resp. Distinguendo maiorem, nullum accidens reale est subiectiuè in Deo, concedo; intentionale, nego; nam nullum est inconueniens, huiusmodi accidentia esse in Deo, vt alibi videndum est, cùm non arguant imperfectionem.

Obijc. quintò, Scotus 7. Meth. docet, vniuersale non solù esse in intellectu, vt in efficiente seù, vt in cognoscente, sed etiam est subiectiuè in illo, ergò non est in re tamquàm in subiecto.

Resp. Quod non inuenitur in Metaphysica Scoti, ipsum hoc dixisse, si autem ab aliquo repertum fuerit, tunc distinguo antecedens, vniuersale est subiectiuè in intellectu immediatè, nego; mediatè, concedo; nam vniuersale est subiectiuè in intellectu mediante re, quæ existit in intellectu, & sic nulla contradictio in verbis Scoti.

QVAESTIO XII.

An vniuersale sit in re ante operationem intellectus?

QVæstio hæc ita à recentioribus obuoluitur, vt difficillima taliter reddatur, quod in Scholis non nisi de vniuersali à parte rei, siuè de natura communi disputari audiatur; sensus quæsiti est, num vniuersale omninò dependeat ab intellectu sic, quod in tantum sit, in quantum sit ab eo; an potiùs ex se habeat aliquod esse, ad quod nulla operatio intellectus prærequiratur; hæc quæstio est tota Metaphysicalis, ideò est diligenter ponderanda.

Vniuersale duplex est, aliud reale, & aliud intentionale; Vniuersale reale est illud, cui independenter ab intellectu competit aliquo modo communicari pluribus; dicitur, aliquo modo, quia non formaliter, vel actu, sed tantum potentia, & fundamentaliter competit communicari pluribus; Vniuersale intentionale est illud, cui per intellectum competit communicari pluribus, & sic dicitur actu, & formaliter

maliter pluribus communicabile; Vniuersale reale adhuc duplex est, scilicet Physicum, & Metaphysicum; Vniuersale physicum est ipsa natura existens in suis inferioribus, vt v. g. natura humana existens in Petro, Paulo, Bartholomæo, & alijs singularibus hominibus; Vniuersale Metaphysicum est eadem natura considerata, secundùm prædicata essentialia, cui non repugnat communicari pluribus. Vel dicimus epilogando; quod vniuersale triplex est, scilicet, antè multa, in multis, & post multa, per ly, multa, intelliguntur singularia, & sic vniuersale ante multa est vniuersale Metaphysicum; in multis est vniuersale Physicum; & post multa vniuersale Logicum; dicitur post multa, quia ab intellectu abstrahitur à singularibus. Natura secundùm se considerata, cùm sit ens reale, habebit propriam existentiam ei correspondentem, nam quale est ens, talis erit existentia eius, & dicitur existentia naturæ; & huic entitati, & existentiæ correspondet commensurata vnitas, tamquàm proprietas fluens à principijs entis; & talis vnitas, & existentia est minor vnitate, & existentia numerali. His positis sit:

Prima conclusio; Vniuersale Logicum, seù intentionale nullum habet esse ante operationem intellectus. Est communis. Patet, nam ens rationis nullum habet esse in re antè operationem intellectus, sed huiusmodi vniuersale est ens rationis, ergò &c. Item vniuersale Logicum est actu vnum in multis, & de multis ex Aristotele, ergò includit actu comparationem ad multa, sed non comparatur actu nisi per intellectum, ergò &c.

Secunda conclusio; Vniuersale physicum habet suum esse à parte rei, quo sic vniuersale dicatur, nulla præsupposita operatione intellectus. Est Scoti in 2. d. 3. q. 1. & 7. Meth. q. 18. Conclusio intelligitur de vniuersali largo modo, scilicet, pro omni eo, quod non est de se hoc, & singulare, & sic natura dicitur vniuersalis, seù communis hoc modo, contrà Thomistas omnes, & quamplures recentiores oppositum sustinentes.

Probatur primò; Remota quacumque operatione intellectus, plus conueniunt Sortes, & Petrus, quàm Sortes, & equus; sed istud in quo conueniunt, non est singulare, quia sic differunt, ergò est vniuersale, & consequenter datur hoc vniuersale à parte rei, nulla præsupposita operatione intellectus. Item homo à parte rei, aut est communis, aut singularis; si primum, habetur propositum, si secundum, ergò quandò intellectus intelligit hominem esse communem pluribus, intelligeret aliquod singulare esse commune pluribus, quod non est dicendum.

Respondent Aduersarij, quod homo non est formaliter communis, nisi per intellectum, tamen fundamentaliter adest in singularibus aliquod, in quo singularia conueniunt, & à quo intellectus mouetur ad intelligendum hominem formaliter communem; sed.

Contrà, ergò illud, in quo conueniunt

ueniunt à parte rei, dicimus esse vniuersale reale, seu naturam communem; dicitur fundamentaliter cōmunis, quatenus est fundamentum illius vniuersalis, quod est per intellectum; in se verò, nec fundamentalis, nec formalis (prout formalis venit ab intellectu) sed tantùm dicitur natura communis per indifferentiam; Secundò, homo, cùm per intellectum cōparatur singularibus hominibus, & efficitur actu communis, aut comparatur singulare singularibus, aut aliquod, quod de se non est singulare; si primum, ergò singulare est commune pluribus potentia, quia quod actu aliquod fit commune, priùs erat potentia commune; si secundum, tunc habetur [illegible] quia esse inde-pendenter ab intellectu, oportet enim [illegible], quod comparatur, sit antequàm comparetur &c.

Dices, pro Aduersarijs, quod non comparatur aliquod commune pluribus, sed vnum singulare alteri, à quibus sic comparatis abstrahitur ab intellectu aliquod commune illis, sed sic fictitia, & ad libitum ab intellectu producta; si secundùm; tunc aut illud est de se singulare, aut non; si primum, ergò singulare euaderet commune, & sic intellectus haberet vim transmutandi singulare in commune, & tribueret falsum; si secundum, ergò habetur propositum.

Contrà, quādò comparatur vnum singulare alteri, v.g. Franciscus Petro, vel comparatur in Franciscèitate, seu in Petreitate, vel in aliquo, quod in eis reperitur commune; non primum, quia singularitates in nullo conueniunt, ergò secundum, & consequenter illud dicimus esse naturam communem; Secundò, cùm intellectus appellat hanc naturam communem, aut effingit illam sic esse, aut in re propriè reperitur aliquod, cui competat appellari sic commune; si primum, ergò omnia vniuersalia essent

Secundò probatur principaliter; Logicus est de secundis intentionibus applicatis rebus; tunc sic: istæ res, quibus applicantur secundæ intentiones, aut omnes sunt singulares, aut vniuersales; si secundum, ergò habetur intentum; si primum, ergò intellectus suprà singulare fundaret intentionem generis, speciei &c. quod est falsum.

Respondent, Intentiones fundari in rebus abstractis per intellectum, quæ res sic abstractæ possunt dici vniuersales, sed [illegible]

Contrà; Illud quod sic abstrahitur à singularibus, in se est eo modo, quo abstrahitur, quia ideò dicitur abstrahi, ergò quandò à pluribus abstrahitur vnum commune, illud erat in se suo modo commune, licèt indè alio modo per intellectum reddatur commune. Antecedens patet exemplo; nam à Sorte, quare non abstrahitur Sorteitas, & illa dicatur communis? quia in se non est communis, ideò dicit Aristoteles, *abstrahentium non est mendacium*; & Scotus q. 9. vniuersalium ait, *virtutem abstractiuam non esse transmutatiuam*. Item intellectus quare tribuit homini intentionem speciei, & non generis, vel indiuidui? non aliter respondetur, nisi quia à parte rei adest in homine quædam

dam proprietas, quæ exigit hanc intentionem, & non illam; & talis proprietas non est singularis, quia singulare non potest denominari species, vel prædicabile de pluribus.

Tertia conclusio. Vniuersale Metaphysicum, seu antè multa habet suū esse à parte rei, quo sic vniuersale dicatur, nulla præsupposita operatione intellectus. Est Scoti vbi suprà contrà prædictos Auctores.

Probatur, vniuersale Metaphysicum est natura considerata secundùm prædicata essentialia; sed talis natura habet suum esse, nullo præsupposito intellectu, nam nullo interueniente intellectu, homo est animal rationale. Maior probatur, nam ad rationem vniuersalis requiruntur tantùm duo, scilicet aptitudo ad existendum in multis, & vnitas, sed talis natura est huiusmodi, vt patet, nam habet aptitudinem, quia si actu est in multis, prius habuit potentiam ad essendum in multis, nam potentia præcedit actum; habet vnitatem, scilicet vnitatem minorem vnitate numerali, vt infrà videbitur, ergò natura habet omnia requisita ad rationem vniuersalis. Item si talia prædicata non essent realia, tunc Metaphysicus, considerans ipsa prædicata, esset artifex intentionalis, & non realis &c.

Obijc. primo, contrà primam conclusionem; Obiectum naturaliter præcedit actum potentiæ; sed vniuersale est obiectum intellectus, ergò &c. Maior patet, nam color, obiectum potentiæ visiuæ, est prior visione, sonus auditione &c. Minor etiam patet, nam intellectui est, vniuersalium ex . . . . primo Post. Sensus singularium.

Resp. Distinguendo maiorē; obiectum reale, concedo; intentionale, nego; nam huiusmodi vniuersale est intentionale, & ideò non præcedit actum intellectus.

Dices, Istud vniuersale intentionale est obiectum intellectus, quia obijcitur ipsi, ergò præcedit intellectum.

Resp. Distinguendo consequens, præcedit actum cognitiuum, concedo; productiuum, nego; nam vniuersale intentionale actu collatiuo, seu reflexo suprà collatiuum fit ab intellectu, & actu recto suprà collatiuum cognoscitur, & sic tale vniuersale non præcedit actum intellectus productiuum, sed cognit[iuum].

Obijc. secundo, contrà secundam conclusionem; Repugnat idem simul esse vniuersale, & singulare, quia vniuersale dicit naturam communicabilem, singulare dicit naturam incommunicabilem; sed natura existens in singulari est singularis, vt patet, nam natura humana in Petro est singularis; ergò &c.

Resp. Distinguendo maiorem, Repugnat idem &c. sub vno respectu consideratum, concedo; sub diuerso respectu, nego; nam natura, v. g. in Petro diuerso modo considerata est vniuersalis, & singularis; est vniuersalis secundùm se, vt humanitas est; quia sic est indifferens; est particularis ratione differentiæ particularis, scilicet, Petreitatis; sicut enim paries affectus albedine secundùm se est indifferens ad albedinem, & nigredinem, vt affectus albedine est determinatus,

minatus, itá dicendum in casu &c.

Obiic. tertio, Natura vniuersalis debet esse vna, & indiuisa, vt patet ex definitione vniuersalis; sed natura existens in singularibus non est vna, & indiuisa, sed multiplex, vt v. g. natura humana in Petro, Paulo, &c. est multiplex, & in illis diuisa, nam non dicimus, Petrum, Paulum esse vnum hominem, sed tres homines, ergo &c.

Resp. Distinguendo minorem, natura existens in singularibus non est vna, & indiuisa vnitate, & indiuisione numerica, concedo; specifica, seu vnitate minori vnitate numerali, nego; nam licet homo in multis hominibus sit multiplex numero, & in illos diuisus, ratione multiplicis differentiæ indiuidualis, tamen secundùm se est vnus vnitate minori vnitate numerali, quæ est vnitas specifica.

Dices, Vnitas vniuersalis debet esse coniuncta cum aptitudine ad existendum in multis, sed talis vnitas non conuenit naturæ existenti in aliquo singulari; quia ipsi singulari itá propria est, vt proximè non possit communicari alijs hominibus, nisi tantum remotè; scilicet, si per intellectum fuerit abstracta ab illa differentia indiuiduali, ergò &c.

Resp. Distinguendo minorem, talis vnitas non conuenit naturæ existenti in aliquo singulari, vt singulari reduplicatiuè, concedo; non conuenit naturæ, quæ est in singulari, & specificatiuè, nego; nam paries albus, vt albus reduplicatiuè non potest fieri niger, quia sic repugnat; paries verò, qui est albus, & specificatiuè, potest fieri niger, quia sic non dicit albedinem, quæ impediebat, ne posset fieri niger, itá dicendum in casu, &c.

Dices, Natura existens in aliquo singulari, scilicet natura humana in Petro, non distinguitur à parte rei ab ipso Petro, quia est idem ac Petrus, ergò non est communis. Consequentia sequitur, quia tunc Petrus esset communis, quod est falsum. Antecedens patet, nam si distingueretur, tunc in Petro, præter humanitatem, deberet assignari alius gradus peculiaris ipsi Petro, quod non assignatur, nam, selecta humanitate à Petro per intellectum, nihil ampliùs reale intelligitur in eo, saltem illud non potest assignari, & explicari, ergo &c.

Resp. Negando antecedens. Ad probationem dicimus, quod præter gradum humanitatis admittimus differentiam indiuidualem, scilicet, Petreitatem, per quam Petrus constituitur in esse Petri, & distinguitur ab alijs particularibus hominibus.

Dices, Illa Petreitas, quam admittimus in Petro præter gradum humanitatis, est ne substantia, vel accidens?

Resp. Est substantia incompleta, eo modo, quo quælibet alia differentia; sicut rationale dicitur differentia specifica hominis, ita Petreitas Petri.

Obiic. quarto, Omne quod potest generari, est singulare, quia generationes sunt singularium ex 1. Meth. sed indiuidua cum tota natura, quæ in ipsis includitur possunt generari, ergò sicut ipsa indiuidua sunt singularia, sic

sic est natura, quæ in ipsis generatur.

Resp. Maiorem esse veram in hoc sensu, scilicet eo modo, quo aliquod potest generari, eo modo est singulare; tunc distinguo minorem, natura potest generari propriè, nego; concomitanter, & identicè, concedo; nam singulare tripliciter dicitur, primò constitutiuè, vt differentiæ indiuiduales; secundò propriè & quidditatiuè, vt ipsa indiuidua constituta; tertiò concomitanter, & identicè, vt natura communis; nam natura, v. g. humanitatis non dicitur generari secundum se, & propriè, sed vt in particulari, scilicet, vt in Petro, nempè concomitanter & identicè; quia, cum sit eadem realiter cum Petro, dicitur generari ad generationem Petri, ideò &c.

Obijc. quintò, contrà tertiam conclusionem, omne, quod est extrà intellectum, est singulare, sed vniuersale non est singulare, ergò non habet esse extrà intellectum. Maior patet ex Boetio, Omne quod est, ideò est quia vnum numero est, & intelligitur de esse extrà animam, ergò &c.

Resp. Negando maiorem. Ad probationem distinguo illam propositionem, omne, quod est existentia vltimata, & incommunicabili, est vnum numero, concedo; existentia non vltimata, & communicabili, nego; nam vniuersale de quo loquimur, seu natura communis habet propriam existentiam sibi commensuratam à parte rei; in singularibus verò existit vltimatè, & incommunicabiliter, & sic non est vniuersale.

Dices, Si admittatur talis natura vniuersalis antè existentiam singularium, tunc ipsa erit Idæa Platonis; quæ fuit impugnata ab Aristotele; ergò non est admittenda talis natura vniuersalis antè singularia.

Resp. Negando sequelam; nam Plato posuit talem naturam vniuersalem vltimatè existere extrà singularia, ideò meritò fuit impugnata ab Aristotele; Nos verò admittimus talem naturam vniuersalem, secundùm essentiam, & etiam secundùm existentiam sibi commensuratam, non verò vltimatè existere, ideò &c.

Dices, Ergò saltem superfluus poneretur intellectus agens, quia intellectus agens facit vniuersalitatem in rebus, ergò si in re esset vniuersale, tunc superfluus poneretur intellectus agens.

Resp. Negando sequelam. Ad probationem dicimus, quod intellectus agens ponitur, vt faciat vniuersalitatem Logicam, non realem.

Obijc. sextò, Nullum totum potest esse sine suis partibus, sed vniuersale quodcumque sit, est quoddam totum, continens singularia tamquam partes, ergò talis natura, si est vniuersalis, non potest esse extrà singularia.

Resp. Distinguendo secundam partem minoris, continens singularia potentialiter, concedo; actualiter, nego; nam vniuersale non potest esse extrà singularia potentialia.

Obijc. septimò; Talis natura vniuersalis extrà singularia, vel est creata, vel increata; si creata, ergò est singularis, quia creatio terminatur ad

exi-

existentiam vltimatã, scilicet ad singulare; si increata, ergò est Deus; quia solus Deus est increatus, & consequenter talis natura extrà singularia erit ficta.

Resp. Quod propriè, nec est creata, nec increata, quia membra istius diuisionis sunt entis vltimatè existentis, & cùm talis natura non sit huiusmodi, sequitur, quod non continetur sub membris talis diuisionis; dicitur tamen non creata propriè loquendo.

Not. Quod increatum, & non creatum differunt inter se, nam increatum dicit ens per se existens, à nullo productum, nec producibile, vt Deus; non creatum dicit ens, quod de facto non est creatum, tamen potest creari, vt Antechristus; ideò dicimus naturam vniuersalem antè existentiam singularium esse non creatam, quia verè creata non est pro illo statu; tamen non dicitur increata, quia saltem per aliud potest creari, vt v. g. natura humana per Petrum, qui dicitur propriè creari.

Obijc. octauo, Quod sequitur naturam ratione sui prædicabitur de suppositis illius naturæ, ergò si daretur talis natura vniuersalis ex se, tunc prædicaretur de suppositis illius naturæ, quod est falsum: Falsitas patet, quia tunc Petrus esset vniuersalis, Fráciscus esset vniuersalis &c.

Resp. Negando sequelam, scilicet, quod talis natura sit ex se vniuersalis; nam natura ex se, nec est vniuersalis, nec particularis, seù singularis; dicitur vniuersalis respectiuè, scilicet, prout est comparabilis ad inferiora per indifferentiam negatiuam; & secundùm hanc doctrinam distinguo antecedens, quod sequitur naturam ratione sui &c. per existentiam, concedo; per indifferentiam, nego; nam vniuersale non sequitur naturam ratione sui, quatenùs absolutè in ea existat, sed tantùm per indifferentiam negatiuam; quatenus natura est participabilis à singularibus.

Dices; Vnitas naturæ sequitur ipsam secundùm se, ergò saltem talis vnitas prædicabitur de eius suppositis, sed est vnitas minor vnitatę numerali, ergò hæc prædicabitur.

Resp. Quod vnitas in eo, quod vnitas, insequitur naturam secundùm se, & sic dicitur de eius suppositis; quatenus verò talis vnitas dicitur minor vnitate numerali non sequitur naturam secundùm se, sed in ordine ad singularia; & sic respectiuè insequitur naturam, & consequenter, non est necesse, quod si natura secundùm se prædicatur de suis suppositis, etiam vnitas naturæ secundo modo debet prædicari de illis, quia talis vnitas non sequitur naturam secundùm se, sed quatenùs natura respicit inferiora indifferentia negatiua.

Quæritur, natura, vt natura est nè communis?

Resp. Negatiuè; nam natura, vt sic nec dicitur vniuersalis, nec singularis, sed tantùm dicitur ens reale, vnum, verùm, bonum; dicitur communis, seù vniuersalis, prout est comparabilis ad inferiora per indifferentiam negatiuam tantùm; quandò verò est comparata positiuè ad inferiora, tunc dicitur vniuersalis per existentiam,

sed hoc ei præstatur ab intellectu.

Dices, Natura, vt natura non est hæc, ergò est communis, vt dicit Scotus in quæst.

Resp. Negando consequentiam; nam à propositione negatiua cum reduplicatione ad affirmatiuam non tenet consequentia formaliter, vel causaliter, sed tantùm per locum ab opposito, vt v.g. homo, vt homo non est irrationalis, ergò est rationalis; hæc consequentia non sequitur formaliter, vel causaliter, quia non esse irrationale non est ratio formalis, nec causalis, cur homo sit rationalis; ità dicendum in casu, natura, vt natura non est hæc, ergò est communis; hæc consequentia non sequitur formaliter, nec causaliter, sed tantùm ab opposito. E contrà verò, à propositione affirmatiua cum reduplicatione ad negatiuam tenet consequentia formaliter, & causaliter, vt, homo vt homo est rationalis, ergò vt homo non est rugibilis; tenet etiam à propositione affirmatiua ad affirmatiuam, vt homo vt homo est rationalis, ergò vt sic est risibilis, quia eadem ratione est rationalis, & risibilis, & esse rationalis est causa, cur homo ratiocinetur, & sit risibilis.

QVAESTIO XIII.

An detur à parte rei vnitas vniuersalis?

PRo complemento præteritæ quæstionis examinatur primò præsens quæstio, quia vniuersale dicit duo, vt sibi intrinseca, & essentialia, scilicet vnitatem, & aptitudinem, ideò vt meliùs sciatur, an detur natura vniuersalis à parte rei, idest, quoad ipsam formam vniuersalitatis, videndum est etiam, an detur talis vnitas correspondens tali naturæ vniuersali; aliter enim natura non diceretur vniuersalis, sed multiplex.

Vnitas, vt sic licèt explicetur per esse indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio, tamen non dicit conceptum negatiuum, sed positiuum, vt in Metaphysica videbitur, Deo dante. Vnitas triplex est, generica, specifica, & numerica, siuè Indiuidualis. Vnitas generica admittit diuisionem essentialem, seù specificam, vt animal, quod est vnum genere, diuiditur in plures species, quæ essentialiter differunt inter se; Vnitas specifica admittit diuisionem numeralem, vt homo in plures homines, & excludit diuisionem essentialem, vt patet; Vnitas numeralis nullam admittit diuisionem, nec essentialem, nec numeralem; Inter has vnitates vna vnitas est maior altera, vt vnitas numerica est maior specifica, & specifica est maior generica, quia numerica dicit illam perfectionem, quatenùs nullam admittit diuisionem, nec essentialem, nec numeralem, ideò est maior vnitas; vnitas specifica est maior generica, & minor numerali; vnitas generica est minima.

Not. Quod hic non loquimur de vnitate vniuersali, siuè specifica, siuè generica an distinguatur ab vnitate numerali, quia de hac infrà videbitur; tantùm quærimus, an detur à parte

rei

rei nullo intellectu cogitante, siuè sit identificata; siuè distincta à singulari.

His positis sit

Conclusio affirmatiua. Est Scoti in 2.d.3.q.1. contrà Nominales, & quamplures recentiores. Probatur primò auctoritate Aristotelis 5. Met. tex.12. *Alia sunt vnum numero, alia vnum specie, & alia vnum genere.* vbi est sermo de vnitate, quæ competit rebus à parte rei, vt patet legenti textum, ergò &c.

Secundò probatur ratione; In vnoquoque genere est vnum, quod est metrum, & mensura omnium, quæ sunt in illo genere ex 10. Meth. tex.2. sed illud est vniuersale, quia singulare non potest esse mensura alterius singularis, cum singularia sint primò diuersa, & inter ipsa non datur priùs, & posteriùs, ergò illud, quod est mensura, est vnum vniuersale; Quod verò sit reale, patet, nam mensurata sunt realia, vt patet de singulis hominibus, ergò mensura est etiam realis; Consequentia sequitur, nam mensurata realia non pendent à mensura rationis, sed à mensura reali; numerus enim binarius à parte rei mensuratur numero pari, & ternarius numero impari, idest ille ad parem, hic ad imparem habent attributionem; similiter Franciscus mensuratur humanitate, equus equinitate &c.

Tertiò, Comparatio fit in specie specialissima, ex 7. Phis. tex. 29. sed talis species est vna, & non per intellectum, quia Franciscus, & Petrus non conueniunt in homine per intellectum, sed à parte rei, ergò &c.

Quartò, Relatio primi generis fundatur super vnum &c. Ex 5. Meth. tex. 20. vt relatio identitatis, æqualitatis, & similitudinis, tunc sic; Relatio realis exigit fundamentum reale, sed dictæ relationes sunt reales, ergò vnitas, quæ est earum fundamentum, est realis, sed non est numeralis, quia in tali vnitate nihil est idem alteri, ergò vniuersalis.

Respondent, illa vnitas formaliter, & actualiter est rationis, dicitur realis fundamentaliter, quatenùs est fundata in vnitate numerali, quæ est potentialiter specifica, & redditur formaliter, & actualiter talis per intellectum, sed

Contrà, Seclusa quacumque operatione intellectus, talis relatio formaliter, & actualiter est realis, ergò formaliter, & actualiter habet fundamentum reale. Consequentia sequitur, quia relatio actualis ponitur ad positionem fundamenti, & termini actualiter, & fundamentaliter existentis: Item quandò dicitur, quod vnitas numeralis est potentialiter specifica, sic impugnatur; Nullum dicitur in potentia ad contradictoriè oppositum, sed vnitas numeralis, & specifica sic se habent, quia vnitas numeralis est incommunicabilis, specifica est communicabilis, ergò vnitas numerica non est in potentia ad specificam. Maior patet; nam album non est in potentia ad non album; Item Petrus redderetur communis, quod est ad libitum dictum.

Si dicas pro ipsis, quod idem argumentum posset fieri de natura in ordine ad indiuidua, & sic natura

communis non posset fieri vna numero.

Falluntur, quia licèt natura, vt sic sit in potentia ad illa, tamen vnitas naturæ, quæ est specifica numquam est in potentia ad vnitatem numeralem; Tum etiam potentia naturę ad indiuidua est tantùm negatiua, idest est non repugnantia ad illa; indiuidua verò non habent talem potentiam, quia eis repugnat ab intrinseco communicari, ergò vnitati numerali repugnat vnitas specifica: Item si indiuidua habent talem potentiam, aut esset ratione proprietatis indiuidualis, aut ratione alicuius in ea inclusi; non primum, quia differentia indiuidualis est vltimus actus omninò simplex, & irresolubilis, ergò secundum, & hoc dicimus esse naturam communem; & sic necessitantur concedere, quod negant; & consequenter non vnitas numeralis, sed aliquod inclusum in ea est potentialis, & non alia potentia, nisi negatiua, seu Logica, quod nos concedimus, & hoc modo nihil remanet litigandum.

Quintò; Indiuidua eiusdem speciei à parte rei magis conueniunt, quã indiuidua diuersæ speciei, nam Petrus, & Ioannes in natura humana non distinguũtur, & distinguuntur ab equo, sed illud est vnum specie, seù conuenientia specifica, ergò à parte rei datur talis conuenientia, seù vnitas specifica.

Item sequeretur, quod intellectus non posset abstrahere à Petro, & à Ioanne aliquod vnum magis, quàm à Petro, & ab equo, quia intellectus abstrahendo non fallitur, idest sic abstrahit rem, sicut est in se, ergò cùm intellectus plura singularia in vnum colligit illa erunt in se sic conuenientia; aliter posset illud commune abstrahere à quibuscumque singularibus.

Respondent cum Caietano; quod ob diuersam vnitatem fundamentalem in Petro, & Ioanne, & in Petro, & in equo sequitur diuersa abstractio; nam in Petro, & Ioanne est quædam vnitas fundamentalis, quæ magis inest illis, quàm Petro, & equo diuersa abstractio; & talis vnitas fundamentalis à parte rei est numeralis, fit tamen communis formaliter per intellectum, sed

Contrà. Hæc vnitas fundamentalis, aut est communis Petro, & Ioanni, aut non; si non, ergò nec formaliter potest fieri communis per intellectum; si sic, aut ratione proprietatis indiuidualis, aut ratione naturæ in eis repertæ, primum non est dicendum, ergò secundum, & consequenter datur natura communis.

Dicent forsitan Aduersarij, quod illa vnitas est formaliter numeralis, fundamentaliter communis, vt homo, per eos, non haberet aliam vnitatem realem, nisi numeralem, & illa esset communis fundamentaliter, sed

Contrà, Repugnat vnitatem numeralem fieri specificam per intellectum, nam intellectus non decipitur abstrahendo, sed sic esset in casu, ergo &c. Minor patet, nam eadem vnitas, quæ dicitur communis fundamentaliter euaderet communis formali-

maliter per intellectum, sed illa est numeralis, ergò vnitas numeralis euaderet specifica.

Argumenta contrà hanc conclusionem sunt eadem, ac præteritæ quæstionis.

QVAESTIO XIIII.

Quanam est illa aptitudo, per quam natura dicitur vniuersalis?

APtitudo in casu dupliciter sumitur, scilicet negatiuè, & positiuè; aptitudo negatiua est illa, qua naturæ non repugnat communicari pluribus, & est idem, ac indifferentia negatiua; aptitudo positiua est, qua natura actu est communicabilis pluribus, & est idem, ac indifferentia positiua; pro quia sit

Prima conclusio; natura constituitur in esse vniuersalis realis, siuè Physici, siuè Metaphysici per aptitudinem negatiuam. Probatur, nam per quod aliquod formaliter distinguitur à suo opposito, per illud constituitur in esse, sed vniuersale, & singulare sunt opposita, ergò &c. sed vniuersale distinguitur à singulari per dictam aptitudinem, ergò &c. Maior patet, nam idem est principium constitutiuum, & distinctiuum.

Secunda conclusio. Vniuersale Logicum primò intentionale constituitur per aptitudinem positiuam. Hanc conclusionem gratis reciperent aduersarij, cum ipsi doceant, vniuersale Logicum specificari tali aptitudine, sed volunt hoc esse vniuersale formale, & vltimò reponibile in esse vniuersalis Logici; Nos verò dicimus, quod hoc vniuersale est reale, licèt perficiatur ab intellectu, dicitur primò intentionale, quatenùs completur per intellectum.

Not. Vniuersale Logicum est duplex, scilicet primò intentionale, & secundò intentionale; Vniuersale Logicum primò intentionale est ipsa natura non præcisè cognita, sed vt comparata inferioribus, idest, cum ipsa erat potentia communicabilis fit actu communicabilis per intellectum; Vniuersale secundò intentionale est secunda intentio in concreto, producta ab intellectu possibili per actum collatiuum, seù reflexum suprà collatiuum, vt dictum est in quæstione de productione vniuersalis, & in explicatione secundæ intentionis; consideratio primi vniuersalis formaliter, & quidditatiuè spectat ad Metaphysicum, licèt perficiatur ab intellectu modo prædicto, tamen est vniuersale reale, sed quia eius vniuersalitas ad hoc præcipuè producitur, vt in ipsa fundetur alia vniuersalitas, ideò sub tali respectu spectat ad Logicum, quia eiusdem artificis est considerare relationes, & fundamenta.

QVÆ-

QVAESTIO XV.

An natura distinguatur à parte rei à singularitate?

SEnsus quæstionis non est de natura reduplicatiuè sumpta cum singularitate, scilicet, an natura singularis, vt singularis sit à parte rei distincta à singularitate, nam hoc modo est certum, naturam esse essentialiter singularem, sicut paries albus, vt albus est essentialiter albus; sensus verò quæstionis intelligitur de natura specificatiuè sumpta cum singularitate, idest, an natura quæ est singularis sit à parte rei distincta à singularitate; itaque intelligitur in sensu diuiso, non in sensu composito, vt v. g. an humanitas, & Petreitas in Petro distinguantur inter se à parte rei.

A parte rei datur vnitas numeralis, qua natura redditur incommunicabilis, & fit hæc & singularis; hæc vnitas numeralis sub alijs terminis solet dici hæcceitas, indiuiduatio, singularitas; & dicit aliquod positiuum suprà naturam; quia sicut animal fit species hominis per positiuam differentiam rationalitatis, ità homo fit indiuiduum per aliam positiuam differentiam indiuidualem; In quæstione quæritur etiam de vnitate specifica, seù formali, an sit distincta à parte rei ab vnitate numerali pro qua sit

Conclusio; Natura, v.g. humana in Petro distinguitur formaliter à parte rei à Petreitate. Est Scoti in 2. d. 3. q. 1. contrà Nominales, & quamplures recentiores. Probatur primò auctoritate Aristotelis 3. de Anima t. 9. vbi habet hæc verba, *Aliud est magnitudo, aliud magnitudinis esse; aliud est aqua, aliud aqua esse*; vbi secundùm communem expositionem Interpretum per magnitudinem, & per aquam Aristoteles intelligit magnitudinem, & aquam singularem; per magnitudinis esse, & per aquæ esse intelligit ipsam quidditatem magnitudinis, & aquæ, ergò iuxtà principia Aristotelis, aliud est singularitas, & aliud natura secundùm se, quod idem est, ac naturam distingui à parte rei à singularitate.

Secundò ratione; natura à parte rei perfectè, & adæquatè definitur secundùm sua prædicata essentialia sine singularitate, ergò non continet intrà suam essentiam à parte rei formaliter singularitatem, & consequenter natura non est essentialiter singularis à parte rei, & sic distinguitur formaliter ab illa; Antecedens patet; nam natura, v.g. humana à parte rei adæquatè est animal rationale, quæ prædicata nullatenus dicunt singularitatem, ergò &c. Item natura à parte rei, vel est essentialiter hæc, vel non; si primum, ergò vna numero est natura, & non possunt dari à parte rei plura indiuidua intrà eamdem naturam specificam, quod est absurdum; si secundùm, ergò natura distinguitur à parte rei ab hæcceitate.

Tertiò, repugnat vnum, & idem ens à parte rei esse vnum formaliter, &

& simul multiplex formaliter, sed natura, v. g. humana est vna formaliter à parte rei, vt dictum est, & singularitates sunt plures formaliter, ergò implicat eamdem naturam esse idem formaliter à parte rei cum singularitate, & consequenter necessariò distinguitur formaliter à parte rei à singularitate.

Quartò; Ideò de facto à parte rei realiter distinguitur natura à subsistẽtia, vt patet in Mysterio Incarnationis, quia alia res est natura, & alia subsistentia; similiter quantitas realiter distinguitur à substantia, vt patet in Sanctissimo Sacramento Altaris; quia alia res est quantitas, & alia substantia, ergò à pari natura à parte rei distinguitur de facto à singularitate, quia alia formalitas est natura, & alia singularitas.

Hinc colligitur, gradus Metaphysicos à parte rei distingui formaliter ab indiuiduatione, & inter se, vt v. g. in homine gradus substantiæ, corporis, viuentis, animalis, rationalis distingui à parte rei non solùm ab hæcceitate, sed etiam inter se.

QVAESTIO XVI.

An detur distinctio formalis, quæ mediet inter realem, & rationis?

PRimò notandum; Distinctio est relatio inter duo extrema, quorum vnum non est aliud; quæ distinctio secundùm Scotum prima sui diuisione diuiditur in distinctionem ex natura rei, & rationis; distinctio ex natura rei est oppositio inter aliqua duo, quorum vnum non est alterum à parte rei; distinctio rationis est oppositio inter aliqua duo, quorum vnum non est aliud per intellectum, quæ oppositio fit per ipsum intellectum diuersimodè concipientem aliquod vnum formale, vt homo est homo, nam homo ex parte subiecti distinguitur ab homine in prædicato tantùm per intellectum; quæ distinctio est duplex, secundùm Thomistas, altera purè intentionalis, quæ fit ab intellectu sine fundamento in re, & dicitur distinctio rationis ratiocinantis; altera, quæ habet fundamentum à parte rei, & dicitur distinctio rationis ratiocinatæ.

Secundò notandum, distinctio ex natura rei est quid superiùs ad omnes distinctiones reales, & diuiditur in distinctionem realem, & formalem; distinctio realis est oppositio inter aliqua, quæ se habent sicut res, & res seclusa omni operatione intellectus, vt distinctio inter Petrum, & Ioannem; distinctio formalis est oppositio inter duas formalitates, quarum vna, licèt non possit esse sine alia, tamen à parte rei non est alia, vt in homine, animal, & rationale, risibilitas, & flebilitas, intellectus, & voluntas, & omnes passiones respectu suorum subiectorum dicuntur formalitates, quasi paruæ formæ, dicuntur etiam realitates, quasi paruæ res.

Tertiò notandum, hæc tria, scilicet distinctio, diuisio, & non identitas se

se habent sicut inferiùs, & superiùs; omnis enim diuisio est distinctio, & non è contrà, quia cùm diuisio consequatur materiam, & quantitatem, hinc reperitur in solis rebus materialibus; distinctio verò cum sit passio entis, reperitur in omni ente, & sic in Deo, in Angelis &c. reperitur distinctio, & non diuisio; Omnis distinctio est non identitas, & non è contrà, quia cùm distinctio sit passio entis, solùm reperitur inter entia positiua, & sic inter ens, & non ens; inter negationem, priuationem, inter habitum, & priuationem non est distinctio propriè, sed non identitas, vndè Petrus, & chimera distinguuntur tantùm negatiuè, idest non sunt idem, similiter cæcitas, & visus; Ex his colligitur, diuisionem esse tantùm in rebus materialibus, distinctionem in materialibus, & spiritualibus; non Identitatem, quæ impropriè potest dici distinctio, versari circà omne ens, siuè reale, siuè rationis, siuè positiuum, siuè negatiuum. His positis sit

Prima conclusio; Distinctio, vt sic non dicit conceptum positiuum, sed negatiuum, non absolutum, sed respectiuum, non prædicamentalē, sed transcendentalem. Prima pars probatur, nam formaliter vnum distingui ab altero est vnum non esse aliud, vt v.g. quantitatem distingui à substantia nihil aliud est, nisi quantitatem non esse substantiam, siuè dicere negationem substantiæ, ergò distinctio formaliter dicit conceptum negatiuū; Secunda pars patet, quia distinctio est relatio, ergò &c. Tertia pars etiam patet, nam distinctio circuit omne genus, quia reperitur tam in substantia, quàm in accidente, tam in entibus existentibus, quàm possibilibus, ergò non est conceptus prædicamentalis in aliquo certo genere determinatus, sed transcendens per omnia.

Secunda conclusio. Præter distinctionem realem, & rationis ponenda est distinctio media, quæ dicitur formalis; Est Scoti in primo d. 2. q. 7. & d. 5. q. 1. & in 2. d. 3. quæst. 1. & alibi contrà Nominales, & Thomistas omnes.

Probatur primò, auctoritate Aristotelis primò Phys. t. 21. vbi habet, Album, & Musicum esse in hoc homine, similiter album, & dulce in pomo, sed nullo intellectu cogitante albedo non est Musica, nec est dulcedo; nam essentia albedinis à parte rei non est essentia, & formalitas Musicæ, & dulcedinis, ergò de facto ex Aristotele datur distinctio formalis à parte rei: Item 2. Phys. tex. 18. 19. Actio, & Passio est vnus numero actus, & plures secundùm formalitates, ergò &c.

Secundò ratione, nullo intellectu cogitante datur à parte rei vna formalitas adæquata extrà aliam, vt in homine definitio adæquata hominis nihil includit de formalitate rationalitatis, ergò de facto datur à parte rei distinctio formalis: Consequentia sequitur, quia distinctio idem est, ac negatio, & vnum distingui ab alio est vnum non esse aliud, siuè vnum esse extrà aliud, ergò sicut distinctio realis est extreitas realis, quatenus vna res

res est extrà aliam, ità distinctio formalis est extreitas formalis, quatenus vna formalitas est extrà aliam, & consequenter, si à parte rei datur de facto vna formalitas extrà aliam, datur etiam de facto à parte rei distinctio formalis.

Tertiò; Datur distinctio realis inter rem, & rem, v.g. inter materiam, & formam; datur distinctio rationis, quæ est inter vnum conceptum, & alium, ergò debet dari distinctio formalis, quæ sit inter vnam formalitatem, & aliam; Probatur paritas; Ideò ponitur distinctio realis, quia vna res est extrà aliam, & ideò ponitur distinctio rationis, quia vnus conceptus est extrà alium; ergò similiter debet poni à parte rei distinctio formalis, quia vna formalitas à parte rei est extrà aliam, vt animal in homine à parte rei distinguitur à rationalitate, quia à parte rei formalitas animalis est extrà formalitatem rationalitatis, animal enim à parte rei definitur per esse principium sentiendi, rationale per esse principium discurrendi.

Obijc. primo, Quot sunt genera entium, tot sunt genera distinctionum, sed omnia entia aut sunt realia, aut rationis, ergò distinctio aut est realis, aut rationis, & consequenter non datur distinctio formalis: Maior patet, nam vnum, & diuersum sunt passiones entis, ergò non debent excedere ens.

Resp. Negando vltimam consequentiam; ratio negationis est, quia sicut ens prima sui diuisione diuiditur in ens reale, & rationis, ità distinctio primò diuiditur in distinctionem ex natura rei, & rationis; & sicut posteà ens reale diuiditur in ens realeratum, & non ratum, seù in ens reale, quod est res, & in ens reale, quod est realitas, seù formalitas, ità distinctio ex natura rei alia realis, & alia formalis, & sic retorquetur argumentum. Vel secundò dicimus, quod ens reale non solùm dicitur illud, quod est existens completè, sed etiam illud, quod non est factum à ratione; ità distinctio realis non solùm dicitur illa, quæ est inter extrema realiter existentia, sed etiam inter illa, quæ non sunt facta à ratione.

Obijc. secundò, Formalitates aut sunt entia realia, aut rationis; si secundum, ergò inter illas erit distinctio rationis; si primum, ergò erit distinctio realis, & consequenter non datur media.

Resp. Formalitates propriè non esse entia realia, sed esse aliquid entis realis, scilicet sunt realitates, idest paruæ res, & consequenter mediant inter ens reale, & rationis.

Obijc. tertio, Quæ distinguuntur numero, distinguuntur realiter, sed quæ distinguuntur formaliter, distinguuntur numero, ergò distinctio formalis est idem, ac distinctio realis: Maior patet, nam quæ distinguuntur numero, vnum potest esse sine altero. Minor probatur, nam quæ distinguuntur formaliter, distinguuntur quidditatiuè, sed quæ distinguuntur quidditatiuè, distinguuntur

tur specie, & numero, vt patet, ergò &c.

Resp. Distinguendo maiorem, quæ distinguuntur numero, & sunt in diuersis subiectis, distinguuntur realiter, concedo; si sunt in eodem subiecto, nego; nam intellectus, & voluntas in anima distinguuntur numero, & non realiter; similiter vnum, verum, bonum in ente; dulcedo, & albedo in lacte: Item in eadem indiuisibili anima possunt radicari plures formalitates distinctæ, vt esse vegetatiuum, esse sensitiuum, esse intellectiuum &c.

Obijc. quarto, Quod est substantia, est res; sed formalitas substantiæ est substantia, ergò est res, & consequenter distinguitur ab altera formalitate realiter.

Resp. Maiorem esse veram in duplici sensu, scilicet, quod est substantia, est res, siuè realitas; formalitas substantiæ non est res propriè dicta, siuè per se existens, sed realitas, seù parua res.

Quæritur, Quænam sunt illæ quæstiones de vniuersali, quas Porphirius insolutas reliquit in textu, ex eo, quia ad alias scientias pertinere dicebat?

Resp. Sunt tres, quarum prima est, An genera, & species subsistant in natura, idest habeant esse reale extrà intellectum, siuè solum habeant esse in solis nudis puris intellectibus; secunda, An sint corporea, vel incorporea; tertia, An sint separata à suis singularibus, sicut dicit Plato, vel an sint posita in singularibus? Not. quod Porphirius mouendo istas quæstiones mouet solùm de generibus, & speciebus, tamen per ista vniuersalia intelligit etiam alia vniuersalia, de quibus eodem modo est dicendum.

Dices, Quarè Porphirius mouet istas quæstiones, cùm tamen illas non soluat?

Resp. Propter tres causas, prima est, ne aliquis crederet, quod de vniuersalibus non possint moueri difficiles quæstiones; secunda est, vt reddat auditores attentos; tertia est, ne videatur ignorare illas quæstiones.

Ad primam quæstionem dictum est suprà in quæstione 12. quod genera, & species realia habent esse extrà intellectum, non verò intentionalia.

Ad secundam dicimus, quod vniuersalia rationis, seù intentionalia, nec sunt corporea, nec incorporea, quia corporeum, & incorporeum sunt differentiæ substantiæ, quæ sic diuiditur; sed cùm talia vniuersalia non sint substantiæ, sequitur, quod non sunt corporea, nec incorporea; si verò accipiatur incorporeum negatiuè, scilicet pro omni eo, quod non habet corpus, sic possunt dici incorporea. Vniuersalia realia aliqua sunt corporea, vt homo, animal, planta &c. quæ prædicantur de singularibus corporeis; aliqua verò sunt incorporea, vt sunt illa, quæ prædicantur de singularibus incorporeis, vt albedo, nigredo, & sic de alijs accidentibus; neque credendum

est

est, quod ipsa vniuersalia corporea sic dicantur corporea, quod sint quædam corporeæ moles ab ipsis singularibus separatæ, sed sensus est, quod sicut consideramus hominem, verbi gratia, in communi, sic secundùm hanc communitatem esse essentialiter corpus, vel corporeum, non autem quid spirituale; Vndè quemadmodum ipse communis homo non reperitur nisi in singularibus, ità hæc ipsius corporeitas.

Ad tertiam dicimus, vt suprà in quæstione 12. &c. Vndè vniuersalia intentionalia esse in singularibus fundamentaliter, & obiectiuè in intellectu. Quid sit esse obiectiuè in intellectu, dictum est in explicatione secundarum intentionum.

Not. quod Plato ponebat vniuersale separatum à singularibus, quod vniuersale erat incorruptibile, atque Idæa, vel exemplar omnium singularium; cuius duplex erat principalis ratio, prima, vt haberetur scientia quæ non est de singularibus; secunda propter generationes, quarum vniuoca, vel eiusdem naturæ causa non videtur, vt si quandò generatur rana aut aliud, dicebat non generari à rana, sed ab hoc exemplari, vt simile à simili generetur; quæ quidem positio est falsa, quia vniuersale est de quidditate, & essentia suorum particularium, vt homo est de essentia Petri, Pauli &c. sed quod est ab alio separatum non potest esse de essentia eius.

Seneca, & Augustinus existimant opinionem Platonis non esse sic intelligendam, sed quod loquatur de Idæis in mente diuina, ad cuius similitudinem omnia fiunt &c.

DISPVTATIO SECVNDA DE GENERE.

QVERITVR, quotuplex est genus? *Resp.* Triplex, scilicet genus ciuile, naturale, & logicum; genus ciuile est collectio multorum hominum habentium ordinem inter se, & ad vnum primum, vt collectio Romanorum ad Romulum; genus naturale est principium vniuscuiusque generationis, siue in producendo, vt Pater, siue in conseruando, vt patria, seu locus, in quo quis natus est; hoc genus naturale dicitur magis genus, quàm ciuile, quia magis genus dicitur illud, à quo aliquod generatur, quàm illud, ad quod aliquod ordinatur.

Dices, Quomodo Patria sit principium generationis sicut, & Pater, cum Pater sit principium generationis per se, Patria per accidens?

Resp. Ex Scoto quæst. 13. quod si attendatur similitudo quoad genus causæ, sic propositio est vera, quia vtrumque est in genere causę efficientis; si verò attendatur quoad omnem modum causæ, sic propositio est falsa, quia Pater est causa efficiens per se, Patria verò tantùm per accidens, scilicet conseruans, & coadiuuans ad generationem.

Genus Logicum est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, ly prædicari de pluribus ponitur loco generis, cæteræ particulæ ponuntur loco differentiæ, vt infrà dicemus.

QVAESTIO I.

An definitum in definitione generis Logici sit intentio generis, vel res subiecta intentioni?

GEnus potest sumi quintupliciter, primò pro natura, in qua fundatur intentio generis, scilicet pro animali, secundò pro ipsa intentione denominante talem naturam, vt generi-

nereitas; Tertiò pro aggregato ex natura, & intentione generis, vt animal genus; Quartò pro natura, vt subest intentioni generis, vt animal respectu generis, quatenùs est fundamentum ipsius; Quintò pro ipsa intentione in concreto, vt genus, species, &c. Quando enim in hac quæstione loquitur de intentione, intelligitur de secunda intentione. Quælibet secunda intentio in concreto inuoluit duo, vnum pro formali, & alterum pro materiali, vt verbi gratia, genus pro formali dicit genereitatem, pro materiali connotat naturam, scilicet animal, vt patet de albo, quod est concretum reale accidentale. Aliud est aggregatum, & aliud concretum; aggregatum est illud, quod æquè primò significat res diuersorum prædicamentorum, vt homo albus, animal genus, & de hoc non habetur scientia, cùm sit ens per accidens; concretum verò primò significat formam concretam, vt album primò dicit albedinem non abstractam, sed concretam, scilicet prout connotat corpus, & ponitur tantùm in Prædicamento qualitatis. His positis sit

Prima conclusio; Natura secundùm se, & absolutè considerata non est definitum in hac definitione generis. Probatur; natura vt sic nō pertinet ad Logicum, sed ad Metaphysicum, ergò non est illa, quæ definitur in hac definitione; Consequentia sequitur, quia Logicus non agit de rebus, sed de intentionibus; Tùm res naturales considerantur à Logico, vt sunt fundamenta secundarum intentionum, non verò absolutè, ergò nec sic absolutè definiuntur à logico.

Secunda conclusio. Nec definitur intentio in abstracto; Probatur; quod hic definitur, dicit ordinē ad primas intentiones, sed secunda intentio sic considerata non est huiusmodi, quia sic dicitur abstracta à prima; Maior patet, quia Logicus agit de secundis intentionibus adiunctis primis; Tùm intētio in abstracto pertinet ad Metaphysicum, nō ad Logicum, cùm munus Metaphysici sit cōsiderare res abstractas.

Tertia conclusio: Nec definitur aggregatum ex natura & intentione. Probatur; ens per accidens non definitur ex 7. Metaph. sed aggregatum ex natura, & intentione est ens per accidens, ergò, &c. Minor constat, nam constat æque primò ex natura & intentione.

Quarta conclusio. Nec definitur res subiecta intentioni; Probatur, illud definitur in hac definitione, quod per se consideratur à Logico, sed res subiecta intentioni non est sic, ergo, &c. Minor constat, nàm Logicus per se primo considerat intentionem, & per accidens rem, sed res prout stat sub intentione primò significat rem, & secundò significat intentionem, ergò res subiecta intentioni per se primò non consideratur à Logico: Item illud, quod definitur in hac definitione debet esse vniuocum, sed res subiecta intentioni generis non est vniuoca ad omnia illa, quæ dicuntur genus, ergò, &c. Minor patet, nàm si qua esset, esset substantia, vel quantitas, vel qualitas, &c. quod est falsum, quia tunc substantia esset quoddam vniuocum

cum

cum ad omnia genera prædicamentorum, vel quantitas esset vniuoca ad cætera Prædicamenta, vel qualitas, ergò &c.

Quinta conclusio. In hac definitione definitur secunda intentio in cõcreto, vt genus non in abstracto scilicet pro genereitate, sed in concreto, nempè prout connotat rem, idest, animal; videtur esse contra aliquos Thomistas asserentes hic definiri genus in concreto & quià concretum siuè intentionale, siuè reale in recto dicit formam & subiectum; nos verò cum Scoto dicimus in recto dicere formã, pro connotato subiectum, vt in propria quæstione in Anteprædicamentis, ideò penès hoc conclusio videtur esse contrà ipsos. Probatur primò, Illud definitur in hac definitione, quod per se consideratur à logico, sed hoc est secunda intentio in concreto, ergò &c. Maior patet, quià quicquid definitur ab aliquo, cognoscitur ab illo: Minor etiam patet, nàm Logica est de secundis intentionibus adiunctis primis ex Auicenna, ergò &c.

Secundò probatur: Illud definitur hic, quod est commune omnibus generibus supremis, sed nihil est commune ipsis, nisi secunda intentio in concreto, ergò &c. Maior constat, nàm sub genere primo prædicabili continentur omnia genera suprema: Minor patet, quia nulla natura generica potest esse communis generibus supremis, scilicet, substantiæ, & accidenti, alitèr enim illa genera suprema non essent suprema, nàm nèc animal, nèc color, nèc aliud simile potest esse commune illis generibus supremis, ergò cùm secunda intentio in concreto, scilicèt genus, sit communis eis, ipsa definitur in hac definitione generis.

Obijc. primò, contrà quartam conclusionem; Illud definitur in hac definitione, quòd prædicatur de pluribus differentibus specie, sed res subiecta intentioni est huiusmodi, ergò &c. Minor patet, nàm animal, vt substat secundæ intentioni, prædicatur in quid de homine, leone &c. quæ differunt specie ergò &c. Tùm etiàm prędicari fundatur in esse, nàm modus prædicandi sequitur modum essendi, sed animal, quòd substat intentioni, est in pluribus, scilicet in homine, leone &c. & non genus, alitèr enim homo esset genus, ergò res subiecta intentioni prædicatur de pluribus differentibus specie.

Resp. distinguendo maiorem, illud definitur &c. prædicatione signata, concedo; exercita, nego; applica ad minorem, & ad probationem minoris, & sic inuenies falsam consequentiam. Ad confirmationem per idem respondetur; quandò verò in maiori dicitur, prædicari sequitur esse, verum est in entibus realibus prædicatione exercita, non verò in entibus rationis prædicatione signata; nàm prædicari prædicatione signata est proprium secundæ intentionis, sicùt prædicari prædicatione exercita est proprium entis realis.

Obijc. secundo, genus est vna species infima vniuersalis, ergò prædicatur de differentibus numero, & non specie. Consequentia patet ex definitione speciei, & sic illud quòd hic defi-

definitur, non est intentio generis, sed res subiecta intentioni.

Resp. distinguendo consequens, nō prædicatur de differentibus specie prædicatione exercita, concedo; signata, nego; nàm genus, vt est vna species vniuersalis, prædicatur etiam de differentibus numero prædicatione exercita, quià dicitur de hac, & de illa intentione generis, vt hoc genus est genus, genus substantię est genus, genus quantitatis est genus; sed prædicatione signata dicitur de speciebus, quià est id, quo suum denominatum seù substratum dicitur de speciebus.

Dices, vna species disparata non prædicatur de alia specie disparata, sed genus, & species sunt species disparatæ, ergò vnum non prædicatur de altero, scilicet genus de specie.

Resp. distinguendo maiorem, in terminis primæ intentionis prædicatione exercita, concedo, in terminis secundæ intentionis prædicatione signata, nego; applica ad consequentiam, & explica vt supra &c.

Obijc. tertio, Porphirius definiendo genus exemplificat ibi de animali, & homine, ergò intendit definire animal, alitèr exemplum non valeret, & sic natura vt subiecta intentioni definitur.

Resp. quod Porphirius exemplificat de animali, quià, quod signatur in terminis secundæ intentionis, exercetur in primis tamquam in manifestioribus, non quià de eis dederit definitionem.

Obijc. quarto contrà quintam conclusionem. Secunda intentio in concreto est ens per accidens; ergò non definitur in hac definitione: Consequentia sequitur, quià de ente per accidens non est definitio; Antecedens patet; nàm aggregatum ex natura, & intentione est ens per accidens, quia dicit res diuersorum prædicamentorum, sed secunda intentio in concreto est huiusmodi, ergò &c.

Resp. negando antecedens. Ad probationem nego minorem, nàm aliud est aggregatum, & aliud concretum, vt dictum est, modò secunda intentio in concreto non est ens per accidens.

Quæritur, Quodnam sit genus in hac definitione?

Resp. Prædicari de pluribus; est Scoti quæstione 15. contrà Paulum Venetum, Iauellum, & quamplurimos asserentes, naturam, vt substat intentioni, esse genus in hac definitione. Probatur, illud est genus in hac definitione, sub quo omnes species vniuersalis continentur, & ab illis participatur, sed huiusmodi est prædicari de pluribus ergò &c. Minor patet, quià quælibet species vniuersalis prædicatur de pluribus; Not. quod prædicari de pluribus est genus immediatum & proximum, sub quo continentur omnia vniuersalia; prædicari verò est genus mediatum, & remotum, sub quo continetur indiuiduum, quod prædicatur de vno solo.

Dices, quandò definitur accidens in concreto, subiectum ponitur loco generis, sed in hac definitione definitur genus in concreto, ergò subiectū eius, quod est natura vt substat intentioni, ponitur loco generis. Maior patet inductiuè, nàm cùm definitur album,

album, dicimus album est corpus disgratiuum visus, in qua definitione corpus ponitur loco generis, ergò &c.

Respondetur, distinguendo maiorem, si definiatur descriptiuè, cócedo; si quidditatiuè, nego; nàm hic definitur genus quiditatiuè. Vel secundò dicimus, maiorem esse veram de accidentibus realibus, quæ habent verum subiectum inhæsionis, non de accidentibus rationis, quæ propriè non inhærent &c.

QVAESTIO II.

An definitio generis sit quiditatiua, vel descriptiua?

DEfinitio quiditatiua est duplex, alia purè quiditatiua, & est illa, cuius omnes partes pertinent ad quiditatem, vt homo est animal rationale; alia est quiditatiua data per additamentum, quæ explicat quiditatem definiti, & vltrà hoc additur aliquod extrinsecùm, sine quo definitum non potest perfectè explicari, & hoc modo definiuntur omnia accidentia tàm absoluta, quàm respectiua, & etiàm omnes secundæ intentiones, nàm accidens non potest completè definiri definitione quietante intellectum sine termino suæ dependentię, qui est subiectum. Ad hoc vt aliquod possit definiri definitione purè quiditatiua debet habere quinque conditiones; prima, quod sit ens positiuum; secunda, quod sit per se vnum; tertia, quod sit ens reale, idest ipsi non repugnet habere verum esse; quarta, quod sit resolubile in plures conceptus, scilicet quiditatiuum, & qualitatiuum, seu in quid, & in quale, & per hoc excluduntur simplicitèr simplicia, vt ens, vltimæ differentiæ, & propriæ passiones entis; quinta, quod non sit singulare, quià de singulari non est scientia, nec definitio ex 7. Meth. His positis sit

Prima conclusio; nec definitio generis, nèc alterius vniuersalis est purè quiditatiua. Probatur, nàm vt aliquod definiatur tali definitione, debet esse ens reale, sed quinque vniuersalia sunt secundæ intentiones, ergò &c.

Secunda conclusio. Definitio generis est quiditatiua data per additamentum. Colligitur ex Scoto, & Tatareto cap. de Genere, sciendú 3. Probatur primò, quod sit quiditatiua; Omnis definitio, quę datur per genus, & differentiam est quiditatiua, sed huiusmodi est definitio generis, ergò &c. Minor patet, nàm prædicari de pluribus ponitur loco generis, cæteræ particulæ loco differentiæ, vt per ly differentibus specie distinguitur à specie, quæ prædicatur de differentibus numero, per ly, in quid, distinguitur à differentia, proprio, & accidente, quæ prædicantur in quale, ergò &c.

Secundò probatur, quod hæc definitio sit data per additamentum; Illa definitio est quiditatiua per additamentum, quæ datur per essentialia, & vltrà hoc additur aliquod extrinsecum, sed definitio generis est huiusmodi ergò &c. Minor patet, nàm in hac definitione ponitur ille ablatiuus, specie, quæ est quid extrinsecum ei, quià

quià ſupponit pro fundamento correlatiui generis, cùm terminus relationis non terminet ſecundùm rationem relatiui, ſed ſecundùm rationem abſoluti, vt infrà cap. de Relatione, quod abſolutum non pertinet ad quiditatem relatiui, ergò &c.

Obijc. primo contrà primam partẽ ſecundæ concluſionis; ſub genere quod hìc definitur continentur genera ſuprema, ſed ipſa non poſſunt quiditatiuè definiri, cùm ſuprà ſe non habeant genus, ergò hęc definitio non eſt quiditatiua, ſed deſcriptiua.

Reſp. diſtinguendo minorem, non poſſunt quiditatiuè definiri definitione conſtante ex genere & differentia, concedo; definitione, quæ datur per ens, & modum, nego; nàm genera ſuprema definiuntur per ens, & modum, vt ſubſtantia eſt ens per ſe. Vel ſecundò meliùs, in his logicalibus genera ſuprema non poſſunt quiditatiuè definiri, vt entia realia ſunt, concedo; vt entia intentionalia, nego; nàm genera ſuprema vt entia realia non habent ſuprà ſe aliquod genus, quià ſic non eſſent genera ſuprema, & ideò non poſſunt quiditatiuè definiri; vt entia intentionalia habent ſuprà ſe aliquod genus intentionale, vt in diſputatione de Prædicamento in communi, & ſic poſſunt quiditatiuè definiri per genus, & differentiam.

Dices, genera ſuprema nullam naturam genericam habent ſuprà ſe, ergò nèc poſſunt per genus definiri.

Reſp. diſtinguendo antecedens, genera ſuprema realiter conſiderata concedo; intentionaliter, nego, nàm &c.

Obijc. Secundò, Porphirius in textu ait, iſtam definitionem generis potiùs eſſe deſcriptiuam, quàm quiditatiuam his verbis; *Tripliciter igitur cùm genus dicatur, de tertio apud Philoſophos ſermo eſt, quod etiam deſcribentes aſſignauerunt*, ergò ex hac auctoritate potiùs colligitur hanc definitionem eſſe deſcriptiuam.

Reſp, diſtinguendo antecedens, ex Porphirio, iſtam definitionem eſſe deſcriptiuam impropriè, concedo; propriè, nego; nàm talis definitio dicitur deſcriptiua à Porphirio tantùm impropriè, ſcilicet, non purè quiditatiua, non verò quod ſit propriè definitio deſcriptiua; illud quod dicit in textu nihil facit contrà nos, quià dicit *Deſcribentes aſſignauerunt*, ideſt, definierunt. Itèm cap. de Specie dicit, *neceſſe eſt in vtrorumque rationibus vtriſque vti*, ſed ratio, quam ſignificat nomen eſt definitio ex 4. Metaph. &c.

Obijc. tertiò, Definitio eſt ſolius ſpeciei, ergò non generis, & conſequentèr genus non definitur.

Reſp. quod quandò genus definitur, habet rationem ſpeciei vniuerſalis.

Obijc. quarto, Definitio debet dari per priora, ſed iſta datur per ſpeciem, quæ eſt poſterior genere, ergò non eſt recta definitio.

Reſp. diſtinguendo maiorem, definitio entium abſolutorum, concedo; relatiuorum, negò; nàm relatiua definiuntur per ſua correlatiua, quæ ſunt ſimul natura, ſicùt eſt in caſu.

QVAESTIO III.

An definitio generis data in prædicatione signata sit vera in prædicatione exercita?

SEnsus quæsiti est, nàm genus prædicatione signata prædicatur de speciebus, an talis definitio sit vera in prædicatione exercita sic dicendo, homo est animal, leo est animal, pro qua sit

Prima conclusio affirmatiua. Ità Scotus quæst.16. Probatur primò auctoritate Porphirij exemplificantis definitionem generis in prædicatione exercita sic dicendo, homo est animal, ergò definitio generis in prædicatione signata est vera in prædicatione exercita.

Secundò, Prædicatio superioris de inferiori est vera prædicatio, & per se, sed huiusmodi est ista, homo est animal, ergò &c.

Tertiò; Prædicatio in primo modo dicendi per se est illa, in qua tota definitio, vel pars definitionis prædicatur de definito, & est bona prædicatio, sed animal est pars definitionis hominis, ergò &c.

Secunda conclusio. Genus prædicatur de speciebus non vt pars, sed vt totum potentiale; ità Scotus vt suprà contrà aliquos, & præcipuè Caietanum cap. de genere; Probatur. De ratione generis est respicere plures species tamquàm eius partes subiectiuas, de quibus potest prædicari, sed genus vt est pars speciei non respicit plures species, nèc de pluribus potest prædicari, quià sic solùm connotat speciem, quam constituit, ergò non prædicatur vt pars; Itèm tùnc quælibet pars prædicaretur de suo toto, quod est falsum, nàm hæc est falsa propositio, homo est materia prima, homo est anima, ergò &c. & sic dicimus, quod prædicatur vt totum potentiale, quatenùs respicit omnes species tamquàm suas partes subiectiuas.

Obijc. primo, contrà primam conclusionem; si sic, ergò etiàm ista propositio esset vera, homo est genus; consequentia probatur, nàm homo est animal, sed animal est genus, ergò homo est genus.

Resp. negando sequelam; Ad probationem negatur consequentia, quià est fallacia accidentis proptèr variationem Medij, nàm animal vt prædicatur de homine accipitur secũdùm esse quiditatiuum, & extrà intellectum; vt verò ei competit intentio generis accipitur secundùm esse quod habet in intellectu, & sic variatur Medius terminus in maiori, & in minori.

Dices; Omne, quod prædicatur, prædicatur sub ratione alicuius vniuersalis, sed animal prædicatur de homine extrà intellectum, ergò prædicatur vt vniuersale, sed non alterius vniuersalis, nisi generis, ergò animal extrà intellectum est genus, & sic non variatur Medius.

Resp. distinguendo maio. omne quod prædicatur &c. prædicatione signata, concedo; exercita, nego; animal enim prædicatur de homine

præ-

prædicatione exercita, quę fit per esse, & ideò ipsi extraneatur ratio vniuersalis.

Obijc. secundo, Quandò animal prædicatur de homine, aùt tota natura animalis est in homine, aùt non; si primum, ergò tantùm homo esset animal, & non equus; quià totum est illud, extrà quod nihil est accipere; si secundum, ergò esset incompletè animal, quod non est dicendum.

Resp. quod tota natura animalis est in homine quiditatiuè sine præcisione, non materialitèr, quià sic est diuisa; sicùt enim tota quiditas aquæ est in vna gutta, & non tota aqua, quià sic est diuisa, ità dicendum in casu de animali &c. Quandò dicitur, totum est illud, extrà quod &c. sic explicatur, idest est illud, cui nihil deest requisitum ad ipsum.

Obijc. tertio, Ex Aristotele in lib. Post. non solùm tota definitio, sed etiàm quælibet pars definitionis prædicatur de definito, sed genus est pars actualis definitionis, ergò vt sic prædicatur, & non vt totum.

Resp. distinguendo secundam partè maioris, quælibet pars definitionis prædicatur de definito per modum totius, concedo; per modum partis, nego; Vel secundò, pars definitionis non prædicatur de definito per modum abstracti, sed per modum concreti; nàm ista esset falsa, homo est manus, homo est caput, quià esset prædicatio per modum abstracti; esset tamèn verum sic dicere, homo est manuatus, est capitatus per modum concreti, idest homo est habens manus, caput &c. ità etiàm in casu, animal enim non solùm dicit animalitatem, sed etiàm actu connotat id, quod habet ipsam animalitatem.

Dices, si animal prædicatur per modum totius, seù concreti, quatenùs connotat id, quod habet animal, ergò prædicatur denominatiuè. Consequentia sequitur, quia omne concretum est denominatiuum, vt in disputatione de Anteprædicamentis, ergo &c.

Resp. negando consequentiam: Ad probat: distinguo antecedens, omne cõcretum, quod concernit subiectum, est denominatiuum, concedo; Quod concernit tantùm suppositum, nego; nàm animal est concretum, quod connotat tantùm supposita, scilicet sua inferiora; sicùt enim duplex est abstractum, idest abstractũ à subiecto, vt albedo à pariete, & abstractum à suppositis, vt animal à suis inferiorioribus, additur etiàm tertiũ, scilicet abstractum à fundamento, vt Paternitas ab eo, qui est Pater, ita dicendum de concreto.

Dices, Si hoc est verum, homo est animal per modum cõcreti, ergo hòc etiam est verum, humanitas est animalitas, sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Consequentia sequitur, quia à concretis ad abstracta tenet consequentia.

Resp. negando consequentiam: Ad probat: dicimus, quod illa regula tenet in terminis accidentalibus, & media abstractione, modò in casu termini sunt essentiales, & vltimatè abstracti, ideo &c.

Obijc. quarto; Hæc est differentia intèr genus, & speciem, nàm species

prædicatur completè, quià dicit totam essentiam, genus verò prædicatur incompletè, quià dicit partem essentiæ, ergò, si species prędicatur per modum totius, genus per modum partis.

Resp. distinguendo illam partem antecedentis, genus prædicatur incompletè ex parte rei, quæ prædicatur, concedo, ex parte modi prædicandi, nego; nàm genus per modum totius prædicatur completè, quià dicit quoddam totum potentiale, ideo &c.

QVAESTIO IV.

An Genus relatum ad Indiuidua habeat rationem generis?

DVo sunt genera indiuiduorum, quędam sunt, quæ continentur sub eadem specie, vt Petrus, & Ioannes; quædam continentur sub diuersis speciebus, vt hic homo, hic equus; pro qua sit

Conclusio affirmatiua, siuè sit relatum ad indiuidua diuersarum specierum, siuè eiusdem speciei, loquẽdo verò mediatè, non immediatè. Prima pars probatur; Indiuidua diuersarum specierum differunt essentialitèr, ergò differunt specie, & cõsequentèr genus respectu illorum etiã habebit rationem generis. Secunda pars probatur, Genus respectu indiuiduorum eiusdem speciei est prædicatum vniuersale, ergò debet esse aliquod ex quinque vniuersalibus, non accidens, non proprium, non differentia; vt patet, nèc species, quià hæc tantùm prædicatur de differentibus numero, genus verò etiàm de speciebus, ergo &c.

Obijc. quod prædicatur de differẽtibus numero est species, ergo genus vt prędicatur de indiuiduis dicitur species, & non genus.

Resp. distinguendo antecedens, quod prædicatur de differentibus numero immediatè, concedo; mediatè, negò; nàm genus prædicatur de illis mediatè, idest mediante specie; species vero prædicatur de illis immediatè; Vel secundò, genus prædicatur de illis sine pręcisione, species vero cum præcisione.

Dices, genus immediatè prædicatur de hoc genere, & illo genere, sed ista differunt numero, ergo immediatè prędicatur de differentibus numero; Maior patet, nàm est verum dicere, hoc genus est genus, illud genus est genus. Minor etiam patet, nàm signa demonstratiua denotant vnum numero.

Resp. quod, quando genus immediatè prędicatur de suis indiuiduis, tunc habet rationem speciei, non generis.

Notandum, quod fundamentum speciei, licèt sit natura specifica diuisibilis in indiuidua, tamèn quęlibet natura communior potest comparari ad sua indiuidua, & habere rationem speciei; & hoc secundùm ordinem formatum ab intellectu, potente abstrahere vnum conceptum ab alijs, & illum immediatè comparare ad proprium indiuiduum; non verò secundùm ordinem naturę, quià in tali ordine

dine primò ponitur ens, secundò substantia, tertiò corpus, quartò viuens, quintò animal, sextò homo, & secundū istum ordinē indiuidua superiorū, vt hæc substantia, hoc corpus, hoc animal indiuiduantur per vltimā differentiā speciei specialissimæ, nam ex hoc, quod homo sit hic homo, fit etiam hoc animal, hæc substantia &c. quando enim intellectus comparat genus immediatè ad indiuidua, tunc ex ista comparatione derelinquitur in genere quoddam comparatum passiuè, quod dicitur species, & sic genus dicitur species, vt dictum est &c.

Quæritur, Quomodo distinguitur secunda intentio generis, quæ denominat substantiam ab ea, quæ denominat quantitatem, vel qualitatem?

Resp. Ex Scoto quæst. 6. quol. §. de tertiò &c. quod differt solùm numero, quia in ratione denominandi, & respiciendi cōnotata conueniunt quidditatiuè, seu specificè; differunt tamen specie, vel genere ratione connotati, sicut albedo hominis, & equi sunt eiusdem speciei, licèt connotata differant specie; ità dicendum in casu &c.

Quæritur, An genus (supposito quod prædicetur mediatè de indiuiduis) respiciat species, & etiam ipsa indiuidua vnica relatione prædicabilitatis, vel pluribus?

Resp. Vnica relatione prædicabilitatis, quia cùm hæc relatio sit ab intellectu effectiuè, si ipsemet intellectus referat naturam genericam ad species, & ad indiuidua vnico actu, vnica etiam erit relatio.

Dices, Relatio multiplicatur ad multiplicationem terminorum, vt dicemus in propria disputatione cum Scoto, sed in casu sunt plures termini, ergò &c.

Resp. Distinguendo maiorem, relatio realis multiplicatur, &c. concedo; intentionalis, negò; nam relatio realis resultat ex natura fundamenti, & termini, & sic necessariò infertur multiplicatio relationum ad multiplicationem terminorum; relatio verò rationis est tantùm effectiuè ab intellectu, ideò, si vnico actu intellectus referat genus ad indiuidua, & ad species, vnica etiam erit relatio, si duplici actu, duplex etiam erit relatio, ideò &c.

QVAESTIO V.

An genus possit conseruari in vnica specie, & species in vnico indiuiduo.

Genus habere actu plures species, & species plura indiuidua contingit dupliciter, vno modo in actu reali, alio modo, in actu obiectiuo, seu cognito; primo modo animal habet plures species actu, & homo plura indiuidua; secundo modo Sol, & Luna habent plura indiuidua non actu existentia, sed actu cognita, seu possibilia; Genus duplex est, scilicet reale, vt animal, & intentionale, vt genus pro secunda intentione, idem dicendum de specie. His positis sit

Prima conclusio. Genus reale, seu Metaphysicum potest conseruari

in

in vnica specie. Probatur, tota quidditas istius generis reperitur in qualibet specie intensiuè, sicut quidditas speciei in quolibet indiuiduo, ergò totum genus reale potest conseruari in vna specie; Item sicut Deus potest conseruare integram naturam Solis in vno indiuiduo, vt patet, ità potest conseruare totam naturam generis in vnica specie.

Dices, Differentia specifica facit differre vnum ab alio, ergò si non essent plures species, nec etiam erit differentia specifica.

Resp. Negando consequentiam; nam differentia licèt secundariò faciat differre, non verò primariò; primò enim differentia dicit constitutionem rei, secundò dicit diuersitatem ipsius rei; modò ad istum effectum secundarium sufficit, quod sint plures species possibiles, vt patet de rosa præsente, quæ non solùm differt ab alia rosa præsente, sed etiam à rosa in hyeme, quæ solùm est possibilis, seù in potentia obiectiua, differt etiam ab alijs speciebus possibilibus; ità dicendum in casu.

Secunda conclusio; Genus intentionale, seù Logicum, vt vniuersale est, necessariò debet habere actu plures species, non actu existentes, sed actu cognitas, seù appræhensas: Est Scoti quæst. 18. Probatur, genus essentialiter prædicatur de pluribus speciebus, ergò actu requirit plures species, sed non in actu reali, quia, homine solo existente, poterit intellectus applicare animali intentionem generis, ergò in actu obiectiuo, seù cognito; nam quod Sol sit species intentionalis non requirit à parte rei actu plura indiuidua, scilicet plures Soles; sed sufficit, quod intellectus abstrahat naturam specificam Solis existentem in vnico indiuiduo, & concipiat plura indiuidua ipsius Solis possibilia, quibus intellectus possit comparare naturam specificam abstractam, ex qua comparatione resultat illa secunda intentio, quæ dicitur species, & sic species Solis requirit plura indiuidua in actu obiectiuo seù cognito, ità dicendum de genere &c.

Obijc. primo, Species intentionalis fundata suprà Solem nō requirit plura indiuidua, quia non sunt, ergò nec genus debet necessariò habere plures species.

Resp. Distinguendo antecedens, non respicit plura indiuidua existentia, concedo; possibilia, nego; nam &c. explica vt suprà, sic dicēdū de genere.

Obijc. secundo; Relatiua posita se ponunt, & perempta se perimunt, sed genus, & species sic se habent, ergò posita vna specie, ponitur genus, & consequenter potest conseruari in vnica specie.

Item quando aliqua relatio habet plures terminos, ad quos refertur, si omnes perimunt, dummodò quod vnus remaneat, manet etiam relatio, vt patet de Patre habente plures Filios, quod si omnes perimunt, & vnus remaneat, manet etiam Pater in esse Patris, sed species sunt termini relationis generis, ergò &c.

Resp. Distinguendo consequens, posita vna specie ponitur genus in ratione relatiui; concedo in ratione vniuersalis, nego; nam genus, vt vniuersale

uersale est, necessariò respicit plures species, de quibus prædicatur.

QVAESTIO VI.

An in definitione generis rectè ponatur hæc particula, in quid?

Conclusio affirmatiua. Est Scoti quæst. 19. Probatur, nam genus per hanc particulã distinguitur à Differentia, quæ prædicatur in quale essentiale, & etiam à Proprio, & ab Accidente, quæ prædicantur in quale accidentale, ergò rectè ponitur hæc particula in definitione generis.

Obijc. primo, Ex primo Post. tex. 21. & 7. lib. Top. c. 2. expressè habetur, *Eorum quæ sunt in signata oratione, hoc quidem genus, illud autem differentia, & in eo quòd quid est genus, & differentia prædicantur*, ergò vtrũque prædicatur eodem modo, & consequenter per hanc particulam genus non differt à differentia.

Resp. Negando consequentiam; nam licèt differentia prædicetur in quid, quatenus est de essentia compositi, tamen prædicatur etiam in quale; & per modum adiacentis, & informantis; genus verò tantùm in quid, & per modum subsistentis; itaque differentia habet duos conceptus, scilicet esse de essentia compositi, & sic est quid rei; alterum est determinare, seu connotare genus, quatenus ipsum qualificat, & informat, & sic prædicatur in quale; tunc Aristoteles in illo loco non explicat vtrũque conceptum differentiæ, sed tantùm vnum, ideò &c.

Dices, Differentia superior prædicatur tantùm in quid de differentia inferiori, & non in quale, ergò prædicatur sicut genus, & sic responsio nulla.

Resp. Quod differentia superior in ordine ad differẽtiam inferiorẽ habet rationem generis, vel speciei, & ideò prædicatur de illis tantùm in quid; in ordine verò ad id, cuius est differentia habet rationem differentiæ, & sic prædicatur in quid per modum informantis, seu in quale quid.

Obijc. secundo, Per istam particulam non distinguitur genus ab accidente, ergò non rectè ponitur; Antecedens patet, nam accidens etiam prædicatur in quid ex Aristotele primo Top. cap. 7. vbi dicit, in omni genere reperiri quid.

Resp. Negando antecedens: Ad probat. disting. antecedens, accidens prædicatur in quid respectu suorum inferiorum, concedo; respectu subiecti, nego; nam accidens respectu suorum inferiorum habet rationem generis, respectu verò subiecti habet rationem accidentis, & sic prædicatur in quale.

Obijc. tertio, Genus prædicatur in quale, ergò malè dicitur quod prædicatur in quid; Antecedens patet ex Aristotele cap. de Substantia, Secundæ Substantiæ prædicantur in quale quid, sed genus est secunda substantia, vt in eo capite videbitur, ergò &c.

Resp.

Resp. Negando antecedens; Ad probat. dicimus, quod Aristoteles non dixit, secundas substantias prædicari in quale quid, sed dixit, ipsas significare quale quid, modò aliud est significare, & aliud prædicari.

Obiic. quarto, Genus respectu speciei est prædicatum, sed prædicatum respectu subiecti se habet vt forma, ergò genus respectu speciei se habet vt forma, sed forma prædicatur in quale, ergò genus prædicatur in quale.

Resp. Disting. minorem subsumptam, forma compositionis prædicatur in quale, concedo; forma prædicationis, nego; nam genus respectu speciei non est forma compositionis, quia potius est materia, sed est forma prædicationis; forma enim prædicationis est prædicatum respectu subiecti in prædicatione directa; aliquando verò forma compositionis est etiã forma prædicationis, vt dicendo, homo est rationalis, ideò &c.

QVAESTIO VII.

An genus prædicetur per se de differentijs.

Sensus quæsiti est, an ista prædicatio (rationale est animal) sit in aliquo modo perseitatis; Quæstio non intelligitur de genere, & differentia secundò intentionaliter, sed de ipsis naturis, quæ denominantur genus, & differentia.

Perseitas est duplex, alia Logica alia Metaphysica; prima consistit in prædicatione, vt quandò prædicatum est de conceptu quidditatiuo subiecti, vt homo est animal; alia consistit in entitate rei, vt quandò aliqua res per se, & secundùm suam naturam est talis, & non per aliud, vt Deus per se est ens, Sol per se est splendidus; homo per se est rationalis &c.& sic creaturæ non dicuntur entia per se, quia habent entitatem per Deum, stellæ per se non sunt splendidæ, quia per Solem. Prædicatio directa est duplex, alia formalis, alia identica; prima est illa, in qua prædicatum est forma subiecti, siuè sit de essentia, vt homo est animal, homo est rationalis, siuè sit proprium, vt homo est risibilis, siuè sit accidens commune, vt homo est albus; Secunda est illa, in qua duo inter se realiter coniuncta vnum prædicatur de altero, & è contrà, quamuis prædicatum non sit de essentia subiecti, vt Deus est misericordia, bonitas &c. His positis sit

Conclusio. Genus prædicatur de differentijs prædicatione identica, non formali, & per se. Prima pars probatur; nam prædicatio identica est illa, in qua duo realiter coniuncta inter se inuicem prædicantur, sed genus, & differentia in homine, v.g. realiter coniunguntur, ergò &c. Vndè istæ propositiones sunt identicæ, rationale est animal, animal est rationale, quia genus, & differentia declarant eamdẽ naturam specificam identicè.

Secunda pars probatur; Quod non est de conceptu quidditatiuo alicuius, non potest de illo per se formaliter prædi-

prædicari, sed genus non est de conceptu quidditatiuo differentiæ, quia tunc animal esset de essentia rationalis, quod nemo diceret, ergò &c. Item hæc prædicatio, rationale est homo, non est formalis, quia differentia vltima, secundùm Scotum, non includit formaliter ens, & consequenter nec speciem, ergò species de differentia constitutiua eius non poterit per se formaliter prædicari.

Obijc. primo, Ista prædicatio est per se, corporeum est substantia; similiter etiam incorporeum est substantia, sed substantia est genus supremum, corporeum, & incorporeum sunt differentiæ diuidentes ipsam, ergò genus per se prædicatur de differentijs.

Respon. Distinguendo maiorem, ista prædicatio est per se, corporeum est substantia, si substantia sumatur, vt distinguitur contrà accidens, concedo; si verò, vt genus generalissimum, nego &c. imò secundùm Scotum neque vt distinguitur contrà accidens talis prædicatio est per se, quia ens non includitur formaliter in differentijs, nec vltimis, nec medijs; ideò &c.

Obijc. secundo, Si genus per se non prædicatur de differentijs, nec genus per se prædicatur de specie, sed hoc est falsum, ergò &c. sequela maioris probatur, quod per se non prædicatur de aliquo subiecto, nec per se prædicatur de contentis sub illo subiecto, vt patet de albo, quod per se non dicitur de homine, nec de hoc, & illo homine, sed animal, v. g. per se non dicitur de rationali, ergò nec de homine.

Resp. Negando sequelam. Ad probat. disting. maiorem, quando subiectum est causa, quarè prædicatum dicitur de contentis sub ipso, concedo; quando verò non, sicut est in casu, nego; nam differentia non est causa, quarè animal dicitur de specie, quia per se animal dicitur de specie, & non per differentiam; ideò si prædicatur de differentia, prædicatur tantùm prædicatione identica, vt dictum est &c.

DISPVTATIO TERTIA DE SPECIE.

QVERITVR *primo*, Quare Porphirius post genus agit de specie? *Resp.* Quia species est correlatiuum generis, & ex cognitione vnius dependet cognitio alterius, & è contrà, & licèt differentia præcedat speciem in esse, non verò in prædicari, cum species habeat nobiliorem modum prædicandi, quia prædicatur in quid per modum subsistentis.

Quæritur secundo, Quot modis accipitur species?

Resp. Duobus modis, primò pro pulchritudine, & est debita dispositio membrorum, secundùm quam aliquis dicitur speciosus, iuxtà illud Antiquorum, Species Priami digna est imperio; secundò pro specie Logica, & hæc duplici definitione definitur secundùm duplicem ordinem, quem dicit, primò sub ratione subijcibilis, & est illa, quæ ponitur sub assignato genere directè, & immediatè, & de qua genus in eo quod quid prædicatur, & hæc competit tam speciei specialissimæ, quam subalternæ; secundà sub ratione prædicabilis, & est illa, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo, quod quid.

Dices, Vnius rei vnica est definitio, sed species est vna res, ergò vnica definitione debet definiri, & consequenter malè assignantur duæ definitiones.

Resp. Disting. maiorem, vnius rei vnico modo consideratæ &c. concedo; diuerso modo, nego; nam species consideratur sub ratione subijcibilis, & sub ratione prædicabilis, ideò potest habere duas definitiones.

Quæritur tertio, Quid facit Porphirius in hoc capite vltrà id, quod dictum est?

Resp. Constituit arborem Prædicamentalem, & ostendit quæ in Prædicamento collocantur, etiam agit de indiuiduo illud definiendo, *Indiuiduum est illud, quod prædicatur de vno solo.*

QVÆ-

QVAESTIO I.

An definitiones Speciei sint rectè assignatæ?

SPecies duplex est, alia est species specialissima; alia subalterna, prima ità est species, quòd nullo modo potest esse genus, vt homo; secunda ità est species, quód simul potest esse genus respectu diuersorum, vt animal respectu corporis, seù substantię est species, respectu hominis est genus; Similitèr genus duplex est, scilicet genus generalissimum, & subalternum; primum ità est genus, quod nullo modo potest esse species, quià supra se non datur aliud supraueniēs genus, vt substantia, quantitas, qualitas &c. secundum ità est genus, quod simul potest esse species, vt animal, viuens, corpus &c; respectu diuersorum. pro qua sit

Prima conclusio; prima definitio speciei data in ratione subijcibilis est recta, scilicet Species est, quæ ponitur sub assignato genere. Ità Scotus q. 2 1. Probatur, definitio relatiui data per suum correlatiuum est recta, & essentialis, quià explicat naturā relatiui, sed genus est correlatiuū speciei, ergò &c.

Secunda conclusio. Secunda definitio, data in ratione prædicabilis est recta. Ità Scotus. Probatur, omnis bona definitio constat ex genere, & differentia, sed hæc definitio est huiusmodi, nàm ly prædicari de pluribus ponitur loco generis, ly differentibus numero loco differentiæ, quià sic differt à genere, quod prædicatur de differentibus specie, per ly in quid differt ab alijs vniuersalibus, ergò &c.

Obijc. primò, Contrà primam conclusionem; Genus & Species non sunt relatiua, ergò malè definitur vnū per aliud, & è contrà; Antecedens patet, quià relatiua sunt simul natura, sed genus & species non sunt sic, quia vniuersaliora sunt prius natura minus vniuersalibus ex primo Top. ergò &c.

Resp. negando antecedens; Ad probationem minoris dicimus, quod vniuersaliora sunt priora fundamentalitèr, nō verò formalitèr; nàm fundamentalitèr illa sunt priora quia ab ipsis non valet subsistendi consequentia, ideò non rectè infertur, est animal, ergò est homo; formalitèr verò non sunt priora, nàm intellectus vnico actu comparat naturam superiorē ad inferiora, sicùt vnico instanti resultat relatio Paternitatis intèr Patrē, & Filium ex natura rei, in illis verò resultat relatio rationis ministerio intellectus.

Obijc. secundo, Indiuiduum, & differentia etiam ponuntur sub genere, ergò non tantùm species, & consequentèr illa definitio non erit recta; Antecedens patet, nàm Petrus est sub animali, similitèr differentia &c.

Resp. distinguendo antecedens, immediatè, & directè, nego; mediatè, & indirectè, concedo; nàm Indiuiduum ponitur sub genere mediante specie, differentia ponitur sub genere tantùm lateralitèr, & indirectè; definitio speciei intelligitur quod ponatur sub assignato genere immediate, & directè; ideò &c.

 Obijc.

Obijc. tertiò, Si hæc definitio est bona, ergò altera non est bona: sequela sequitur, quia species bis refertur, quod est contrà Aristotelem 5. Meth. *idem bis non refertur*.

Resp. negando sequelam; Ad probat: dicimus, quod illud Aristotelis sic intelligitur, idem non refertur ad diuersa primò, tamen per se non primò potest referri ad diuersa, nàm species, vt species est, refertur ad genus tamquàm ad suum correlatiuum, vt vniuersale est refertur ad indiuidua.

Obijc. quarto, Contrà secundam conclusionem; secunda definitio cōpetit alijs à definito, ergò non rectè assignatur; Antecedens patet, nàm Deus, vt fides docet, prædicatur de tribus personis in quid, & non est species; Itèm materia prædicatur de alijs materijs; anima de alijs animabus numero differentibus, & non sunt species, ergò &c.

Resp. negando antecedens; Ad probat: dicimus ad primum, quod Deus, licèt prædicetur de tribus personis, non tamen tamquàm de differentibus numero, quià essentia diuina est vna indiuisa numero in tribus, species verò multiplicatur numero: Ad aliud dicimus, quod hæc definitio speciei intelligitur de specie completa; materia enim, & anima sunt entia incompleta, ideo &c.

Quæritur, An hæc definitio competat speciei subalternæ?

Resp. negatiuè; nam species subalterna solùm dicitur species in ordine ad suum superius, & sic est subijcibilis, dum verò consideratur in ordine ad inferiora est genus, & nō species.

QVAESTIO II.

Species per quid constituitur in ratione vniuersalis?

Sensus quæsiti est, an species sit secundum vniuersale per respectum, quem habet ad indiuidua, de quibus prædicatur, pro qua sit.

Conclusio. Species constituitur in esse secundi vniuersalis per respectum ad indiuidua. Probatur, per id species constituitur in esse vniuersalis, per quod pertinet ad rationem vniuersalis, sed per respectum ad Indiuidua pertinet ad rationem vniuersalis, quia de illis prædicatur, quod est ratio vniuersalis, ergò &c.

Obijc. Species vt species est vniuersalis, sed dicitur species in ordine ad genus, ergò dicitur etiàm vniuersalis in ordine ad genus. Maior patet, nàm sicut genus vt genus dicitur vniuersale, ità species vt species dicitur vniuersalis.

Resp. neg. maio. Ad probat: nego paritatē, nàm genus dicitur genus per ordinē ad inferiora, de quibus prędicatur, & iste ordo cōstituit ipsū vniuersale, & ideò valet, genus vt genus est vniuersale; species verò dicitur species in ordine ad genus, & non ad indiuidua, sed quia iste ordo est impertinens ad vniuersalitatem, ideò non valet hoc dicere, species vt species est vniuersalis.

Notandum, quod omnes quæstiones examinatæ de genere, possunt etiàm fieri de specie; ideò breuitatis causa relinquuntur.

QVAESTIO III.

An definitio Indiuidui sit bona, in qua dicitur, Indiuiduum est quod prædicatur de vno solo?

INdiuiduum definitur à Porphirio duabus definitionibus, prima, per terminos primæ intentionis, vt *Indiuiduum est illud, quod ex proprietatibus constat; quæ proprietates simùl non possunt reperiri in duobus indiuiduis*, & sequenti carmine continentur: *Forma, figura, locus, stirps, patria, tempus*; per formam denotatur temperies qualitatum, quæ dicitur complexio; per figuram dispositio membrorum; per locū denotatur Vbi, seù situs, quod occupat; per stirpem prosapia; per patriam prouincia, à qua quis trahit Originem; per tempus denotatur instans Natiuitatis. Secunda per terminos secundæ intentionis, vt *Indiuiduum est, quod prædicatur de vno solo*, de quo quærimus in præsenti. Indiuiduum est duplex, aliud vagum, & aliud signatum; Indiuiduū vagum est illud, quod vagatur per totam speciem, vel est illud, quod connotat naturam contractam in aliquo supposito indeterminato, vt aliquis homo; Indiuiduum signatum est illud, quod prædicatur de vno solo, vel est illud, quod connotat naturam contractam in supposito determinato; vt hic homo; Indiuiduum vagum secundò intentionaliter dicitur vniuersale in prędicando, nō in denominando, quià non denominat naturam, cui applicatur, & per hoc differt ab alijs secundis intentionibus prædicabilium, quæ dicuntur vniuersales in prædicando, & in denominando, quia denominant naturas, quibus applicantur, vt homo est vniuersalis, animal est vniuersale. His posit sit

Conclusio affirmatiua. Probatur, nam talis definitio exactè explicat naturam indiuidui, quia explicat conuenientiam, & distinctionem cum alijs rebus, quæ prædicantur, nam, ly prædicari, ponitur loco generis, in quo cōueniunt omnia illa, quæ prædicantur, ly, de vno solo, loco differentiæ, in quo differt ab alijs, quæ prædicantur de pluribus, ergò est bona definitio.

Obijc. primò, Indiuiduum secundò intentionalitèr prędicatur de pluribus, scilicet de hoc indiuiduo, de illo indiuiduo; ergò hæc definitio non est bona, quod prædicatur de vno solo.

Resp. disting. antecedens; Indiuiduum prædicatur de pluribus prædicatione exercita, concedo; signata, nego; nam hæc definitio est propria indiuidui in prædicatione signata, nō verò in prædicatione exercita. Vel secundò dicimus, quod indiuiduum vagum prædicatur de pluribus, & sic dicitur vniuersale tantùm in prędicādo, & induit modum speciei, & connotat vnum suppositum indeterminatū; Indiuiduum verò signatum prædicatur tantùm de vno, ideò &c.

Dices, Indiuiduum signatum etiā prędicatur de multis, nam Petrus v.g. qui est connotatum Indiuidui signati, dicitur de multis hominibus, qui vocātur hoc nomine, ergò responsio nulla.

Resp.

Resp. negando antecedens; Ad probat: dicimus, quod Petrus prædicatur de multis ratione nominis, quatenùs multi alij vocantur hoc nomine, non verò ratione suæ naturę singularis, sicut sumitur in casu.

Obijc. secundo, Definitio non est rei singularis, sed vniuersalis, sed Indiuiduum non est vniuersale, ergò &c.

Resp. disting. maio. definitio non est rei singularis, vt singularis est, concedo; sub aliqua ratione vniuersali, nego; nam indiuiduum signatum definitur ratione alicuius, in quo conuenit cum alijs, & sic ratione alicuius vniuersalis; nam Socrates, e. g. qui est cõnotatum indiuidui signati, definitur ratione suæ indiuiduationis, in qua conuenit cum alijs indiuiduis; nam indiuiduatio Petri est indiuiduatio, indiuiduatio Pauli est indiuiduatio, & sic de cæteris, & consequentèr indiuiduatio se habet vt communis, & ratione istius indiuiduum potest definiri.

Quæritur, An relatio, qua Indiuiduum refertur ad genus, sit eadem cũ relatione, qua species refertur ad genus.

Resp. Quod est diuersa; nam sicut relatio generis ad indiuidua est diuersa à relatione speciei ad eadem indiuidua, ità dicendum in casu.

Dices, Referri mediatè & immediatè non multiplicat relationem, vt patet de genere, quod vnica relatione refertur ad species, & ad indiuidua, sed indiuiduum, & species sic se habet ad genus, quod indiuiduum refertur ad genus mediatè, species verò immediatè, ergò &c.

Resp. disting. maio. si mediatè, & immediatè se tenent ex parte terminorũ, concedo; si ex parte fundamenti, nego; nam referri mediatè, & immediatè, quod se tenet, ex parte fundamenti, multiplicat relationem, vt patet de relatione generis ad indiuidua, quæ est diuersa à relatione speciei ad eadẽ Indiuidua; relatio enim generis ad indiuidua est mediatè, idest mediante specie; relatio verò speciei ad indiuidua est immediatè; non sic est dicendum, quandò mediatè, & immediatè se tenent ex parte termini, vt genus eadem relatione refertur ad species, & ad Indiuidua, licèt immediatè, & mediatè.

DISPVTATIO QVARTA DE DIFFERENTIA.

QVAERITVR *primo*, Quarè differentia ponitur in medio loco?

Reſp. Quia nobiliori nobilior locus eſt concedendus ex 2. Phyſ. tex. 22. ſed locus medius eſt nobilior, & differentia eſt etiam nobilior cæteris prædicabilibus; eſt enim differentia nobilior genere, quia genus eſt potentia, differentia eſt actus, & actus eſt nobilior potentia; eſt nobilior ſpecie, quia differẽtia eſt cauſa ſpeciei, & cauſa eſt nobilior cauſato; eſt nobilior proprio, & accidẽte; quia ſubſtãtia præcedit nobilitate quodlibet accidens, ergo &c.

Quæritur ſecundo, Quot diuiſiones differentiæ aſſignat Porphirius in hoc capite?

Reſp. Tres, & duas ſubdiuiſiones; prima diuiſio eſt, Differentiarum alia communis, alia propria, alia magis propria; Differentia communis eſt illa, qua vnum differt ab altero alteritate quadam, ſcilicet diuerſitate accidentali, vt Sortes ſedens differt à Platone currente, vel Sortes ſenex differt à ſeipſo puero; Differentia propria eſt, qua vnum differt ab altero inſeparabili accidente, vt Sortes ſimus differt à Platone àquilo; Differentia magis propria eſt, qua vnum differt ab altero ſpecifica differentia, vt homo differt ab equo rationalitate.

Secunda diuiſio, Differentiarum aliæ faciunt aliud, ideſt differre eſſentialiter, vt differentia magis propria; aliæ faciunt alteratum, ideſt differre accidentaliter, vt differentia communis, & propria.

Tertia diuiſio, Differentiarum aliæ ſunt ſeparabiles, vt differentia communis, ſcilicet mouere, & quieſcere; aliæ inſeparabiles, vt differentia propria, & magis propria, ideſt aquilum & ſimum eſſe, vel rationale, & irrationale.

Prima ſubdiuiſio, Differentiarum inſeparabilium quædam ſunt per ſe, vt magis propria; quædam per accidens, vt differentia propria.

Secunda ſubdiuiſio; Differentiarum inſeparabilium per ſe, quædam ſunt diuiſiuæ generum, & quædam

ſunt

sunt constitutiuæ specierum, vt rationale, & irrationale diuidunt animal, & rationale constituit speciem hominis, irrationale speciem brutorum.

Notandum; quod differentiæ diuisiuæ, & constitutiuæ sunt eædem quoad esse, differunt verò quoad modum considerandi, vt rationale, quatenus diuidit animal, dicitur differentia diuisiua, quatenus constituit hominem dicitur differentia constitutiua.

QVAESTIO I.

An prima diuisio differentiæ sit bona?

Conclusio affirmatiua, Ità Scotus quæstione 25. Probatur, illa diuisio est bona, cuius membra diuidentia continentur sub diuiso, & illud adæquant, vt patet ex regula bonæ diuisionis, sed hæc diuisio est huiusmodi, nam differentia communis, propria, & magis propria continentur sub differentia in communi, & illam adæquant; & si essent aliquæ differentiæ debent reduci ad istas, ergò &c.

Obijc. primo, Omnis bona diuisio debet esse bimembris, quia datur per opposita, sed hæc diuisio non est huiusmodi, ergò &c.

Resp. Disting. minorem, hæc diuisio non est bimembris, in se, concedo; reductiuè, nego; nam talis diuisio est bimembris reductiuè, & reducitur hoc modo, Differentiarum quædam magis propria, & quædam non magis propria; differentia non magis propria quædam communis, & quædam propria, & sic omnis diuisio non bimembris reducitur ad bimembrem.

Obijc. secundò, Differentia propria, & communis pertinent ad quartum, & quintum prædicabile, ergò non continentur sub differentia, quæ est tertium prædicabile.

Resp. Disting. antecedens, quatenus accidentia sunt, concedo; quatenus differentiæ, nego; nam vt differentiæ continentur sub hoc prædicabili.

Obijc. tertio, Ad vnum membrum istius diuisionis sequitur aliud, ergò non est bona diuisio; Antecedens patet, nam valet dicere, differt differentia magis propria, ergò propria, & communi.

Resp. Negando antecedens; Ad probat. dicimus, quod membra diuidentia debent sumi cum præcisione, & sic non sequitur vnum ad aliud.

Obijc. quarto, Differentia indiuidualis non continetur sub istis membris, ergò non est bona diuisio; Antecedens probatur, nam non continetur sub differentia communi, & propria, quia istæ sunt accidentales, illa est substantialis; nec continetur sub magis propria, quia ista est differentia specifica, illa numerica, ergò &c.

Resp. Negando antecedens; Ad probat. dicimus, quod continetur sub differentia magis propria; Quando dicitur, ista est specifica, illa numerica, dicimus, quod continetur hoc modo, scilicet, sicut differentia specifica est sub-

substantiale, ità & illa; & sicut ista constituit speciem, ità illa constituit indiuiduum.

Obijc. quinto, Propria passio facit differre vnum ab alio, sed hæc non continetur sub nulla istarum, nam si sit maximè esset sub differentia propria, quod non, quia differentia propria suscipit magis, & minus ex Porphirio, propria passio non suscipit magis, & minus, ergò &c.

Resp. Negando minorem; Ad probat. dicimus, quod continetur sub differentia propria; quandò dicitur; ipsa suscipit magis, & minus ex Porphirio, propria passio non, dicimus, quod Porphirius non loquutus fuit de omni differentia propria, sed de aliquibus, & sic passio quæ fuit ab essentia, vt risibilitas, non suscipit magis, & minus, passio verò, quæ fluit à differentia indiuiduali, suscipit magis & minus &c.

Obijc. sexto, Membra diuidentia istius diuisionis confunduntur, ergò non est bona diuisio. Consequentia sequitur. Antecedens probatur, nam eadem differentia est communis, propria, & magis propria, vt albedo respectu parietis est communis, respectu Cigni est propria, & respectu sui ipsius, quatenus est specialis qualitas est magis propria, ergò &c.

Resp. Negando antecedens. Ad probat. dicimus, quod licèt eadem differentia sit communis, propria, & magis propria respectu diuersorum, non tamen respectu eiusdem; nam ad veram diuisionem sufficit, quod membra diuidentia formaliter distinguantur, vt patet in diuisione Boni, quod diuiditur in bonum honestum, in bonum vtile, & in bonum delectabile, cuius membra sunt eadem in qualibet virtute, ità in casu albedo secundum diuersas formalitates dicitur communis, propria, & magis propria.

Quæritur primo, An quandò differentia diuiditur in propriam, communem, & magis propriam, intelligatur de differentia reali, vel intentionali?

Resp. Quod intelligitur de differentia reali. Probatur, nam illa differentia hic diuiditur, quæ facit differre vnum ab altero, sed hæc est differentia realis, nam nullo operante intellectu homo albus differt ab homine nigro, & homo ab equo, ergò ex mente Porphirij hæc diuisio debet intelligi de differentia reali. Item tales differentiæ, vel considerantur vt faciunt differre, vel vt prædicabiles sunt, si primo modo considerantur, tunc seclusa quauis operatione intellectus, verè, & formaliter faciunt differre; si secundo modo, & sic non solum pertinent ad tertium prædicabile, sed etiam ad quartum, & quintum vniuersale, cum differentia propria, & communis non prædicentur in quale essentiale, sed in quale accidentale, ergò differentia realis diuiditur in hac diuisione.

Dices, Logicus agit de differentia prædicabili, sed vt sic est ens rationis, ergò Logicus agit de differentia intentionali, & non reali, &

consequenter hic diuiditur differentia intentionalis. Maior patet à simili de genere, & specie &c.

Resp. Ad maiorem, quod Logicus per se agit de differentia prædicabili, seu intentionali; per accidens verò etiam agit de differentia reali, quatenus subiacet secundæ intentioni differentiæ; & quia differentia secundùm quod facit differre non est secunda intentio, quia hoc habet secluso opere intellectus, sed ens reale, ideò hæc diuisio est de differentia reali. Item Logicus, quamuis per se agat de secundis intentionibus, tamen aliquandò etiam inuestigat naturam rerum denominatarum, vt iuxtà earum exigentiam, & naturam exerceantur prædicationes; ideò Porphirius explicando naturam speciei prædicabilis, in initio eius capitis præmittit aliqua de specie reali.

Quæritur secundo, Qualis sit hæc Diuisio.

Resp. Ex Scoto quæst. 23. vniuersalium, esse æquiuoci in sua æquiuocata penès modum secundum æquiuocationis; nam differentia propriè dicitur de differentia magis propria ex impositione, & transumptiuè de alijs; Si differentia accipiatur pro secunda intentione denominante differentiam communem, propriam, & magis propriam, tunc erit diuisio accidentis in subiecta, sicut alborum, aliud homo, aliud equus; ità differentiarum secundò intentionaliter alia communis, alia propria, & alia magis propria. Differentia verò realiter accepta secundùm hanc rationem, scilicet facere differre, vniuocè dicitur de omnibus differentijs, quia tam differentia communis, quàm propria, & magis propria dicuntur differentiæ, & faciunt differre, ergò vniuocè in hoc conueniunt.

Dices, Vniuocum æqualiter participatur ab omnibus, sed facere differre non æqualiter dicitur de differentia proprijssima, communi, & propria, nam priùs dicitur de differentia proprijssima, ergò &c.

Resp. Quod talis differentia dicitur vniuocè analogicè, idest secundùm rationē faciendi differre dicitur æqualiter de illis, non verò secundùm modum faciendi differre; sicut ens dicitur vniuocè analogicè de Deo, & creaturis, vniuocè secundùm vnitatem essendi, analogicè verò secundùm modum essendi, & gradum perfectionis.

Quæritur tertio, Quot definitiones differentiæ magis propriè assignantur à Porphirio in hoc capite?

Resp. Quinque, prima in ratione continentiæ, & est illa, quia species abundat à genere, idest per quam species plura essentialiter continet, quàm genus, quia continet differentiam, quam non continet genus, nisi potentiâ, nam abundare est plura quidditatiuè includere.

Secunda datur in ratione prædicabilitatis, & est illa, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid.

Tertia in ratione diuisiui, & est illa, quæ nata est diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt, vt rationale di-

uidit

uidit hominem ab equo.

Quarta in ratione compatatiui, & est, qua differunt à se inuicem singula, idest singulæ species eiusdem generis differunt inter se differentia.

Quinta in ratione partis, & est illa, quæ conducit ad esse rei, & est pars illius rei, idest constituit speciem, & est pars illius; ista definitio assignatur à Porphirio, vt corrigatur tertia definitio; nam propria passio est apta nata ponere differentiam inter ea, quæ continentur sub eodem genere, vt risibilitas facit differre hominem ab equo, & tamen non est differentia magis propria; ideò ponitur illa particula, & est pars rei, quia differentia magis propria est pars speciei.

QVAESTIO II.

An prima definitio differentiæ sit conuenienter data, in qua dicitur, Differentia est, qua species abundat à genere.

CONclusio affirmatiua. Ita Scotus quæst. 25. Probatur, speciem abundare à genere est speciem plura actu continere, quàm genus, sed species plura actu continet, quàm genus; nam homo actu continet rationalitatem, quam non continet genus, nisi potentia; ergò species conuenienter dicitur abundare à genere per differentiam.

Obijc. primo, Differentia non est definibilis, ergò conuenienter non datur. Antecedens probatur, nam quod definitur habet differentiam, sed differentiæ non est differentia, quia tunc esset procedere in infinitum in differentijs, ergò &c.

Resp. Negando antecedens. Ad probat. disting. min. vt differentia est, concedo, vt species est, nego; nam differentia non habet differentiam respectu eius, cuius est differentia; sed potest habere differentiam respectu cuius est species, & quia est species vniuersalis, ideò sua differentia est prædicari in quale essentiale: Ità Scotus quæst. 26.

Obijc. secundo, Si species abundat à genere per differentiam, à quo habet talem abundantiam? non à nullo, quia ex nihilo nihil fit; non à se, quia nihil facit seipsum in actu, ergò à genere, & consequenter genus habet talem abundantiam, & sic non est conuenienter data talis definitio de differentia.

Resp. Quod species habet talem abundantiam à genere; quandò verò dicitur, ergò genus habet talem abundantiam, distinguo, in potentia, concedo; in actu, nego.

QVAESTIO III.

An secunda definitio differentiæ, in qua dicitur, est illa quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid, sit recta?

Differentia est duplex, alia specifica, & alia generica; differentia specifica est illa, quę constituit speciem specialissimam, & est conuertibilis cum ea, vt rationale respectu hominis: differentia generica est illa, quę constituit genus, & est conuertibilis cum eo, vt sensibile respectu animalis dicitur differentia generica, pro qua sit

Conclusio affirmatiua, tantùm de differentia generica seù intermedia. Est Scoti quæst. 27. Probatur, omnis bona definitio constat ex genere, & differentia, sed hæc definitio est huiusmodi; nam ponitur, ly prædicari de pluribus loco generis, cæteræ particulæ loco differentiæ; nam ponitur, in quale, ad differentiam generis, quod prædicatur in quid; ponitur de differentibus specie, ad differẽtiam speciei, quæ prædicatur de differentibus numero; ponitur, in quale essentiale, ad differentiam proprij, & accidentis, quæ prædicantur in quale accidentale, ergò constat ex genere & differentia, & consequenter est conuenientèr data.

Secunda pars probatur, scilicet quod conueniat tantùm differentiæ genericæ; nam differentia specifica non prædicatur de differentibus specie, sed numero, vt rationale de Petro, de Ioanne &c. ergò talis definitio tantùm conuenit differentiæ genericæ.

Obijc. primo; Omnis bona definitio debet esse conuertibilis cum definito, sed ista non est huiusmodi, quià differentia specifica tantùm prædicatur de differentibus numero, ergò talis definitio non est conuenientèr assignata.

Resp. negando minorem: Ad probat: dicimus, quod Porphirius in hac definitione, tantùm definiuit differentiam genericam, & sic talis definitio est conuertibilis cum definito, & definitum non excedit definitionem.

Dices, Si sic, ergò sex erunt prædicabilia; sequela probatur, nam tertium prædicabile est differentia generica, sed differentia specifica debet cõstituere aliud prædicabile, ergò &c. Minor patet, nam sicùt prædicari de pluribus differentibus specie in quid constituit vnum prædicabile, quod est genus, & prædicari de differentibus numero in quid constituit aliud prædicabile, quod est species, ità prædicari de differentibus specie in quale quid, & de differentibus numero in quale quid, debent constituere diuersa prædicabilia, ergò sex erunt prædicabilia.

Resp. negando sequelam, & deindè Minorem, Ad probat: nego paritatem, & ratio disparitatis est, quia genus non est distinctum vniuersale à specie per hoc, quod prædicatur de diffe-

differentibus specie, species verò de differentibus numero, sed quia genus prædicat essentiam per modum partis, species verò per modum totius; differentia verò siuè generica, siuè specifica semper habet rationem partis, scilicet formæ, & qualis, & ideò non constituunt diuersa prædicabilia.

Dices, Potest nè dari definitio communis, quæ conueniat vtrique differentiæ?

Resp. affirmatiuè ex Scoto in corpore quæstionis, scilicet Differentia est, quod prædicatur de pluribus in quale essentiale: tamèn non potest dari communis definitio, quæ conueniat generi, & speciei, quæ sit prædicari de pluribus in quid, & ideò discriminantur, & hęc definitio differentiæ constituit differentiam tertium prædicabile.

Obijc. secundo, Differentia non includit genus, aliter enim genus per se, & formalitèr prædicaretur de differentia, quod in quæstione 7. de genere refutauimus, ergò talis definitio non est conuenientèr data de differentia.

Resp. distinguendo antecedens, differentia realis non includit genus, concedo; intentionalis, nego; nam differentia intentionalis, cùm sit vna species vniuersalis, potest sic includere genus, & consequentèr definiri, quamuis quatenùs differentia constituat tertium prædicabile denominatiuè.

Obijc. tertio, Prædicari de pluribus ex relatiuum, quia dicit ordinem ad illud, de quo prædicatur, sed differentia non est relatiuum, ergò &c. Minor probatur, nam differentia est relatio, qua differens refertur ad differens, ergò non est relatiuum, sed relatio.

Resp. negando minorem. Ad probat: dicimus, quod differentia vt est res primæ intentionis est relatio, & sic non refertur, vt autē est secunda intentio est relatiuum, & sic refertur.

Dices; Si refertur, vel refertur ad rē primæ intentionis, vel ad aliquod istorū prędicabiliū, non primū, quia cū sit aliquod intētionale nō est simul natura cū re primæ intentionis; nèc secundum, quia non ad genus, vel ad speciem, cùm genus referatur ad speciem, & è contrà; non ad proprium vel accidens, quia cum istis nullam habet conuenientiam, ergò cùm non habeat ad quod referatur, sequitur quod non sit relatiuum.

Resp. Quod differentia vt vniuersale refertur ad suum subijcibile, vt diuisiua refertur ad genus, quod diuidit, vt constitutiua ad speciem, quam constituit, & sic habet correlatiuum.

Obijc. quarto, Definitum differt ab alijs per suam definitionem, sed non valet dicere, differentia differt per suam definitionem, ergó &c. Minor patet, nam differentia est nomen abstractum, differt est nomen concretum, sed nullum concretum dicitur de abstracto, ergò nec valet dicere, differentia differt.

Resp. negando minorem; Ad probat: dicimus, quod differentia pro prima intentione est nomen abstractum, non verò pro secunda intentio-

tione, nam sic est concretum.

Dices, Si differentia pro secunda intentione est quid concretum, quod nam est eius abstractum?

Resp. Potest dici, quod sit differẽtialitas, sicùt abstractum generis dicimus esse genereitatem, sed re vera idem nomen inseruit pro abstracto, & pro concreto, ideo &c.

Obijc. quintò, Si hæc definitio esset conuenienter data, ergò superfluæ essent aliç definitiones, quas assignat Porphirius de differentia in hoc capite; Consequentia sequitur, quià hęc esset adęquata, & explicaret totam essentiam definiti, ergò &c.

Resp. negando consequentiam; nam hęc definitio est conuenientèr data in ratione prędicabilis; aliç verò definitiones sub alia ratione assignantur.

QVAESTIO IV.

An in definitione hac rectè ponatur illa particula, in quale quid?

Conclusio affirmatiua. Est Scoti quęst. 28. Probatur, nam per hanc particulam distinguitur à genere, ergò &c. Item differentia verè prędicatur in quale, nam ad interrogationem factam per quale, conuenientèr respondetur per differentiam, vt si quęratur, qualis est homo? conuenienter respondetur, est rationalis, ergò differentia verè prędicatur in quale. Item differentia verè habet rationem qualis, quia habet rationem formę, & actus, ergò &c.

Obijc. primò, Quod dicit quidditatem prædicatur in quid, sed differentia dicit quidditatem, ergò prædicatur in quid, & consequentèr malè ponitur illa particula, in quale. Maior patet, quià quidditas dicitur à quid?

Resp. distinguendo maiorem, quod dicit quidditatem per modum quid subsistẽtis &c. concedo; per modum informantis, nego; nam differentia dicit quidditatem secũdo modo, ideò non prędicatur in quid per modum subsistentis, sicùt genus.

Dices, Si differentia prædicatur in quid, & non per modum quid, ergò illud, quod prædicatur, & modus prædicandi opponuntur.

Resp. negando consequentiam, nam opposita debent esse circà idem, nunc verò quid vt res, & modus vt quale non opponuntur, vt patet in hac dictione, plurale, quod significat plura, tamèn dictio est singularis, & modò singulare plura significat.

Obijc. secundò, Quod prædicatur in quale, prædicatur denominatiuè, sed differentia non prædicatur denominatiuè, quià prædicatur vniuocè, ergò &c.

Resp. distinguendo maiorem, quod prædicatur in quale accidentale &c. concedo, essentiale, nego; nam differentia prædicatur in quale essentiale, & sic non denominatiuè.

Dices, Quod prædicatur in quale, est in Prædicamento qualitatis, quià qualitas est illa, secundùm quam quales

les esse dicimur, sed illud, quod est in tali Prædicamento, quando prædicatur, prædicatur denominatiuè, ergò &c.

Resp. distinguendo maiorem, in quale accidentale, concedo; in quale essentiale, nego; nam quale accidentale est prædicatum denominatiuum, quia est prædicatum extraneum subiecto, & illi adiacet; quale verò essentiale est prædicatum intrinsecum, & quatenus informat subiectum, dicitur prædicari in quale &c.

Quæritur, an differentia communis, & propria constituant hoc tertium prædicabile.

Resp. negatiuè, nam sola illa differentia constituit hoc tertium prædicabile, quæ prædicatur in quale quid, sed sic non est differentia communis, & propria, sed sola differentia magis propria, ergò &c.

Dices, Differentia communis, propria, & magis propria vniuocè conueniunt, ergò si magis propria constituit hoc tertium prædicabile, etiam communis, & propria.

Resp. distinguendo antecedens, conueniunt vniuocè in ratione faciendi differre, & in prædicari in quale cœdo, in modo faciendi differre nego; nam sola differentia magis propria facit differre essentialiter, ideò ipsa constituit hoc tertium prædicabile.

QVAESTIO V.

An differentiæ superiores per se, & essentialiter prædicentur de inferioribus?

Sensus quæsiti est, an sensibile per se, & essentialitèr, prędicetur de rationali, & irrationali, ità quod sit de cóceptu essentiali illorũ, pro qua sit

Prima conclusio negatiua. Et Scoti 7. Metaph. q. 17. & ferè communis. Probatur, differentia vltima est conceptus simpliciter simplex irresolubilis in alios cóceptus, ergò nõ includit essentialitèr differentiam Superiorẽ, & cósequentèr differẽtia superior nõ prædicatur essentialitèr de illis; Consequentia sequitur, quia tunc esset resolubilis in illum conceptum, quia in compositione deueniendum est ad simplicitèr simplicia.

Secunda conclusio. Differentiæ superiores possunt prædicari de inferioribus identicè. Probatur nam prędicatio identica est illa, in qua coniuncta simul realiter ex se inuicẽ prędicantur, sed differentia superior, & inferior quatenùs constituunt vnam speciem realiter coniunguntur, nam sensibile, vegetabile, rationale in homine dicunt eamdem rem realitèr, licet differant formalitèr, ergò &c.

Obijc. primò, Contrà primam conclusionem, vniuersale per se prędicatur dè suis inferioribus, sed differentia superior, vt sensibile, est vniuersale, quia continet sub se rationale, & irrationale tãquàm inferiora, ergo &c.

Resp.

Resp. Negando minorem; nam sensibile non dicitur vniuersale respectu differentiarum, sed respectu animalis, & contenti sub ipso, de quibus prędicatur in quale essentiale; de differentijs inferioribus prędicatur identicè, vt dictum est.

Dices, Sensibile non prędicatur de rationali, & irrationali accidentalitèr, ergò per se, & essentialitèr.

Resp. Quod differentia superior nec accidentaliter, nec essentialiter prædicatur de differentijs inferioribus, sed tantùm identicè.

Obijc. secundo, Superiùs formaliter includitur in inferiori, sed sensibile est superius respectu rationalis, ergò &c.

Resp. Negando minorem, nam non dicitur aliquod propriè superiùs, & inferiùs, nisi sit in recta linea; possunt dici superiùs, & inferiùs tantùm materialiter, & identicè.

Obijc. tertio, Rationale, vel est ens, vel nihil, si ens, ergò substantia, vel accidens; si substantia, vel corporea, vel incorporea, si corporea, vel sensibilis, vel insensibilis, ergò &c.

Resp. Quod rationale formaliter, nec est ens, nec nihil, identicè tamen est ens.

QVAESTIO VI.

An differentia constituat tertium prædicabile in ordine ad speciem, quam componit, vel in ordine ad Indiuidua illius speciei?

DIfferentia non constituit tertium prædicabile, quatenus prædicatur de hac, & illa differentia, quia sic non prædicatur in quale, sed in quid, & spectat ad secundum prædicabile si est specifica, vel ad primum si est generica; nec etiam in ordine ad genus, quod determinat, contrahit, & diuidit, quia prædicatum vniuersale debet habere rationem superioris, sed differentia respectu generis potius est inferior, quàm superior; item vniuersale debet referri ad plura, sed genus est vnum, ideò &c. His positis sit

Conclusio; *Differentia non constituit tertium prædicabile in ordine ad speciem, sed ad inferiora illius speciei, quam constituit.* Probatur, ratio vniuersalis est, vt respiciat plura, sed differentia in ordine ad speciem, quàm constituit non respicit plura (idem dicendum de differentia generica) ergò vt sic differentia non est vniuersale. Secunda pars patet per idem, quia vt sic respicit plura, de quibus potest prædicari in quale quid.

Obijc. Differentia prædicatur de spe-

specie, vt dicendo, homo est rationalis, sed non prædicatur, vt singularis est, ergò vt vniuersalis, & consequenter in ordine ad speciem etiam est tertium prædicabile.

Resp. Disting. consequens, prædicatur de specie, vt vniuersalis materialiter, concedo; formaliter, nego; nam differentia specifica, vt respicit speciem nec est vniuersalis formaliter, nec singularis; sicut species infima in ordine ad genus, nec est vniuersalis, nec singularis formaliter, ità dicendum in casu.

Dices, Indiuidua continentur virtualiter in specie, ergò sufficit ordo ad speciem ad rationem vniuersalis.

Resp. Negando consequentiam; nam vniuersalitas formaliter (cum sit actualis respectus ad plura) requirit illa plura actu saltem cognita, & consequenter non sufficit illa virtualis cōtinentia indiuiduorum.

Quæritur primo, An differentiæ sub eodem genere positæ opponantur, & qua oppositione?

Resp. Affirmatiuè, oppositione contraria non propriè, sed impropriè; Patet, nam vna non est alia, scilicet rationale non est irrationale, ergò aliqua oppositione opponuntur, non contradictoriè, quia in oppositione contradictoria vnum extremum est non ens, & in istis differentijs non est sic, ergò &c. nec priuatiuè, quia ambæ sunt positiuè; nec relatiuè, quia vna non refertur ad aliam; nec contrariè propriè, quia vna differentia non ex[c]ellit aliam; remanet quod opponantur oppositione contraria impropriè, quatenus sub eodem genere maximè distant.

Dices, Substantiæ nihil est contrarium, sed rationale, & irrationale sunt substantiæ, ergò &c.

Resp. Disting. maiorem, contrarietate propria, concedo; impropria, nego; nam &c.

Dices, Contraria possunt eidem subiecto inesse, sed rationale, & irrationale non possunt eidem subiecto inesse, ergò &c.

Resp. Disting. maiorem, contraria propriè, concedo; impropriè, nego; nam &c.

Quæritur secundo; An differentia suscipiat magis, & minus?

Resp. Quod aliqua differentia, scilicet communis, potest materialiter suscipere intensionem, & remissionem gradus; nam albedo vt quatuor, & vt octo habent inæqualitatem graduum; Formaliter verò, & in ratione faciendi differre non suscipiunt magis & minus, idest intensionem, & remissionem, quia sicut albedo vt quatuor, & albedo vt octo, conueniunt in essentia, ità in ratione faciendi differre, ergò &c. Differentia magis propria, & propria, quæ fluit ab essentia, numquam suscipiunt magis, & minus; differentia verò propria, quæ fluit à differentia indiuiduali, potest suscipere magis, & minus.

Dices, Aliquis homo perfectiùs, & magnificentiùs ratiocinatur, quàm alter, ergò signum est quod habet plures gradus rationalitatis.

Resp. Disting. antecedens, perfectiùs ratiocinatur propter Organum

X magis

magis adaptatum, concedo; propter rationalitatem, negò; nam aliquis homo magis ratiocinatur, quia habet organum magis dispositum, à quo actiones animæ dependent pro hoc statu; quoad rationalitatem, seù quoad principium ratiocinandi, omnes homines sunt æquales, ideò &c.

DISPVTATIO QVINTA

DE PROPRIO.

QVAERITVR *primo*, Quare priùs agitur de proprio, quàm de accidente?

Resp. Quia Proprium conuertibiliter prædicatur de subiecto; accidens commune verò non. Item accidens proprium est inseparabile, commune verò non; Item proprium emanat à principio intrinseco ipsius rei, commune verò ab extrinseco.

Quæritur secundo, Proprium quot modis accipitur à Porphyrio in hoc capite?

Resp. Quatuor modis; primò prout conuenit soli, sed non omni, idest soli speciei, sed nō omni Indiuiduo illius speciei, vt esse medicum, esse grammaticum conuenit soli homini, sed non omni homini. Secundò prout conuenit omni, sed non soli, vt esse bipedem conuenit omni homini, sed non soli, quia conuenit etiam auibus; Tertiò prout conuenit omni, soli, sed non semper, vt ridere in homine, nam licèt homo possit ridere, tamen non semper ridet; vt canescere in senectute conuenit soli homini, omni indiuiduo hominis, supple complexionato, sed non semper; & licèt animalia albescant in senectute, tamen non dicuntur canescere, sed grisescere; Quartò prout conuenit omni, soli, & semper, vt risibilitas conuenit soli homini, omni homini, & semper homini, hinnibilitas equo, & sic de cæteris.

QVÆ-

QVAESTIO I.

An Proprium sit vniuersale in ordine ad Indiuidua, vel ad Speciem.

CONclusio affirmatiua in ordine ad Indiuidua, de quibus prædicatur; in ordine verò ad speciem potest dici aliquo modo vniuersale. Prima pars probatur; vniuersale est illud quod prædicatur de pluribus; sed Proprium prædicatur de pluribus in ordine ad Indiuidua, ergò in ordine ad Indiuidua dicitur vniuersale. Secunda pars etiam patet, nam quod prædicatur conuertibiliter de subiecto vniuersali, potest aliquo modo dici vniuersale, sed Proprium dicitur de specie, quæ est subiectum vniuersale, ergò &c.

Obijc. primò, Vnum oppositum non prædicatur de altero opposito, sed proprium, & commune opponuntur, ergò &c. & consequenter Proprium non est vniuersale.

Resp. Negando minorem; nam Proprium dicitur tale respectu speciei; dicitur verò vniuersale respectu indiuiduorum, & ideò non opponuntur, nam opposita sunt respectu eiusdem. Vel distinguo minorem, Proprium pro re primæ intentionis opponitur communi, concedo; pro secunda intentione, nego; nam Proprium pro secũda intentione dicit aliquod commune pluribus.

Obijc. secundò, Proprium dicitur conuertibiliter cum specie, & non cum Indiuiduis; ergò dicitur vniuersale in ordine ad speciem, & non in ordine ad Indiuidua: Consequentia sequitur, nam Proprium in ordine ad illud dicitur vniuersale, de quo prædicatur conuertibiliter, cum vniuersale descendat in quartum prædicabile per prædicari conuertibiliter in quale accidentale; Antecedens etiam patet, nam optimè sequitur, est homo, ergò est risibilis, & è contrà, tamen non sequitur, est risibilis, ergò Petrus.

Resp. Negando consequentiam. Ad probat. dicimus, quod proprium non dicitur vniuersale in ordine ad vnum, sed in ordine ad plura, de quibus prædicatur; & cum ista plura in casu sint inferiora illius, cuius est Proprium, ideò respectu illorum dicitur vniuersale, & sic in ordine ad Indiuidua dicitur vniuersale; Ad id cum dicitur, proprium dicitur vniuersale in ordine ad illud, de quo prædicatur conuertibiliter, sic debet intelligi, idest dicitur vniuersale in ordine ad illud, de cuius essentia dicitur conuertibiliter, & sic dicitur tantùm conuertibiliter cum specie, & non cum Indiuiduis, nam benè sequitur, Petrus est homo, ergò est risibilis, Petrus est risibilis, ergò est homo, & sic risibile conuertitur cum specie, & cum subiecto adhæsionis, non cum subiecto prædicationis.

Dices, Vniuersale formale eo modo accipitur, prout est à parte rei, sed proprium à parte rei dicitur proximè de specie, ergò est proximè vni-

vniuersale in ordine ad speciem.

Resp. Disting. minorem, proprium dicitur proximè de specie, quia cum illa conuertitur, concedo; quia in ordine ad illa dicitur vniuersale, nego; nam proprium dicitur vniuersale prout prædicatur de pluribus, & quia in ordine ad indiuidua prædicatur de pluribus, ideò in ordine ad illa dicitur vniuersale.

Obijc. tertiò, Contrà secundam partem; Proprium in ordine ad speciem non prædicatur de pluribus, sed tantùm de vno solo, ergò in ordine ad speciem non dicitur vniuersale; Consequentia sequitur; nam ratio vniuersalis est, vt prædicetur de pluribus.

Resp. Disting. antecedens, immediatè, concedò; mediatè, idest mediante specie, nego; nam substinendo hoc dicimus, quod Proprium abstrahit ab hoc, quod dicitur de multis immediatè, vel mediatè, sufficit tantùm, vt dicatur de multis, siuè mediatè, siuè immediatè; Verùm est meliùs dicere, quod dicitur Proprium respectu speciei, vniuersale respectu indiuiduorum.

QVAESTIO II.

An definitio Proprji quarto modo sit conuenienter assignata?

CONclusio affirmatiua. Est Scoti quæst. 31. sic intelligitur, Proprium est quod accidit, idest prædicatur in quale accidentale, omni, idest de pluribus, soli, & semper, idest conuertibiliter, & sic vniuersale descendit ad proprium per hoc, quod prædicatur de pluribus in quale accidentale conuertibiliter, & ista plura, de quibus prædicatur, accidit quod sint species, vel indiuidua, quia per proprium denotatur tam proprium infimum, quàm subalternum. Probatur conclusio; hæc definitio constat ex genere, & differentia, ergò est bona; Antecedens patet, nam ly prædicari de pluribus ponitur loco generis, cæteræ particulæ loco differentiæ, vt patet, ergò &c.

Obijc. primo, Hæc definitio competit alijs, ergò non est bona; Antecedens patet, nam Differentiæ competit ly omni, soli, & semper, ergò &c.

Resp. Negando antecedens; Ad probat. dicimus, quod differentiæ competit ly omni, soli, & semper essentialiter, non accidentaliter, sicut intelligitur de Proprio, ideò dicitur in hac definitione, proprium est quod accidit &c.

Obijc. secundo, Definitio data per copulationem est increpanda, ex Aristotele 6. Top. sed hæc definitio est huiusmodi, vt patet, ergo &c.

Resp. Distinguendo maio. Quando copula nō ponitur ad circumloquendum aliquod vnum, concedo; quando in illis copulatis circumloquitur aliquod vnum, nego; nam in ista definitione per ly soli, & semper intelligitur vnū circumlocutum, scilicet cōuertibiliter.

Obijc.

Obijc. tertio, Homo non semper ridet, ergò falsum est, quod proprium semper insit.

Resp. Negando consequentiam; nam aliud est ridere, & aliud risibile, ridere est accidens commune, quod potest adesse, & abesse &c. risibile est accidens proprium, quod semper inest.

Dices, Substantia præcedit omne accidens tempore, ex Aristotele, sed proprium est accidens, & homo substantia, ergo &c.

Resp. Distinguendo maiorem, præcedit omne accidens, commune, concedo; proprium, nego; nam homo includit causam necessariam, quare proprium illi inest &c.

Obijc. quarto, Subiectum respectu proprij est in potentia passiua, quià est potentia contradictionis ex. 9. Metaph. t. 45. ergò subiectũ, scilicet homo, potest habere, & non habere proprium, & consequentèr non semper insit.

Resp. Quod subiectum respectu proprij est in potentia passiua, & actiua, quià ibi est causa necessaria talis proprij.

Dices, Efficiens non coincidit cum materia, ergò &c.

Resp. Distinguendo antecedens, cum materia ex qua concedo; cum materia in qua, nego; nam &c.

QVAESTIO III.

An proprium sit distinctum vniuersale ab accidente, & quodnam proprium sit illud quod constituit hoc quartum vniuersale?

Accidentia quædam eueniunt ab intrinseco, & quædam ab extrinseco; primo modo vel eueniunt ratione formæ specificæ, vt risibilitas in homine, vel ratione materiæ, vt quantitas, vel ratione qualitatum actiuarum, vt qualitates secundæ, scilicet colores, sapores, odores &c. Accidentia, quæ eueniunt ab extrinseco, vel manent amoto illo extrinseco, vt nigredo ab æstu, vel non manent, vt calor & figura, seù giratio aquæ ex proiectione lapidis, quæ sibi derelicta redibit ad propriam naturam. Proprium enim, de quo est hic sermo, est intentio applicabilis accidentibus primo modo ratione formæ specificæ tãtùm; nam intellectus motus ex occasione seù proprietate reperta in illis accidentibus à parte rei comparat ea ad sua subiecta, & reperit, quod conuertibiliter se habent ad illa, & sic tribuit ei hoc nomen (Proprium) quartum prædicabile; idem dicendum de accidentibus, quæ eueniunt ab extrinseco, siuè ab intrinseco ratione materiæ, vel qualitatum. His positis sit.

Prima conclusio. Proprium est distinctum vniuersale ab Accidente. Est

Est Scoti quæst. 32. Probatur, Proprium habet diuersum modum prædicandi ab Accidente, ergò est distinctum vniuersale ab illo. Antecedens patet, nam Propriũ prædicatur conuertibilitèr, Accidens cõmune non, ergò habent diuersum modum prædicandi.

Secunda conclusio. Proprium quarto modo constituit tantùm hoc quartum prædicabile. Colligitur ex Scoto quæst. 32. & 33. 5. ad quæstionem, contrà Albertum Magnum, & quamplures opinantes, Propriũ constituere quartum prædicabile secundũ omnes acceptiones proprij. Probatur. Proprium quarũ prædicabile prædicatur conuertibiliter, sed huiusmodi est Proprium quarto modo, ergò &c. Minor patet, nam Proprium quarto modo est illud, quod conuenit omni, soli, & semper, quod idem est dicere, prædicari conuertibilitèr ergo &c.

Secundò. Propriũ tribus primis modis potest adesse, & abesse prętèr subiecti corruptionẽ, ergò secundum istas acceptiones non constituit hoc quartum vniuersale; Antecedens probatur, nam homo potest esse secundum suam essentiam sine facultate medicinandi, sine bipedalitate, sed sine resibilitate non potest esse; & licèt intellectus possit considerare essentiam hominis abstractione præcisiua sine resibilitate, non tamen abstractione diuisiua. & sub opposito; nam ex negatione passionis optimè infertur destructio essentiæ, sicùt ex eius positione positio essentiæ.

Obijc. primò, Contrà primam cõclusionem. Proprium non est substantia, ergò accidens, & consequenter non distinguitur ab Accidente: Itèm omne quod inest composito prætèr materiam & formam est illi accidẽs, sed Proprium in cõposito nec est materia, nec forma, ergò accidens.

Resp. Distinguendo consequens, est accidens conuertibile, concedo; non conuertibile, nego; nàm &c. Accidens enim quintum prędicabile non conuertitur cum subiecto, ideò penès hoc distinguuntur. Ad aliud distig. maiorem, omne quod inest &c. est accidens prædicabile, concedo, prædicamentale, nego; nàm accidens prædicabile est omne id, quod aduenit alicui extrà eius quidditatem; accidens verò prædicamẽtale est verè accidens, quod potest adesse, & abesse prætèr subiecti corruptionem, modò passio, si ad essentiam comparetur, dicitur accidens; si ad accidens Prædicamentale dicitur substantia, quià est in eodem Prædicamento substantiæ saltem reductiuè.

Dices, Accidens, quod diuiditur in accidens separabile, & in accidens inseparabile est verè accidens, sed diuisum Logicum, siuè Metaphisicum includitur in membris diuidentibus, ergò Proprium, cùm sit vnum membrũ diuidens ipsum accidens, formalitèr est accidens.

Resp. Distinguendo maiorem, est verè accidens prædicabile, concedo; Prædicamentale, nego; nam accidens prædicabile conuenit tàm Proprio, quàm communi, quatènus prædicantur in quale, ideò non constituit vnũ determinatum prædicabile; accidens

verò

verò Prædicamentale, quod est accidens commune, constituit tantùm quintum prædicabile.

Obijc. secundo, Ex Alberto Magno contrà secundam conclusionem. Porphirius in hoc capite mentionem fecit de proprio primo, secundo, tertio, & quarto modo, ergò Proprium secundùm omnes istas acceptiones constituit hoc quartum prædicabile.

Resp. Negando consequentiam; nàm Porphirius in hoc capite enumerauit alia propria, quià sunt similia vero Proprio, & ipsis cognitis meliùs cognoscitur Proprium quarto modo; sicùt etiàm cap. de Differentia meminit differentiæ propriæ, & communis, quæ non constituunt illud tertium prædicabile, sed vt melius cognoscatur differentia magis propria, ità dicendum in casu.

Obijc. tertio, Accidens quintum prædicabile indifferentèr, & communi respicientia respicit subiectum, sed proprium secundùm illas tres primas acceptiones non ità indifferētèr, & communi respicientia respicit subiectum, ergò &c. Minor patet, nam accidens communè v. g. albedo indifferentèr se habet ad quodcunq; subiectum, & non potiùs hoc quàm illud, sed bipedalitas, facultas medicinandi, ridere &c. non indifferenter, & vniuersaliter se habent ad quodcumque subiectum, vt patet, ergò &c.

Resp. Quod ex hoc argumento tantum sequitur, dicta propria non esse simpliciter accidens commune, quatenùs specialitèr, & non ità indifferenter respiciunt subiectum, tamen non propter hoc est dicendum, ipsa constituere hoc quartum prædicabile, quia non oriuntur ex principijs intrinsecis propriæ naturæ, tantum infertur ipsa aliqualiter participare rationem proprij, quatenùs specialiter dicunt ordinem ad subiectum determinatum, quod non est dicendum de accidente communi, & aliqualiter participare rationem accidentis communis, quatenùs possunt adesse, & abesse præter subiecti corruptionem supernaturaliter, & quatenús non oriuntur à principijs essentialibus; ideò probabilius est dicendum, quod talia propria pertineant ad quintum prædicabile.

Obijc. quarto, Esse medicum non est proprium quarto modo, sed hoc constituit quartum prædicabile, ergo &c. Minor patet; nàm quartum vniuersale prædicatur conuertibiliter, sed esse Medicum, esse grammaticum dicitur conuertibiliter de homine, quià licet actu non conueniat, tamen aptitudine conuenit omni homini, quià omnis homo est capax disciplinæ, ergò esse Medicum, esse grammaticum dicitur conuertibiliter de homine saltem aptitudine.

Resp. Negando minorem: Ad probat. nego minorem; nam aptitudo ad esse medicum, ad esse grammaticum est proprium Indiuidui, non speciei; proprium verò quartum prædicabile debet esse proprium speciei;

ciei; nam aptitudo ad hanc, & illam ſcientiam non eſt proprium ſpeciei, ſed potiùs Indiuidui; aptitudo verò ad omnes ſcientias eſt propriũ ſpeciei, & conſequenter quarto modo, & tale vocatur capacitas diſciplinæ,

Obijc. quintò, caneſcere in ſenectute conuertibiliter prædicatur de homine, ſed non eſt proprium quarto modo, ergò &c.

Reſp. Negando maiorem, nam licèt conueniat omni, ſoli, ſed non ſemper, ideò non prædicatur conuertibiliter prout ſumitur hìc, nam deficiente vna particula non ſequitur intentum.

Dices, Caneſcere in ſenectute licèt non ſemper conueniat homini, tamen non tollitur, quod non ſit quartum prædicabile, quia hoc eſt propter determinationem naturæ, quod homo in ſenectute tantùm caneſcat, ergò &c.

Reſp. Quod propter defectum illius particulæ tollitur, quod non prædicetur conuertibiliter. Item aptitudo ad caneſcendum potiùs ſequitur conditionem materiæ, quàm formæ, ex Philoſopho lib. 4. de natura animalium, ergò &c.

DISPV-

DISPVTATIO SEXTA

DE ACCIDENTE

QVAERITVR *primo*; Quare vltimo loco agitur de Accidente?

Resp. primò, quia non prædicatur conuertibiliter de subiecto; secundò quia non fluit à principijs essentialibus, sed à principijs materialibus, & indiuiduantibus; tertiò, quia est imperfectius cæteris prædicabilibus.

Quæritur secundo, Quot definitiones, & diuisiones assignat Porphirius de Accidente in hoc capite?

Resp. Tres definitiones, & vnam diuisionem.

Prima definitio, Accidens est quod adest, & abest à subiecto præter subiecti corruptionem, idest, quod potest affirmari, & negari de subiecto sine repugnantia subiecti.

Secunda Accidens est, quod contingit eidem inesse, vel non inesse, vt eidem contingit sedere, & non sedere, album, & non album esse.

Tertia; Accidens est quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium, inest autem rei: Ex hac definitione colligitur, accidens esse distinctum vniuersale ab alijs, & prædicatur de pluribus in quale accidentale non conuertibiliter.

Diuisio est ista, Accidens aliud separabile, vt dormire, sedere &c. aliud inseparabile, vt nigredo in Coruo, & Æthiope.

QVAESTIO I.

An prima definitio Accidentis, in qua dicitur, Accidens est quod adest, & abest præter subiecti corruptionem, sit conuenienter data?

ADesse, & abesse possunt dupliciter considerari, vno modo primò intentionaliter, seu pro separatione reali, & sic idem sonat ac inhærere, & non inhærere; alio modo secundò intentionaliter, seu pro separatione intellectuali, & sic idem sonat, ac affirmari,

Y

firmari, & negari de subiecto; Accidens aliud separabile, & aliud inseparabile, vt dictum est; pro qua sit

Conclusio affirmatiua, sumendo adesse, & abesse secundò intentionaliter; si verò sumantur primò intentionaliter, tunc non conuenienter datur. Est Scoti quæst. 35. contrà Rubium, & aliquos recentiores asserentes, prædictam definitionem necessariò intelligendam esse de adesse, & abesse reali. Probatur prima pars; nam in hac definitione ponitur, adesse, quod stat loco generis, idest est prædicatum accidentale; ponitur abesse præter subiecti corruptionem loco differentiæ, idest non conuertibiliter, & reponit ipsum accidens in esse vltimo specifico, ergò est conuenienter data.

Secundò, intellectus potest intelligere quodlibet accidens inhærere, & non inhærere subiecto præter eius corruptionem, ergò &c. Antecedens patet, nam cùm accidens non sit de essentia subiecti, nec necessariò ab eo pullulet, potest intellectus intelligere subiectum sine accidente, vel sub opposito eius, vt hominem esse album, & esse nigrum.

Secunda pars probatur; nam accidentia inseparabilia non possunt realiter separari à subiecto sine eius corruptione, vt albedo in cigno, & nigredo in Coruo, ergò non conuenienter datur talis definitio pro prima intentione, seù pro separatione reali.

Not. Quod si talis definitio compræhendit tantùm accidens separabile, tunc conuenienter datur pro prima intentione, seù conuenienter interpræstatur pro separatione reali, vt patet; nam experimur, manum calefieri, & frigescere sine eius corruptione; si verò compræhendit, tam accidens separabile, quàm inseparabile, tunc non potest intelligi de separatione reali, quia accidens inseparabile non potest realiter separari à subiecto sine eius corruptione, ergò intelligitur de separatione intellectuali.

Obijc. primo, Definitio non debet esse per opposita ex 6. Top.c.2. quia extrema oppositionis non possunt eidem rei competere, sed adesse, & abesse opponuntur, ergò hæc definitio non est bona, sed vitiosa.

Resp. Disting. minorem, adesse, & abesse opponuntur, si simul, & copulatiuè accipiantur, concedo; si successiuè, & disiunctiuè accipiantur, nego; nam prædicta definitio intelligitur successiuè, & disiunctiuè; Accidens enim non potest simul, & semel actualiter adesse, & abesse, sed potest vtrumque successiuè; potentia enim ad actus contrarios non dicit contrarietatem, sicut vna numero voluntas est causa amoris, & odij sine contradictione, quia producit actus istos non simul, sed successiuè, ità dicendum in casu.

Obijc. secundo, Hæc definitio non competit omni definito, ergò non est bona; Antecedens patet; nam accidens inseparabile non potest adesse à subiecto præter eius corruptionem, vt patet de nigredine in Coruo, & Æthiope, & de albedine in cigno.

Resp.

Resp. Negando antecedens; Ad probat. disting. antecedens, non potest abesse absentia, seu separatione reali, concedo; absentia intellectuali, nego; nam accidens inseparabile sufficit, vt possit separari separatione intellectuali.

Dices, Si accidens commune inseparabile possit separari per intellectu tantùm, sequitur quod non differret ab accidente proprio, quod est falsum; sequela probatur, nam accidens proprium etiam potest per intellectum abstrahi à subiecto, & sic subiectum intelligi non intellecta passione, ergò &c.

Resp. Negando sequelam; Ad probat. disting. antecedens, accidens proprium potest abstrahi à subiecto præcisiuè, concedo; diuisiuè, nego; nam discrimen inter accidens proprium, & commune inseparabile est hoc, scilicet subiectum accidentis communis inseparabilis potest intelligi sub opposito absque eo quod corrumpatur natura subiecti, vt Coruus cum albedine; subiectum verò accidentis proprij non potest intelligi sub opposito, quin destruatur natura subiecti, vt homo cum hinnibilitate; nam abstractio præcisiua est intelligere vnum non intelligendo aliud, & sic proprium potest intelligi non intellecto subiecto; abstractio diuisiua non solùm est ità, sed etiam est vnum separari ab altero, & illud alterum intelligi sub opposito, & hoc modo proprium non potest abstrahi à subiecto, quia tunc corrumperetur ipsum subiectum.

Dices, Intellectus non potest intelligere Coruum esse sub albedine, ergò subiectum accidentis inseparabilis non potest intelligi sub opposito eius, & consequenter nulla differentia. Antecedens probatur, nam intellectus est verorum, sed non est verum, Coruum esse album, ergo &c.

Resp. Negando antecedens; Ad probat. dicimus, quod ly intellectus est verorum, intelligitur de intellectu, qui est notitia principiorum, & est vnus habitus intellectualis, non verò intelligitur de intellectu, qui est potentia. Vel secundò dicimus, quod licet à parte rei non sit verum, Coruum esse album, tamen sibi non repugnat quod sic intelligatur, subiectum verò accidentis proprij sibi repugnat, quod intelligatur sub opposito, & consequenter stat differentia in suo robore.

Obijc. tertio, Hæc definitio competit alijs, ergò non est bona; Antecedens patet, nam anima potest abesse à corpore sine eius corruptione, ergò &c.

Resp. Negando antecedens. Ad probat. nego antecedens, nam anima non solùm est forma hominis, sed etiam corporis, & si abest à corpore, tunc corpus corrumpitur, & remanet cadauer.

Obijc. quarto, Hæc definitio non conuenit omni definito, ergò non est bona. Antecedens patet, nam mors animalis, combustio domus &c. sunt accidentia, sed non possunt adesse præter subiecti corruptionem, ergò &c.

Resp. Negando antecedens; Ad probat. disting. minorem, nó possunt

adesse præsentia reali sine corruptione subiecti, concedo; præsentia intentionali, nego; nam cùm hæc definitio intelligatur de absentia, & præsentia intentionali, sufficit quod subiectum possit intelligi sine contradictione sub opposito, vt animal sub vita, & sub morte, domus sine combustione, & cū combustione. Vel secundò dicimus quod hic non intelligimus de accidente communi priuatiuo, sicut est mors, combustio, & cætera similia, sed de accidente communi positiuo.

Dices; Per mortem, & per combustionem subiectum destruitur, ergò non potest intelligi sine contradictione, quod sit mortuum, & quod sit viuum; quod sit combustum, & non combustum.

Resp. Disting. consequens, secundum existentiam, concedo; secundùm essentiam, nego; nam homo, v. g. quando est sub morte, licèt non possit concipi secundùm existentiam, quia hæc destruitur per mortem, tamen secundum essentiam potest; mors enim non opponitur essentiæ rei, sed actualitati ipsius, & licèt actualitas sit eadem cum essentia actuali, tamen non est prædicatum essentiale naturæ, nam solus Deus existit per essentiam.

Obijc. quartò, Diuersa prædicamenta nequeunt vniuocè conuenire, sed nouem sunt prædicamenta accidentium, ergò non possunt vnica definitione definiri.

Resp. Primò negando maiorem, nam dicimus cum Scoto, nouem genera vniuocè conuenire. Vel secundò dicimus, quod sufficit ad prædicationem signatam, quod definitum possit vnica denominatione denominari, etiam si materialiter illud definitum sit plura, vt homo albus, equus albus, quamuis specie distinguantur; tamen in ratione albedinis conueniunt specie; ita dato quod prædicamenta accidentium non possint vniuocè cōuenire in nullo reali, tamen non implicat, quod vniantur in esse denominationis, seù prædicabilitatis signatæ.

QVAESTIO II.

An accidens sit vniuersale distinctum ab alijs?

Accidens sumitur duobus modis, primò pro prima intentione, & sic contradistinguitur contrà substantiam, vt omnia nouem genera; alio modo pro secunda intentione, & hoc dupliciter, primò quatenus causatur à sola consideratione intellectus, & sic omnia quinque vniuersalia sunt accidentia; secundò vt significat idem, quod prædicatum accidentale non conuertibilitèr, de quo quærimus in præsenti. Illud accidens intētionale fundatur in accidēte reali, cōcreto nō in abstracto; nàm accidēs in concreto est illud, quod prædicatur à parte rei de subiectis, non accidens in abstracto, albedo non prædicatur de hoc, & illo subiecto, sed album, & suprà hoc album abstractum ab hoc, & illo albo fundatur intentio generis, quæ prædicatur de pluribus. His positis sit

Con-

Conclusio affirmatiua. Est Scoti quæst. 34. Probatur, accidens quatenùs prædicatur de pluribus, constituitur in ratione vniuersalis, quatenùs verò prædicatur in quale accidẽtale distinguitur ab alijs prędicabilibus ergò Accidens est distinctum vniuersale ab alijs.

Obijc. primo, Quod est in singulari, est singulare, sed accidens commune est in singulari, ergo &c. & consequentèr non est vniuersale. Maior patet ex Commentatore 3. de Anima, *Receptum est in recipiente per modum recipientis*. Minor etiam patet ex 5. Meth.

Resp. Distinguendo minorem, accidens commune reale est in singulari, concedo; accidens sumptũ pro secunda intentione, nego; nam hæc secunda intentio, Accidens, est in subiecto communi, vt v.g. in albo; sicùt, enim species fundatur in subiecto communi vt in homine, ità dicendum de Accidente quintò prædicabili.

Dices, Illud, cui applicatur hæc intentio, Accidens, est in singulari, & consequentèr est singulare, sed quod est in singulari est singulare, vt suprà, ergò hæc secunda intentio, Accidens, est singulare, & non vniuersale.

Resp. Distinguendo maiorem, secundùm esse materiale, concedo; secundum esse quod consideratur ab intellectu, nego; nam accidens secundùm esse materiale vtique est in singulari, & sic non est subiectum secũdæ intentionis; quatenùs veró consideratur ab intellectu est subiectum secundæ intentionis, & sic ei est extraneum esse in singulari.

Obijc. secundo, Nulla species vniuersalis prædicatur de re singulari, sed accidens prædicatur de re singulari, ergò &c. Maior patet, nam non valet, Petrus est species &c. Minor etiam patet, nam valet dicere, hæc albedo est accidens.

Resp. Negando minorem, loquendo de accidente secundò intentionalitèr. Ad probat: dicimus, quod talis propositio est falsa, si sumatur accidens pro secunda intentione, esset vera, si sumatur pro prima intentione.

Obijc. tertio, Ad vniuersalitatem sufficit, quod subiecta prædicationis appręhendantur, quamuis non existant in re, vt in disp. de Genere q. 5. sed accidens non potest prædicari de subiecto, nisi in eo existat, ergò signum est, quod non est vniuersale.

Resp. Disting. minorem, prædicatione exercita, concedo; signata, nego, nam in prædicatione exercita, vt prædicatum formale possit enunciari de subiecto requiritur, vt ipsum prædicatum informet, seu sit in ipso subiecto; in prædicatione verò signata sufficit, vt subiecta apprehendantur, vt de ipsis accidens possit inhærere, & prædicari.

QVAESTIO III.

Accidens per quid constituitur in ratione quinti vniuersalis?

Sensus quæsiti est, nùm Accidens sit quintum Vniuersale per habitudinem ad inferiora propriæ naturæ,

ræ, an vero per habitudinem ad subiecta alienæ naturæ; Accidens enim prædicatur de suis inferioribus, vt album de hoc, & illo albo, & prædicatur etiam de subiectis alienæ naturæ, vt de homine, & de equo; tamen cum hoc discrimine, quod de suis inferioribus prædicatur essentialitèr; de subiectis alienæ naturæ accidentalitèr, & denominatiuè. His positis sit

Conclusio. Accidens est quintum Vniuersale in ordine ad subiecta alienæ naturæ. Est Scoti, & communis. Probatur; Accidens cōstituitur quintum prædicabile in ordine ad illa, de quibus prædicatur accidentalitèr, sed de subiectis prædicatur hoc modo, ergò &c. Maior patet, nam in ordine ad Indiuidua suæ naturæ dicitur genus, seù species, quià vt sic non est inhærens, ergò dicitur quintum vniuersale in ordine ad illa, de quibus prę dicatur in quale accidentale non conuertibilitèr.

Not. Accidens in ordine ad inferiora propriæ naturæ habet rationem generis & speciei, & hoc non solum in abstracto, dummodo abstractio non sit vltima, sed etiam in concreto; color enim respectu albedinis, & nigredinis dicitur genus; similitèr coloratum respectu albi, & nigri; & albū respectu illius, & istius albi habet rationem speciei, nam hęc prædicatio, hoc album est album, est prædicatio vniuersalis; & non potest assignari cuius sit, nisi speciei, ergo &c.

Obje. primo, Vniuersale debet esse prędicatum vniuocum, sed accidens in ordine ad subiecta non est prædicatum vniuocum, quià ex Aristotele cap. de substantia, accidens non prædicatur vniuocè de substātia, ergò &c. maior patet, nam vniuersale vniuocum est diuisum in hęc quinq. &c.

Resp. Negando minorem: Ad probat. dicimus, quod ibi Aristoteles tantùm vult affirmare, rationem accidentis non includi formalitèr in subiecto, & in hoc sensu non est prædicatum Vniuocum, dicitur tamen prædicatum Vniuocum, quatenùs eodē modo dicitur de quolibet subiecto; nam album dicitur de homine, & equo &c. secundùm nomen, & rationem, homo enim dicitur albus, & habet disgregare visum &c. Vel dicitur breuitèr disting. minorem, nō est prędicatum vniuocum vt distinguitur contrà denominatiuè, concedo, vt distinguitur contrà prędicari æquiuocè, nego, nam &c.

Obje. secundo, Accidens cōstituitur in ratione quinti vniuersalis in ordine ad illa, à quibus abstrahitur per intellectum, sed per intellectum abstrahitur ab inferioribus, & non à subiectis ergò &c. Minor patet, nam albedo abstrahitur ab hac, & ab illa albedine, & non à subiectis.

Resp. Neg. secundam partē minoris cum probatione; nam accidens non solùm abstrahitur ab inferioribus, sed etiam à subiectis; quandò abstrahitur ab inferioribus, tunc habet rationem generis, vel speciei; quandò verò abstrahitur à subiectis, tunc habet rationem accidentis quinti prædicabilis, ideò &c. Ex his

Colligitur primò, quod accidentia possunt [illegible]cari de pluribus differentibus genere, vt dicendo, substan-

stantia est alba, quantitas est alba; & etiam de pluribus differētibus specie, vt homo est albus, leo est albus; & de pluribus differentibus numero, vt Petrus est albus, Franciscus est albus. Ex quo infertur, quod terminus adæquatus in ordine ad accidens quintum prædicabile est plura abstrahentia à pluribus differentibus numero, specie, & genere; relatio verò accidentis primò, & immediatè refertur ad diuersa numero, & mediatè proximè ad diuersa specie; & mediatè remotè ad diuersa genere, quià natura denominata à secunda intentione accidentis primò inest indiuiduis, & mediantibus illis inest speciei, & generi.

Colligitur secundò; Accidens Prędicamentale maximè differt ab accidente prædicabili; nam accidens prædicamentale est omninò extra rationē substantiæ, & constituitur in diuersis Prædicamentis, vt Quantitas, Qualitas, Relatio &c. Accidens verò prædicabile potest esse substātia secundū entitatē quamuis ratione subiecti, cui accidit, dicatur accidens, vt crassitudo corporis &c. Itaque accidentia primo modo sunt talia in essendo, & in prædicando. Secundo modo in exemplo allato dicitur accidens solum in prædicando.

DISPVTATIO

DE ANTEPRAEDICAMENTIS.

QVAERITVR primo, Quid est Antepræḍicamentum?

Resp. Est documentum quoddam præcedens doctrinam Prædicamentorum immediatè ordinatum ad habendam eorum cognitionem; dicitur immediatè ad differentiam prædicabilium.

Quæritur secundò, Quot sunt Anteprædicamenta?

Resp. Tria genericè, scilicet definitio, diuisio, & regula; specificè verò sunt septem, idest tres definitiones, nempè æquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum, duæ diuisiones, & duæ regulę.

Quæritur tertiò, Quid est æquiuocum, vniuocum, & denominatiuum?

Resp. Aequiuoca dicuntur, quorum nomen solùm est commune, & secundùm illud nomen ratio substantiæ est diuersa, vt canis est nomen æquiuocum ad canem marinum, cęlestem, & terrestrem: hęc definitio datur de æquiuocis æquiuocatis secundò intentionaliter, & intelligitur hoc modo, scilicet æquiuoca dicuntur, idest concipiuntur, quorum nomen solum est commune, idest que habent vnum solum nomen, & ratio substantiæ est di-

diuersa, idest conceptus essentię diuersus. Vniuoca dicuntur, quorum nomen commune est, & secundum illud nomen ratio substantiæ est eadem, vt homo & bos respectu animalis habent idem nomen, & eandem definitionem animalis; datur de vniuocis vniuocatis, intelligitur vt suprà de æquiuocis.

Denominatiua dicuntur quæcumque ab aliquo solo differentia casu, secundùm nomen habent appellationem, vt à grammatica grammaticus, à fortitudine fortis, quæ sic intelligitur, Denominatiua dicuntur, idest cōcreta quæcumque concipiuntur, quæcumque ab aliquo solo differentia casu, idest, quæ differunt solis terminationibus; secundum nomen habent appellationem, vt grammaticus à gramatica.

Quæritur quarto, Cur in Anteprædicamentis agitur de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis?

Resp. Ad sciendum quæ sunt ponenda in Prædicamentis, & illa sunt vniuoca, & quæ non sunt ponenda, vt æquiuoca; & quomodò res vnius Prædicamenti possit prædicari de rebus alterius Prædicamenti v.g. accidens de substantia, vt denominatiua.

De Diffinitionibus Prædicamentalibus.

QVAESTIO I.

An definitio æquiuocorum sit conuenienter data?

Aequiuocum est duplex, scilicet æquiuocum æquiuocans, & æquiuocum æquiuocatum; primum, est vox conueniens pluribus habentibus idem nomen, & diuersam rationem, vt canis; secundum sunt res significatæ per illam vocem, canis, idest canis latrabilis, piscis Marinus, & sydus cæleste: Aquiuocum æquiuocans est duplex, scilicet à casu, & à consilio; primum est terminus plura æquè significans, vt canis æquè significat canem latrabilem, marinum, & cælestem, secundum est terminus plura significans diuersis conceptibus, vnum per prius, & aliud per posterius, seu per similitudinem, vt homo significat hominem viuum, & pictū, primò significat hominem viuum, secundò, & similitudinariè hominem pictum; ridere conuenit homini, & prato, sed homini conuenit verè, prato similitudinariè, quatenùs prata dum florent ostendunt quamdam hilaritatem, vt videantur ridere; dicitur à casu, quia nulla habita ratione aliquod nomen fuit impositum pluribus, quasi à casu; dicitur à consilio, quià aliquod nomen primò fuit impo-

positum vni, deinde consultò, seu consilio fuit impositum alteri, vt patet in exemplis allatis. Aequiuocum æquiuocans pro secunda intentione est respectus rationis talis vocis ad sua significata; æquiuocum æquiuocatū est respectus rationis ipsorum significatorum ad terminum æquiuocum significantem. His positis sit

Conclusio affirmatiua pro secunda intentione. Est Scoti quæst. 5. Prædicamentorum. Probatur, nam talis definitio secundùm explicationē vt suprà, constat ex genere, & differentia, ergò &c. Antecedens patet, nam ly concipiuntur, ponitur loco generis, quià ea quę hic tractantur, sunt conceptus; cęterę particulę ponuntur loco differentię, ergò &c. Si verò, ly dicuntur, sumatur in proprio significato, tunc esset potiùs notificatio, seù descriptio, quia dici, est terminus primę intentionis, qui per accidens conuenit secundis intentionibus.

Obijc. primo, Aequiuoca non definiuntur, quià definitio est vniuocorum, ergò &c.

Resp. Negando antecedens: Ad probat: dicimus, quod si æquiuoca æquiuocata accipiantur pro secunda intentione, possunt dici vniuoca, quātenus participant nomen, & rationem æquiuoci.

Obijc. secundo, Totum copulatum non est vnum definibile, sed æquiuoca sunt totum copulatum, ergò &c. Minor probatur, nam plurale nihil aliud est, nisi singulare geminatum per Priscianum, ergò cum æquiuoca sint huiusmodi, sequitur quod sunt singulare geminatum, sed totum copulatum.

Resp. Negando minorem; Ad probat: dicimus, quod illud dictum Prisciani intelligitur quoad naturam constructionis, non verò quoad vnitatem formæ significatæ; Vel secundò dicimus, quod æquiuocum æquiuocatum dicit duplicem relationem, scilicet suppositionis ad æquiuocum æquiuocans, & æquiparantiæ ad aliud æquiuocum æquiuocatum; & quia relatiua æquiparantiæ conuenientèr definiuntur in plurali, vt patet ex 5. Meth. ideò æquiuoca æquiuocata rectè definiuntur in plurali.

Obijc. tertiò, Aequiuoca si habent solùm nomen commune, ergò frustrà ponitur altera particula, & ratio substantiæ est diuersa.

Resp. Negando sequelam, quia ponitur ad vberiorem notitiam; Vel ponitur ad hoc vt sciamus, quod si æquiuocantur v.g. respectu canis, tamen possunt vniuocari respectu substantiæ; vel, vt dicit Scotus, quod hęc particula, (solum nomen est commune,) & altera, (ratio substantiæ diuersa) non referuntur ad idem, sed ad diuersa; nam prima particula refertur ad æquiuocum æquiuocans; secunda particula refertur ad æquiuocata.

Obijc. quartò; Si esset bona hæc definitio, tunc nullum nomen esset vniuocum; sequela patet, nam omne nomen significat conceptum, & rem, cuius est conceptus, sed conceptus, & res habent diuersam rationem, quià res est ens reale, conceptus est accidens intentionale, ergo &c.

Resp. Negando sequelam; Ad probat: dicimus, quod quodlibet nomen dicit conceptum, et rem subordinatè, vt vox primò significat conceptum, & per hunc cõceptum significat rem; æquiuocum verò non dicit plura subordinatè, sed vel æquè, si est à casu, vel vnum priùs, & aliud posteriùs, si est à consilio; nam æquiuocum ex Ethimologia nominis idem est, ác æquè multa plicans; vel, vt dicit Scotus, quod hæc secunda intentio, Æquiuocum, vt sumitur pro æquiuocato, est vniuocum, & ità potest definiri, licet illa, quibus inest hæc intentio, non sint vniuoca, nec definibilia; sicut hæc intentio, Generalissimum, est definibilis, & à Porphirio definitur, licèt Substantia, vel aliud, cui inest hæc intentio, non definiatur per genus, & differentiam.

Aequiuoca possunt dupliciter considerari, scilicet formalitèr, & pro connotato; formalitèr sunt rationes, seù conceptus abstracti, quibus sub vno nomine, & vno conceptu diuersitatis vniuocè plura continentur, & ità æquiuoca sunt vniuoca; Æquiuoca pro cõnotato sunt res ipsę significatæ cum ordine ad aliquod nomen commune.

QVAESTIO II.

An definitio Vniuocorum sit conuenientèr data?

VNiuocum etiam est duplex, scilicet vniuocum vniuocans, & vniuocum vniuocatum, primum est nomen vniuocum, vt animal &c. secundum sunt res vniuocatæ, vt homo, leo &c. respectu animalis. Vniuocum à casu est, quod æquè plura significat, vt homo respectu Petri, & Francisci; à consilio est, quod priùs dicitur de vno, quàm de altero; vt animal æquè conuenit homini, & leoni, sed priùs dicitur de homine, quià nobilior. His positis sit

Conclusio affirmatiua. Est Scoti quæst. 6. Probatur vt suprà de æquiuocis, quià constat ex genere, & differentia, nam ly concipiuntur, ponitur loco generis, cæteræ particulæ loco differentiæ, & sic distinguuntur ab æquiuocis.

Obijc. primo; Hæc definitio excedit definitum, ergò non est conuenientèr data; Antecedens probatur, nam album prædicatur de homine, & equo secundùm idem nomen, & eamdem rationem, sed non prædicatur vniuocè, quià denominatiuè, ergò excedit definitum.

Resp. Negando antecedens. Ad probat: disting. minorem, non prædicatur vniuocè, vt distinguitur à prędicari æquiuocè, nego; vt distinguitur à prædicari denominatiuè, concedo; nam prædicari vniuocè accidentaliter est idem ac prædicari denominatiuè, & potiùs dicitur prædicatum vniuocum, quàm prædicari vniuocè; prædicari verò vniuocè essentialitèr distinguitur à prædicari denominatiuè, quià sic includitur essentialitèr in vniuocatis, quod non est dicendum de denominatiuis.

Obijc. secundò, Si sic, ergò homo, & equus essent idem essentialitèr inter

ter se; sequela probatur, nam quorum ratio essentialis est eadem, & ipsa etiam sunt essentialiter eadem; sed vniuocata habent eamdem rationem substantiæ vniuocantis, vt homo, & equus respectu animalis; ergò essentialiter inter se.

Resp. Negando sequelam. Ad probat. disting. maiorem, quando ratio essentialis est propria, & completa, concedo; quandò non est sic, nego; nam ratio vniuocantis, licèt sit eadem vniuocatis, non tamen est propria, & completa; nam nulli vniuocatorum est propria; Vel dicimus, quod sunt idem essentialiter in illa ratione vniuocantis.

Obiic. tertiò, Si sic, ergò omnia æquiuoca essent vniuoca; sequela probatur; nam omnia æquiuoca habent idem nomen, & rationem æquiuoci, vt canis latrabilis, marinus, & cælestis vocantur æquiuoca, & habent eamdem rationem æquiuoci, scilicet rationem substantiæ diuersam.

Resp. Disting. sequelam, pro re primæ intentionis, nego; pro secunda intentione, concedo; nam &c. explica, vt supra &c.

Not. Quod ea, quæ habent idem nomen, & naturam dicuntur Vniuoca; quæ tantùm nomen dicuntur Æquiuoca; quæ habent diuersum nomen, & diuersam naturam dicuntur diuersiuoca; quæ habent diuersum nomen, & eamdem naturam dicuntur Synonima.

QVAESTIO III.

An denominatiuum, seù concretum significet idem quod abstractum?

DEnominatiuum triplex est, scilicet secundùm vocē tantùm, secundùm rem tantùm, & secundùm vocem, & rem simul; primum est illud, quod conuenit cum abstracto in principio dictionis, & differt in fine; tamen non significat idem cum eo in significato principali, vt studiosus, & studium, nam studiosus significat virtuosum, & studium significat exercitium; secundum est illud quod conuenit cum abstracto in significato principali; sed non in principio dictionis, vt studiosus, & virtus; tertium est illud, quod conuenit cum abstracto in significato principali, & in principio vocis; differt tamen in fine, & abstractum non importat illud, pro quo supponit concretum: & ità ad denominatiuum secundùm rem, & vocem simul quatuor conditiones requiruntur, vt patet. Concretum dicitur à Concerno concernis, quòd est simul cerno, scilicet duas naturas, vt v.g. musicus dicitur concretum, seù denominatiuum, quia dicit artem canendi, & illum, in quo est ars; Abstractum dicitur ab Abstraho abstrahis, quasi ab alio traho, & dicit tantùm vnam naturam, vt musica dicit tantùm artem canendi: His positis sit

Conclusio. Concretum, seù deno-

 nomi-

nominatiuum de significato formali dicit id, quod dicit abstractum, scilicet formam; de significato verò materiali, seù pro connotato dicit etiam subiectum. Est Scoti quæst. 8. Probatur primò, denominatiua differunt à suis abstractis solo casu ex Philosopho, idest solis terminationibus, ergò in significato principali Idem dicunt.

Secundò, ex primo Perhierm. c. 3. habetur; *Nomen significare est intellectum rei constituere*, idest causare cognitionem rei in audiente; itaque audito tali nomine, statim audiens cõcipit rem significatam, sed cùm dico album, ex se primò, & principaliter audiens cõcipit albedinem, ergò hanc primò significat, & non subiectum. Item impossibile est rebus diuersorũ generum generalissimorum esse aliquam rationem communem, ergò nomen, quod significat substantiam, & accidens non potest esse Vniuocũ; si ergò album æquè primò significaret subiectum, & albedinem, tunc esset nomen æquiuocum, quod est falsum, quia propositio, in qua poneretur album, non esset simpliciter vera.

Obijc. primò, Significare est intellectum rei constituere ex Aristotele, vt suprà, sed concretum prolatum constituit intellectum subiecti, ergò illud significat. Minor patet, quia constituit intellectum accidentis, ergò & subiecti, quia non potest intelligi accidens sine subiecto, nam res sicut se habet ad esse, ità ad cognitionem, ex 2. Meth. t. 4. sed non potest esse sine subiecto, ergò &c.

Resp. Quod maior est vera in hoc sensu, nempè eo modo, quo constituit intellectionem rei, eo modo significat: Ad minorem verò dicimus, quod concretum prolatum constituit intellectum subiecti secundariò, seù pro connotato, & sic hoc modo significat, scilicet pro connotato, quod concedimus. Ad id, quod dicitur, accidens non potest intelligi sine subiecto, dist. completè, concedo; non completè, & quoad quid nominis, nego, &c.

Dices, Ergò nulla differentia inter abstractum, & concretum; sequela patet, nam abstractum etiam significat connotatiuè subiectum, quia ad illud naturaliter dependet.

Resp. Negando sequelam. Ad probat. dicimus, quod abstractum, vt accidens est, dependet ad subiectũ dependentiâ aptitudinali, tamen ex modo significandi non dicit subiectũ, sicut concretum.

Obijc. secundò, Terminus id, quod supponit, significat, sed concretum supponit subiectum, ergò significat subiectum. Maior patet, nam terminus supponens, ex hoc quod supponit, non habet nouum significatum.

Resp. Maiorem intelligi vel de significato primariò, vel secundariò, & tunc dicimus ad consequentiam, concretum significare subiectum secundariò: Vndè est regula Logicalis, quod subiecta taliter supponunt, qualiter præmittuntur à prædicato, vt in suppositione simplici terminus supponit pro natura in se, vt homo in se; in suppositione personali supponit pro inferioribus, vt homo currit, supponit pro aliquo homine, & hoc ideò est,

est,

est, quia prædicatum accidentale natum est primò conuenire suppositis, & sic ad argumentum, maior est vera in suppositione simplici.

Obijc. tertio; Dictio exclusiua excludit quodlibet, quod est extrà per se significatum termini, sed dictio exclusiua addita termino concreto non excludit subiectum, ergò &c. minor patet, nam cùm dicimus, tantùm album currit, non excluditur corpus, imò necessariò includitur, nam cursus non pertinet ad albedinem, sed ad corpus.

Resp. Disting. maio. excludit quodlibet distinctum subiectum à significato termini, concedo; quodlibet quod est in eodem subiecto, nego; explicatur, nam cùm dico, tantùm homo currit, non excluditur risibile, nec quodlibet aliud accidens, quod est in illo; scilicet album, sed excluditur aliud subiectum essentialiter distinctũ ab homine, & sic cùm dico, tantùm album currit, non excluditur corpus cui inhæret albedo, sed nigrum oppositum albo, & ab eo essentialiter distinctum.

Dices, Ergò corpus est de intrinseca ratione significationis termini.

Resp. Negando sequelam; nam nec risibile, nec album est de intrinseca ratione hominis, quorum neutrum excluditur in ista propositione, homo currit.

QVAESTIO IV.

An detur Analogum realiter distinctum ab Vniuocis, & Aequiuocis, ità vt sit medium inter ista?

PRæsens quæstio ponitur hic, vt series Prædicamentorum clariùs explanetur, licèt potiùs sit Metaphysicalis. Analogum sic communiter definitur; Analoga sunt, quorum nomen commune est, ratio substantiæ secundùm illud nomen partim eadem, & partim diuersa, vt sanum dicitur de animali sano, vrina sana, & medicina sana secũdùm idem nomen, quia omnia ista vocantur sana, ratio verò sani partim est eadem, quia tam animal, quàm vrina, & medicina participant rationem sani, partim diuersa, quia animal propriè dicitur sanum, vrina verò dicitur sana, quatenùs ostendit sanitatem, medicina quatenùs efficit sanitatem; ità etiam ridere conuenit homini, & prato analogicè, nam sicut risus in homine prouenit ex interiori hilaritate, sic etiam pratum dicimus ridere dum floret, quia sic ostendit quamdam hilaritatem. His positis sit

Conclusio negatiua. Est omnium Scotistarum contrà omnes Thomistas. Probatur, Inter contradictoria non est dare medium, sed Vniuocum, & Æquiuocum sunt contradictoria, ergò &c. Maior patet ex Aristotele; Minor probatur, nam vnum, & multa se habent contradictoriè, sed

sed Vniuocum dicit vnum nomen, & rationem, Æquiuocum dicit vnum nomen, & diuersas rationes, ergò &c. Item Aristoteles in hoc libro non assignauit talia media inter vniuoca, & æquiuoca, ergò non sunt ponenda, aliter Aristoteles non omnia assignasset, & sic omne prædicatum, vel est vniuocum, vel æquiuocum: Analogum verò non est prædicatum medium inter vniuocum, & æquiuocum, sed accidens quoddam, quia modo stat cum Vniuocis, modò cum æquiuocis; nam si aliqua conueniunt in nomine, & ratione, quæ ratio per prius dicitur de vno, quàm de altero, talia sunt vniuoca analoga; si verò conueniunt in nomine, & non in ratione, & illud nomen vni conuenit propriè, alteri per similitudinem, & proportionem, sic talia dicuntur æquiuoca analoga; Ex quo colligitur, quod res quantò magis distant à specie specialissima, tantò minus participant de Vniuocatione, & acquirunt analogiam.

Obijc. primò, Omne participans naturam extremorum, quod non est totaliter vnum, nec totaliter aliud est medium inter illa; sed Analogum est huiusmodi respectu Vniuoci, & Æquiuoci; ergò &c. Maior patet de aqua tepida, quæ mediat inter calidum, & frigidum. Minor probatur, nam analogum participat de æquiuoco, quia habet nomen commune, & rationem partim diuersam; participat de Vniuoco, quia habet nomen commune, & rationem partim eamdem, ergò &c.

Resp. Negando minorem; Ad probat. dicimus, quandò dicitur, quod participat de æquiuoco, & vniuoco, quod verum est disiunctim, quia modò stat cum Vniuoco, & modò cum æquiuoco, non verò coniunctim.

Obijc. secundo, Inter Vniuoca, & æquiuoca dantur denominatiua, ergò possunt dari Analoga.

Resp. Negando antecedens; nam denominatiua nõ mediant inter æquiuoca, & Vniuoca, sed dicuntur Vniuoca largè, idest prædicata Vniuoca.

De Diuisionibus.

QVæritur primò, Quot sunt diuisiones Anteprædicamẽtales?

Resp. Duæ, quarum prima est, Eorum quæ dicuntur, quædam dicuntur cum complexione, vt sunt propositiones, & quædam sine complexione, vt sunt termini simplices. Secunda est, Eorum quæ sunt, quædam dicuntur de subiecto, & in subiecto nullo sunt, vt homo dicitur de homine, & non est in subiecto, quia non est accidens; quædam sunt in subiecto, & de subiecto nullo dicuntur, vt quædam grãmatica est in anima, & non dicitur de subiecto, quia non habet inferiora, nam dici de subiecto est superius prædicari de inferiori; quædam sunt in subiecto, & dicuntur de subiecto, vt grammatica est in anima; & dicitur de hac, & illa grammatica, & similiter scientia &c. Quædam verò nec sunt in subiecto, nec dicuntur de subiecto, vt quidam homo, quidam equus &c.

Dices, Hæc secunda diuisio non est bimembris, ergò non est bona.

Resp.

Resp. Negando antecedens reductiuè; nam reducitur ad bimembrem hoc modo, scilicet Eorum quæ sunt, quædam sunt substantiæ, & quædam accidentia; si substantia, vel prima, vel secunda; prima nec dicitur de subiecto, nec est in subiecto; secunda dicitur de subiecto, & non est in subiecto; Si Accidens, vel vniuersale, vel particulare, si vniuersale, sic dicitur de subiecto, & est in subiecto, vt grammatica, scientia &c. si particulare sic est in subiecto, & non dicitur de subiecto, vt hæc grammatica.

Quaritur secundo, Quomodo hæ diuisiones conferunt ad cognitionem Prædicamentorum?

Resp. Prima confert ad cognoscendum illa, quæ ponuntur in Prædicamentis, & quæ non ponuntur, nam complexa, vt complexa non ponuntur in Prædicamento, sed tantùm incomplexa; Secunda valet ad cognoscendum omnia ea, quæ reponuntur in Prædicamento, nam talia, vel sunt substantia, vel accidens, vel vniuersale, vel particulare. Not. dici de subiecto est de aliquo sibi inferiori essentialiter prædicari, vt genus de speciebus.

De Regulis.

Q*Vaeritur primò*, Quot sunt Regulæ Antepraedicamentales? *Resp*. Duæ, prima, Quandò alterum de altero prædicatur, vt de subiecto, quæcumque de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur, vt animal de homine, ergò de quodam homine, & æquiualet huic, quod est prius priori, est prius posteriori, & quod est superiùs superiori, est superiùs inferiori.

Vndè, ad veritatem illius regulæ requiruntur tres conditiones, prima quod illa tria, ex quibus fit consequentia, sint in eodem genere essentialiter ordinata: secunda, quod prædicatum intermedium non varietur, sed eodem modo supponat respectu prædicati, quo supponebat respectu subiecti; tertia, quod omnes propositiones in primis intentionibus sint in prædicatione exercita, in secundis verò in prædicatione signata, ideò non debet fieri transitus à prædicatione exercita ad prædicationem signatã; Defectu primæ conditionis si

Obijc. Animal est substantia, substantia est genus generalissimum, ergò animal est genus generalissimum.

Resp. Negando consequentiam, quia substantia, quæ est medius terminus in maiori, supponit pro esse simpliciter, seu quidditatiuo, & extrà intellectum ipsius animalis; in minori supponit pro esse, quod habet per intellectum. Si

Obijc. secundo, Defectu secundæ conditionis sic; homo est quoddam animal, quoddam animal est equus, ergò homo est equus.

Resp. Negando consequentiam; quia variatur medius terminus, nam in maiori quoddam animal accipitur pro animali rationali, & in minori supponit pro animali irrationali hinnibili, ideò &c. si

Obijc. tertio, Defectu tertiæ conditionis sic; genus prædicatur de specie, species de Indiuiduo, ergò Indiuiduum

uiduum est genus.

Resp. Negando consequentiam; quia fit transitus à prędicatione signata, & per se, ad prædicationem exercitam, & per accidens in conclusione, ideò non valet.

Secunda regula est, Diuersorum generum non subalternatim positorũ diuersæ sunt species, & differentiæ, vt animal, & scientia, seù substantia, & qualitas sunt genera non subalternatim posita, quorum vnum non ponitur sub altero, ideò habent diuersas species, & differentias; Generum verò subalternatim positorum possunt esse eædem species, & differentiæ, vt animal, & corpus habent easdem species, & differentias, quia sunt in eodem prædicamento, & vnũ est sub alio.

Quæritur secundo, Quomodò hæ regulæ valent ad cognitionem prædicamentorum?

Resp. Prima regula valet ad cognoscendum ordinem eorum, quæ reponuntur in vno, & alio prædicamento; secunda regula valet ad cognoscendum ordinem eorum, quæ reponuntur in diuersis prædicamentis, quia diuersa prædicamenta habent diuersas species, & differentias.

QVAESTIO V.

An idem possit esse in diuersis generibus non sub alternatim positis?

IDem dicitur multipliciter ex Aristotele primo Top. scilicet Idem genere, vt homo, & Leo, qui conueniunt in animali; Idem specie, vt Sortes, & Plato in homine; Idem proportione sicut ea, quæ habent similitudinẽ in similiter essendo, vt color, & animal, nam sicut se habet animal ad hominem, ità color ad albedinem, & per consequens sunt idem proportione; Idem numero dicitur tripliciter, scilicet idem accidente, vt Sortes, & albedo; idem proprio, vt homo, & risibilitas; idem definitione, vt homo, & animal rationale. His positis sit

Prima conclusio. Idem proportione, accidente, & proprio potest esse in diuersis generibus: Prima pars patet; nam animal, & color, quæ sunt idem proportione sunt in diuersis generibus; secunda pars similiter patet de Sorte, & albedine; Tertia pars debet explicari; vt homo, & risibilitas, nam si risibilitas consideratur vt proprium, sic ob identitatem realem est in genere substantiæ; Si verò consideratur, vt species, sic est in genere qualitatis.

Secunda conclusio. Idem specie, vel genere, vel definitione non potest esse in diuersis generibus nõ subalternatim positis. Est Scoti quæst. 10. Probatur primò; ad essentiam speciei pertinet genus, ergò si idem genere inferiori, vel specie, vel definitione esset in diuersis generibus superioribus, tunc illa genera essent de eius essentia, & sic species haberet duas essentias, sicut duo genera habent duas essentias, & tales essentiæ non essent idem essentialiter inter se.

Secundò, Differentia cum genere facit vnum essentialiter, cum diuersis gene-

generibus non subalternis non facit vnum essentialiter, ergò si idem haberet duo genera, tunc ex illis non esset vnum per se, sed vnum per accidens, & consequenter idem esset ens per se, & per accidens, quod est inconueniens.

Obijc. primo Contrà secundam conclusionem; corpus est in genere substantiæ per Porphirium, & in genere Quantitatis per Aristotelem, ergò idem potest esse in diuersis generibus.

Resp. Disting. consequens, idem diuerso modo consideratum, concedo; sub eadem ratione, nego; nam corpus substantiale, est in genere substantiæ; corpus quantum est in genere quantitatis, & sic idem diuerso modo consideratum est in diuersis generibus non subalternatim positis.

Obijc. secundo, Figura est in genere Quantitatis, quia Geometer, qui per se considerat quantitatem, per se considerat figuram, & per Aristotelem est in genere qualitatis, ergò &c.

Resp. Vt suprà; nam vt dicit superficiem terminatam lineis, est in genere Quantitatis; prout verò dicit illam clausionem linearum, siue terminationem, sic est in quarta specie Qualitatis; nam qualitates quartæ speciei dicuntur qualitates circà quantitatem.

Obijc. tertiò, Scientia per se est in genere Qualitatis, quia est in prima specie; & in genere Relationis, quatenus refertur ad scibile ex Aristotele, ergò &c.

Resp. Scientiam esse quid æquiuocum ad significandum habitum, & ad significandum imaginationem rei scibilis, quæ duo essentialiter sunt diuersa; primò modo est in genere Qualitatis; secundo modo in genere Relationis.

DISPVTATIONES
DE PRAEDICAMENTIS.

QVAERITVR *primo*, Quid est Prædicamentum?

Resp. Est ordinatio plurium prædicatorum secundum sub, & suprà, vt superioris ad inferiora, vel inferioris ad superiora in recta linea.

Quæritur secundò, Ad quæ est vtilis cognitio Prædicamentorum?

Resp. Ad definitionem, diuisionẽ, & demonstrationem; ad definitionẽ, quia definitio constat ex genere, & differentia, quæ reponuntur in hoc libro; ad diuisionem, quia componitur ex terminis simplicibus, de qui-

bus agitur in hoc libro; ad demonstrationem, quia demonstratio constat ex propositionibus, propositio ex terminis, de quibus in hoc libro.

Quaritur tertio, Quomodo intitulatur iste Liber?

Resp. Liber Cathegoriarum Aristotelis, dicitur Cathegoriarum à quodam nomine Graeco, quod idem est, ac ordinatio; Vndè Liber Cathegoriarum est idem, ac Liber ordinabilium; ratio est, quia ea, quæ sunt in prædicamentis, reponuntur secundùm quamdam ordinationem, scilicet superioris, & inferioris, vt genera, species, & indiuidua, vel æqualium ad æqualia, vt differentiæ; dicitur Aristotelis, quia Auctor istius Libri fuit Aristoteles, vt Omnes fatentur, & si id non clarè constat, tamen omninò negandum non est.

DISPVTATIO PRIMA
DE PRAEDICAMENTIS IN COMMVNI.

QVAESTIO I.

An de Prædicamentis habeatur scientia?

Prædicamēta possunt dupliciter considerari, primò in quantùm sunt entia, sic de ipsis agit Metaphysicus; secundò, in quantùm considerantur ab intellectu, scilicet quatenùs in eis fundatur aliqua secunda intentio, siuè quatenùs eis attribuitur aliqua proprietas causata ab intellectu, sic de his loquitur Logicus. Quotuplex sit scientia, & quid sit, dictum est in principio Logicæ; quantùm ad præsens spectat est, quod cùm scientia sit effectus demonstrationis, & quia demonstratio est duplex, scilicet, quia, & propter quid, scientia etiam est duplex, scilicet, quia, & propter quid, seu à posteriori, & à priori (vt in Libris Post.) scire à priori, seu propter quid est scire rem per causam, scire à posteriori, seu quia, est scire causam per effectum, seu scire vnum effectum per alium magis notum. Pro qua sit

Prima conclusio. De Prædicamentis, vt entia sunt, idest à parte rei habetur scientia à posteriori. Probatur, nam de substantia demonstratur vna passio per aliam magis notam, vt non esse in subiecto demōstratur per hoc, quod substantia non intenditur, nec remittitur, & ista passio non est causa, quarè

quarè substantia non est in subiecto, sed est proprietas magis nota, nam omne id, quod est in subiecto ad modum accidentis, recipit intentionem, & remissionem.

Secunda conclusio. De Prædicamentis secundùm quod considerantur ab intellectu, habetur scientia à priori. Probatur primò, quod de eis habeatur scientia; nam cuius sunt passiones demonstrabiles, de eo potest esse scientia, sed de Prædicamentis huiusmodi cōsideratis sunt passiones, ergo &c. Minor patet, nam vniuocè prædicari ostenditur de substantia vt apprehensa per intellectum, & sic de cæteris.

Secundò quod sit scientia à priori; nam de Prędicamentis huiusmodi cōsideratis ostendūtur multæ passiones per causam, ergò est scientia à priori. Consequentia sequitur, quià scientia est effectus demonstrationis; Antecedens patet, nam diuidi in species, habere multas species subalternas, & nō habere genus superueniens ostenditur de eis, quatenùs sunt Prædicamenta, seù generalissima, ergo &c.

Obijc. Contrà secundam conclusionem; Scire propter quid est scire per causam, sed Prædicamenta non habent causam, ergo &c. Minor patet, quià causa est naturaliter prior illo, cuius est causa, sed istis nihil est naturaliter priùs, ergo &c.

Resp. Disting. minorem, non habent causam sui, concedo; suarum passionum, nego; nam habent definitionem, per quam demonstrantur illæ passiones, & præcipuè respectu passionum intentionalium, quæ insunt eis, in quantùm considerantur à ratione.

Quæritur, An ista scientia sit Metaphysica, vel potiùs logica?

Resp. Si Prædicamenta considerantur secundùm esse reale, sic de eis est scientia Metaphysica; si secundùm esse intentionale, sic de eis est scientia logica. Patet &c.

Dices, Multę passiones hìc considerantur vt entia realia sunt, ergò huiusmodi speculatio spectat ad Metaphysicum, non ad logicum. Consequentia sequitur, quià sic est scientia, sicut ostenduntur passiones.

Respon. Disting. antecedens, vt primò intentę à logico, nego; vt secundò intentę, concedo; nam sic faciliùs explicant rationem Prædicamenti, & conferunt ad earum cognitionem.

QVAESTIO II.

An ea, quæ hic tractantur, sint voces, conceptus, vel res?

CONceptus alicuius rei est duplex, alter realis, alter rationis; primus est ipsa essentia rei, secundùm quam res ipsa potest concipi, vt humanitas respectu hominis dicitur etiam conceptus quidditatiuus; secundus, est illud esse intentionale, secundùm quod res ipsa est in intellectu, vt homo quatenus in mente, & solet appellari à Scholasticis esse cognitum. Dici, & prędicari est proprium conceptuum, esse verò est proprium rei, & cùm ex varijs

 Præ-

Prędicamentorum considerationibus possint fieri de eis varię perscrutationes, ideò nunc quęritur, num ea, quę hic tractantur, sint voces, an conceptus, vel potiùs res, idest, num ea, quę in Prędicamentis reponuntur, quaterus ad logicum spectant, habeant esse reale, vel esse cognitum; an verò esse prolatum, seú vocale, sic quod sint voces explicantes conceptus. His positis sit

Prima conclusio. Ea, quę hic reponuntur, prout ad logicum spectant, non sunt voces, nec res; prima pars est contra Nominales opinantes, istam scientiam esse de vocibus, & terminis. Probatur, nullà voce prolata adhuc esset scientia de Prędicamentis, ergò non est hic sermo de vocibus; sequela patet, nam ipsis vocibus non existentibus, nec scientia Prædicamentorum existeret: Antecedens patet, nam illud de quo hic agitur est pars subiecti considerati in lib. Perhierm. & illud est pars eius, quod cōsideratur in libris Priorum, quod est syllogismus, sed illud habet omnes suas partes sibi inhærentes nulla voce prolata, & existente, similiter etiam enunciatio, ergò etiam Prædicamenta. Secunda pars patet, quia sic spectant ad Metaphysicum; Item logica esset scientia realis, quod est falsum.

Secunda conclusio. Ea, quæ hic reponuntur (prout ad logicum spectant) sunt conceptus, idest considerantur penès significari, & dici. Est Scoti quæst. prima Prædicamentorū. Probatur, ea quæ, hic speculantur, continentur sub obiecto totius logicæ tamquam pars in toto, sed obiectum totius logicæ est ens rationis, seù syllogismus secundò intentionaliter, ergò &c. Item logica est de secundis intentionibus applicatis primis, ergò & quælibet pars, & consequenter Prædicamenta.

Secundò probatur, inter rem, & vocem mediat conceptus, qui fundatur in re, & exprimitur per vocem, ergò sicut datur scientia quæ tractat de re, vt Metaphysica, alia de voce, vt grammatica, rectorica, ità debet assignari scientia de conceptu, vt logica, & quælibet pars eius, ergò quæ hic tractantur sunt conceptus.

Obijc. primo, Auctoritate Boetij dicentis, hunc librum esse de vocibus rerum significatiuis, ergò non de conceptibus.

Resp. Quod Boetius intellexit vocem passiuam per actiuam, idest de decem generibus, seù conceptibus per decem voces significatis. Vel secundò, est de vocibus, vt sunt instrumēta explicandi conceptus, ideò absolutè non dixit, hic agi de vocibus, sed de vocibus significatiuis, quod est munus instrumentale ipsius vocis respectu conceptuum.

Dices, Significatiuum, & non significatiuum sunt differentiæ vocis, ergò de ipsis tractatur secundùm earum essentiam, non verò vt instrumenta.

Resp. Disting. antecedens, significatiuum &c. quatenùs auditui aliquid repræsentant, concedo; quatenùs aliquid exprimunt, nego; nam hoc modo in Prædicamentis agitur de vocibus significatiuis, scili-

cet

cet quatenùs imponunt ad signisicandum conceptus tamquam instrumenta.

Obijc. secundo, Aristoteles cap. 2. Prædicamentorum docet, *Eorum quæ dicuntur, aut cum complexione, aut sine complexione dicuntur*, sed complexum, & incomplexum sunt differentiæ vocis, ergo cum hic agitur de incomplexis, sequitur quod iste liber est de vocibus.

Resp. Disting. minorem, complexum & incomplexum &c. grammaticaliter, concedo; logicaliter, nego; nam sic subordinatur conceptui; Vnde logicaliter vox complexa potest dici incomplexa, quia potest importare conceptum incomplexum; Vel secundò dicimus, quod duplex est complexio, alia vocalis, quæ habet fieri per plures voces; alia mentalis, quæ habet componi ex pluribus conceptibus; tunc Aristoteles ibi locutus fuit de complexione secundo modo, ideò dicit, dicuntur, idest concipiuntur.

Obijc. tertiò, Aristoteles in secunda diuisione dicit, Eorũ quę sunt &c. sed esse competit rebus sicut prædicari conceptibus, ergò in hoc libro agitur de rebus, & non de conceptibus. Item habet, *Aliqua esse in subiecto, vt grammatica, alia non, vt homo*; sed totus hic discursus videtur esse de rebus, & non de conceptibus, ergo &c.

Resp. In illa secunda diuisione Aristotelem intelligere de esse rationis, ideò dicit, eorum quæ sunt, idest cõcipiuntur, sed quia hoc non videtur posse accommodari verbis sequentibus, idest aliqua esse in subiecto, vt grammatica, quia ens rationis non habet esse in subiecto hoc modo; ideò aliter potest responderi, nam Aristoteles verè loquitur de esse reali, non tamen vt reale est, sed vt suprà ipsum habet fundari esse intẽtionale, & sic suprà his, quæ in subiecto nõ sunt fundatur hæc intentio, scilicet, prædicari essentialiter; super his verò, quæ in subiecto sunt, fundatur prædicari accidentaliter, & ideò Aristoteles declarauit ea per illud Verbum (dicuntur) vt patet in textu.

Dices, Eodem modo, quo ostenduntur passiones de aliqua re, ità erit consideratio eius, sed in hoc libro omnes passiones ostenduntur de Prędicamentis, seclusa operatione intellectus, ergò &c. Maior patet, nam scire est cõcludere passionem de subiecto; Min. etiat patet.

Resp. Disting. minorem; omnes passiones &c. ostenduntur &c. ad magis explicandum ea, quæ hic considerantur, concedo; propter principale intentum, nego; sed hæc responsio non videtur plenè satisfacere dubio, quia adhuc vt res considerantur; ideò aliter est interpretanda mens Aristotelis; nam tales proprietates cõsiderantur in sensu vt suprà, scilicet vt super his fundentur diuersi modi prædicandi, vt dictum est; Vnde ex hoc, quod substantiæ nihil est contrarium, elicitur, quod eius prædicationes sũt ęternę veritatis; Ex hoc quod substantia non suscipit magis, & minus elicitur, ipsam æqualiter prædicari de suis inferioribus, sic discurrendo per omnes eius proprietates, quod

verè

verè inspicitur intentum Aristotelis fuisse fundare diuersas prædicationes, secundúm quas ipsa substantia ordinabilis est.

Obijc. quarto, Passio subiecti, quæ est ordinabilitas, non verificatur de omnibus, quæ in hoc libro tractantur, ergò ea, quæ hic considerantur, non eodem modo speculantur; Antecedens patet, nam partes substantiæ, differentiæ, passiones &c. non videntur aliquo modo ordinari secundùm sub, & suprà, cùm non habeant nèc inferius, nèc superiùs, ergo &c.

Resp. Negando antecedens. Ad probat; disting. antecedens, eas non ordinari secundùm sub, & suprà in recto, concedo; in obliquo, seù reductiuè, nego; Ad illud de proprietatibus dictum est quo modo disponuntur.

Quæritur primo, Quænam sunt ea, quæ ponuntur in Prædicamentis?

Resp. Quod sunt omnia entia finita, & limitata, vt substantiæ, & accidentia; & ex his quæ reponuntur in Prædicamentis, quædam reponuntur directè, vt genera, species, & indiuidua; quædam indirectè, vt differentiæ; quedam reductiuè, vt passiones, vel partes essentiales, vel integrales; quædam reductiuè quasi per accidens, quę habent modum principij, & termini, vt punctum lineæ est in illo Prædicamento, in quo est linea, quædam solùm per accidens, vt priuationes.

Quæritur secundo, An accidens, quod ponitur in Prædicamento, sit in illo sub nomine abstracto, vel concreto?

Resp. Abstractiuè tantùm. Patet primò ex primo Top. c. primo, vbi habetur, Iustitiam esse in genere, non verò iustum. Secundò in Prædicamentis solùm ea reponuntur, quæ possunt denominari genera, & species, seù ipsis subiacere, sed concreta non sunt huiusmodi, ergo &c. Minor patet, nam solùm ea possunt denominari genera, & species, quæ significant naturam non alteri adiacentem, aliàs enim non haberent subiectum essentiale prædicationis, ergò nòn in concreto, vt connotant substantiam, sed in abstracto, & quatenùs respiciunt sua inferiora, essentialiter ponuntur in Prædicamento.

Dices, Aristoteles in hoc capite proposuit accidentia in concreto, ergo &c.

Resp. Disting. antecedens; secundùm traslationem Boetij, concedo, secundùm translationem Argyropoli, nego; nàm sic enumerantur in abstracto.

Quæritur tertio, An æquiuoca, & analoga ponantur in Prędicamento?

Resp. Negatiuè; Probatur, nàm in Prædicamento ponuntur naturæ superiores, & inferiores, secundùm quod prædicabiles, & subijcibiles sunt; sed à naturis æquiuocis, & analogis nõ potest abstrahi aliqua natura superior, quæ essentialiter & quidditatiuè de ipsis prædicetur, quia æquiuoca, & analoga quatenùs talia non conueniũt in substantia significata per nomen, aliàs ab Vniuocis non distinguerẽtur.

Quæritur quarto, An nomina complexa ponantur in Prædicamento?

Resp. Negatiuè loquendo de com-

plexis plura significantibus, vt propositiones; affirmatiuè de complexis vnam rem significantibus; primum patet, nam plura vt plura nec sunt genera, nec species, ergo &c. Secundum etiam patet, nam definitum, & definitio idem important, sed definitum v.g. homo ponitur in Prędicamento, ergò etiam definitio, scilicet animal rationale.

Quæritur quinto, An de ratione generis generalissimi sit plures species sub se continere?

Resp. Negatiuè; nam de ratione eius est suprà se non habere genus; Patet in Prędicamẽto Quando, quod paucas, vel nullas continet sub se species.

Quæritur sexto, Vtrùm omnes species specialissimæ ęqualiter distent à genere?

Resp. Affirmatiuè à genere infimo, non verò à genere supremo, quia plura prędicata continet homo, quàm Angelus; nam homo continet corporeitatem, & animalitatem, Angelus verò non.

QVAESTIO III.

Quodnam est subiectum in hoc libro?

IN pręsenti quæstione supponitur id, quod dictum est in quęstione pręcedenti, scilicet ea, quę in hoc libro ponuntur, esse conceptus, seù res cognitas; nunc verò quæritur, quodnam est commune illis, quod possit statui subiectum in hoc libro; Omnes enim conueniunt, subiectum in hoc libro esse aliquod intentionale, quod ab aliquibus nominatur Prædicamentum, ab Aliquibus genus generalissimum, ab Alijs ens intentionale, ab Alijs vniuersale ordinabile, & ab alijs aliter. Nos verò dicimus (vt communiter omnes cum Scoto) esse Prædicamentum, seù genus generalissimum in communi, per intellectũ exceptum ex illis, in quo omnes conueniunt, vt ordinabile secundùm sub & suprà; pro qua sit.

Conclusio. Subiectum in hoc libro statuitur Prædicamentum intentionale in communi, seù genus generalissimum in communi intentionale; Probatur, nam habet principia, partes, & passiones, & omnia adæquat, ergò est hic subiectum; Consequentia sequitur; Antecedens probatur, nam habet principia, quia definitur in Vniuersalibus cap. de Specie, habet, partes, scilicet subiectiuas, nẽpè omnia Prædicamenta; habet passiones, vt esse ordinabile, diuidi in plures species, habere species subalternas, ergo &c. & cætera, quæ in hoc libro reponuntur, continentur sub Prædicamento, seù generalissimo in communi vt patet, ergo &c.

Obijc. primo, Nulla passio hic demonstratur de Prædicamento in cõmuni, ergo non est hic subiectum. Consequentia sequitur, quia subiectũ debet habere passiones de ipso demonstrabiles, Antecedens patet discurrendo per totum librum, in quo nullibi reperitur passio ipsius Prædicamenti in communi, ergo &c.

Resp.

Resp. Negando antecedens. Ad probat. dicimus, quod passiones quæ demonstrantur de quolibet Prædicamento, primò demonstrantur de Prædicamento in communi, vt diuidi in species, habere species subalternas, vniuocè prædicari dicuntur de quolibet Prædicamento, sed primò de Prædicamento in communi, quia Prædicamentum est.

Obyc. secundo, Subiectum debet esse aliquod commune ad ea, in quibus statuitur subiectum, sed Prædicamentum, seù genus generalissimū non est huiusmodi, quia Indiuidua, differentiæ, de quibus tractatur hìc, non sunt Prædicamenta, ergò &c.

Resp. Disting. Maio. communitate prædicationis ad partes subiectiuas, concedo; ad omnes, nego; nam communitate attributionis vtique est commune omnibus in hoc libro consideratis, ideò &c.

Obiic. tertio, Prædicamentum, seù genus generalissimum, quod est hìc subiectum, continetur sub genere primo prædicabili, ergò hæc scientia subalternatur Libro Porphirij, quia sicut se habet subiectum ad subiectū, ita scientia ad scientiam.

Resp. Disting. antecedens, quatenùs prædicabile est, concedò; quatenus ordinabile, nego; nam &c. Vel secundò nego consequentiam, nam licèt subiectum sit sub illo, non tamen scientia hæc sumit sua principia ex illa, & ideò alterum deest, quod requiritur ad subalternationem scientiarum.

Obiic. quarto, Hic agitur de substantia, de Quantitate &c. sed ista sunt entia realia, ergò potiùs Prædicamentum reale erit subiectum.

Resp. Quod substantia, Quantitas &c. considerantur à Logico, quatenùs eis attribuitur aliqua secunda intentio.

Obiic. quintò, Iste Liber est de vocibus, nam Aristoteles habet, vocum aliæ complexæ, aliæ incomplexæ, ergò subiectum est vox.

Resp. Quod iste Liber est de vocibus non absolutè, sed in gratiam conceptus, qui per se consideratur à Logico; Vnde si quis haberet conceptū Prædicamenti, & non vocem, tunc ille esset verè Logicus; ideò &c.

QVAESTIO IV.

An Prædicamentum, quod hìc ponitur subiectum, sit Vniuocum ad ea in hac scientia considerata?

VNiuocum duplex est, aliud reale, & aliud rationis; primum est illud, quod est vnum in multis nomine, & ratione, secluso opere intellectus, vt animal respectu hominis, Leonis; secundum est vnum in multis nomine, & ratione, vnitate alicuius conceptus causati ab intellectu, comparante vnum obiectum alteri, vt vniuersale intentionale dicitur de quinque, scilicet de genere, de specie &c. Item aliud est vniuocè prædicari, & aliud vniuocum prædicatum; primùm dicitur vniuocum essentiale, quia secundùm nomen, & rationem includitur in Vniuocatis, vt animal de homine, de

Leone

Leone &c. secundum dicitur Vniuocum accidentale, quia non includitur essentialiter in illis; vt album respectu hominis, & Leonis albi; pro qua sit

Conclusio affirmatiua. Est Scoti quæst. 3. Probatur, nam Prædicamentum in communi dicitur de decem Prędicamentis secundùm nomen & rationem, ergò &c. Antecedens patet, nam tam substantia, quam quantitas &c. dicuntur Prædicamenta, & participant eius rationem, scilicet non habere genus suprà se; vel esse ordinabile secundùm sub, & suprà, loquẽdo intentionaliter, ergò &c. sed istud Prædicamentum intentionale respectu Prædicamentorum realium dicitur prædicatum Vniuocum; quia illud prædicatum, quod non includitur essentialiter in aliquibus secundùm nomen, & rationem, dicitur tantùm prædicatum Vniuocum, sed tale Prędicamentum est huiusmodi, quia nulla secunda intentio est intrinseca enti reali ergó &c.

Objc. primo, Prædicamenta sunt inter se diuersa, ergò non habent aliquod, in quo conueniunt vniuocè. Consequentia sequitur, quia essent eadem inter se, & non diuersa; patet, nam quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, sed Prædicamenta non sunt eadem inter se, ergò nec vni tertio, & consequenter non conueniunt in aliquo Vniuocè.

Resp. Negando consequentiam, nam Prædicamenta sunt eadem inter se ea identitate, qua sunt eadem prædicamento in communi, in quo vniuocè conueniunt.

Dices, Prædicamenta sunt prima genera, ergò non habent aliquod superius, in quo conueniunt.

Resp. Disting. antecedens, prædicamenta sunt prima, vt realia sunt, concedo; vt appræhensa per intellectum, nego; nam sic habent aliquod prius, in quo conueniunt vniuocè, scilicet in hoc Prædicamento intentionali, & istud non est quid distinctum ab illis, sed quoddam exceptum ex illis.

Obiic. secundo, Intentio causatur à re, ergò vnitas intentionis ab vnitate rei; sed in re nihil est commune istis, ergò nec in intentione; prima consequentia patet, nam quod est ab intellectu absque fundamento in re, est figmentum; minor etiam patet, nam substantia, Quantitas &c. nulla habent vnitatem à parte rei, ergò &c.

Resp. Non disputando pro nunc, si substantiæ, & accidenti sit aliquod commune vniuocum; disting. antecedens; intentio causatur à re occasionatiuè, concedo; totaliter, nego; nam intellectus est causa principalis intentionis, & sufficit quod moueatur ab aliquo extrinseco ad caussandum multa per considerationem, quibus non correspondent res à parte rei, vt intellectus considerans rem potest per illam vnam speciem millies reflectere se suprà suam operationem considerando, & qualibet consideratio est aliquid, tamen nihil habet extrinsecum sibi correspondens, nisi tantùm primum obiectum, scilicet ipsam rem, à qua intellectus sumit occasionem, & ità dato, quod Prædicamenta à parte rei sint diuersa, non propter hoc sequitur, quod etiam in

 inten-

intentione sint diuersa, quia maior est vnitas rei, quàm intentionis, & ità vni Prædicamento in communi intentionali respondent à parte rei decem Prædicamenta.

QVAESTIO V.

De Numero Prædicamentorum.

MAnifestum est apud omnes, decem esse genera rerum, scilicet Substantiam, Quantitatem, Qualitatem &c. quorum distinctio non sumitur penès aliquod logicum tantùm, sed penès ipsas essentias; nam secunda intentio, Generalissimum, variatur tantùm numero in istis decem, ideò distinctio sumitur etiam penès essentias, prout ad Metaphysicum spectat, & quæritur, quot sint Prædicamenta, pro qua sit

Conclusio. Prædicamenta sunt tantùm decem; & ità assignatur sufficientia; nam omnia Prædicamenta verificantur de prima substantia, vel ergò verificantur, vt prædicata essentialia, sic est substantia, vel accidentalia, & hæc vel absoluta, vel relatiua; si absoluta, vel per modum materiæ, sic est quantitas, quæ assimilatur materiæ, vel per modum formæ, sic est Qualitas; si verò sunt relatiua, tunc vel consequuntur extrema necessariò, sic est Relatio, vel non necessariò, sic sunt sex vltima Prædicamenta, quæ vocantur à Scoto respectus extrinsecùs, scilicet Actio, Passio, Quando, Vbi, Situs, & Habitus.

Potest assignari alia sufficientia Metaphysicè, nam quicquid est, vel est ens per se, vel in alio, vel ad aliud, vel cum alio; si per se, sic est substantia, si secundum, sic est Quantitas; si tertium, sic est Relatio; si quartū, sic est Qualitas; Substantia verò iungitur cum Quantitate, duobus modis; scilicet vel in tempore, sic facit Prædicamentum Vbi; Substantia coniungitur etiam cum Qualitate, & hoc vel in agendo, sic facit prædicamentum Actionis, vel in patiendo, sic facit prædicamentum Passionis; Substantia iungitur cum Relatione duobus modis, vel vt dicit ordinem partium ad partes loci, sic facit prædicamentum Situs, vel vt dicit ordinem ad vestem, sic facit prædicamentum Habitus, & ità habetur per hanc sufficientiam, quod tantùm decem sunt prædicamenta.

Obiic. primò; Ens diuiditur in substantiam, & accidens, sed vnum est prædicamentum substantiæ, ergò vnum prædicamentum Accidentis, & consequenter duo sunt prædicamenta.

Resp. Negando consequentiam; nam modus essendi, quo ens descendit in Substantiam est Vniuocus, ideò constituit vnum prædicamentū; modus verò, quo ens descendit in accidens, est Æquiuocus, ideò diuiditur in nouem prædicamenta.

Dices, Quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur, & reliquum ex primo Top. sed substantia, & accidens sunt opposita ergò quot prædicamenta constituit substantia, tot accidens, sed substantia vnum, ergò accidens similiter constituit

tuit vnum prędicamentum.

Resp. Negando Minorem, nam substantia, & accidens non sunt opposita, sed disparata, ideò argumentum nihil facit contrà positionem.

Obijcitur secundo, Ordinatio ad vnum genus constituit vnum prędicamentum, sed omnia, quæ hic considerantur, ordinantur ad ens, ergò vnum est prędicamentum, scilicet, Ens.

Resp. Distinguendo minorem, ordinantur ad ens tamquàm ad aliquod genus, nego; tamquàm ad aliquod transcendens, concedo; nam ens, quia prędicatur de differentijs in quid, non potest esse genus, quia nullum genus includitur in suis differentijs, ideò non sequitur, quod sit vnum genus generalissimum.

Obijcitur tertio, Quod superabundantiam dicit, vni soli conuenit per Priscianum, sed prędicamenta dicunt superabundantiam in Ente, quia sunt generalissima, ergò vnum tantùm erit Prædicamentum, scilicet Ens.

Resp. Disting. Maiorem, quod superabundantiam &c. in vno genere, concedo; in diuersis generibus, nego; nam substantia dicit superabundantiam in genere substantiæ, & ità vnum erit prædicamentum substantiæ, similiter de Quantitate, de Qualitate &c.

Obijc. quarto, Sicut Agere, & Pati constituunt duo prædicamenta, sic Actio, & Passio, ergo prædicamenta sunt plura quàm decem.

Resp. Negando antecedens, quoad secundam partem, quia concreta, & abstracta habent vnum significatum formale, licèt diuersos modos significandi, & ideò ratione vnius significati non constituunt prædicamenta diuersa.

Obijc. quinto, Entia rationis distinguuntur ab entibus realibus, ergò constituunt aliud prædicamentum diuersum ab istis, & sic plura prædicamenta, quàm decem.

Resp. Concedendo totum discursum; nam decem sunt prædicamenta realia; entia rationis constituunt vndecimum prædicamentum rationis, ideò nihil contrà nostram positionem.

DISPVTATIO SECVNDA

DE SVBSTANTIA.

QVAERITVR *primo*, Quare Aristotel. priùs agit de Substantia, quã de Quantitate, & cæteris?

Resp. Quia substantia est prior accidente natura, tempore, & cognitione; Item substantia per se subsistit, accidentia verò non per se subsistunt, ergò &c.

Quæritur secundò, Quotuplex est substantia?

Resp. Duplex, prima, & secunda; Substantia prima est, quæ propriè, principaliter, & maximè substare dicitur, quæ nec est in subiecto, nec de subiecto dicitur, vt aliquis homo, aliquis Leo; dicitur, propriè ad differentiam accidentium, quæ propriè non substant, vt superficies respectu albedinis; dicitur principaliter, ad differentiam secundæ substantiæ, quæ dicitur substare accidentibus secundariò; dicitur, Maximè, quia non solùm substat accidentibus, sed etiã superioribus; dicitur, quæ neque in subiecto est, quia non est accidens; dicitur, nec de subiecto dicitur, quia non habet inferiora: Not. quod aliquis homo significat substantiam determinatè, sed indeterminatè; ità Scotus quæst. 12. Prædicamentorum. Substantia secunda sunt genera, & species, sub quibus sunt illæ, quæ principaliter substare dicuntur, vt homo, & animal, sub quibus sunt hic homo, hoc animal.

Quæritur tertio, An prima substantia sit magis substantia, quàm secunda?

Resp. Affirmatiuè, prout substantia dicitur à substare, & à subsistere, quia magis substat, vt suprà, & per se dicitur subsistere; & ipsa non existente, nec secunda existeret; Inter secundas substantias species est magis substantia quàm genus, quia magis accedit ad primam, & magis substat, quia substat generi, & non è contrà: Si verò duæ species infimæ ad inuicem comparentur, vna non est magis substantia, quàm alia, quia æqualiter substant, & æquè appropinquantur substantiæ primæ.

QVAESTIO I.

De diuisione substantiæ in primam, & secundam.

IN hac quæstione duo inquiruntur, primum, quodnam sit diuisum

sum in hac diuisione; secundum, qualis sit hæc diuisio, pro qua sit

Prima conclusio. Diuisum in hac diuisione non est substantia, quæ est genus generalissimum, sed substantia, quæ est communis omni eo, quod ponitur in recta linea prædicamentali, siuè natura communis, quatenus abstrahit ab vniuersalitate, & particularitate. Prima pars patet, nam substantia, quæ est genus generalissimum est secunda substantia, sed nullum diuisum est sub membro diuidente, ergò &c.

Secunda pars patet, nam si diuisum in hac diuisione non est substantia, quæ est genus generalissimum, sequitur, quod debet esse aliquod abstrahens à prima, & secunda substantia, sed hoc nihil aliud est, nisi illa natura communis, quæ indifferens est ad vniuersalitatem, & particularitatem, ergò &c.

Secunda conclusio. Diuisio substantiæ in primam, & secundam est subiecti in accidentia. Est Scoti q. 12. Prædicamentorum circà finem. Not. quod substantia, quæ diuiditur, sumitur pro substantia reali; prima, & secunda substantia sumuntur secundò intentionaliter, & sic sunt accidentia intentionalia, & sic optimè dicit Scotus, quod sit diuisio subiecti in accidentia. Probatur, substantia alia prima, alia secunda, idem est, ac substantia, alia vniuersalis, alia particularis, sed esse vniuersale, & esse particulare accidunt ipsi substantiæ, quia secundæ intentiones accidunt primis, ergò &c.

Tataretus dicit in hac quæstione, hanc diuisionem esse generis in species, sumendo substantiam, quæ diuiditur pro generalissimo substantiæ secundò intentionaliter, & tunc prima, & secunda substantia essent species illius substantiæ.

Obijc. primo contrà primam conclusionem, nullum diuisum continetur sub membro diuisionis, sed substantia ista, seu natura communis est secunda substantia, ergò &c.

Resp. Negando minorem; nam secundùm Aristotelem secundæ substantiæ sunt genera, & species, quæ secundùm Scotum non dantur à parte rei, ideò talis substantia, quæ diuiditur, non est secunda substantia.

Obijc. secundo contrà secundam conclusionem. Datur aliqua substantia, cui hæc diuisio non conuenit, ergò falsa diuisio; Antecedens patet, nam Deus est substantia, differentiæ sunt substantiæ, sed non sunt primæ nec secundæ, vt patet ex Philosopho, ergò &c.

Resp. Negando antecedens. Ad probat. dicimus, quod Deus non est substantia prædicamentalis. Ad illud de differentijs dicimus, quod solũ illæ substantiæ sunt primæ, & secundæ, quæ reponuntur in recta linea prædicamentali, & sic differentiæ, cùm non ponantur in recta linea, nec dicuntur primæ, nec secundæ substantiæ.

Obijc. tertio, Membra diuidentia debent esse opposita, sed ista non sunt huiusmodi, ergò &c. Minor patet, nam secunda substantia est in prima, vt homo in Petro, ergò nõn sunt opposita.

Resp. Negando minorem. Ad probat.

bat. dicimus, quod prima, & secunda substantia secundò intentionaliter habent diuersam formalitatem, nam alia est formalitas vniuersalitatis, & alia singularitatis, & sic sunt membra opposita.

QVAESTIO II.

An Deus sit in Prædicamento substantiæ?

DEus, (ex Diuo Anselmo) est quo maius excogitari non potest. Ex Scoto, est ens absolutum, primum, independens, compræhendens omnem bonitatem, atque perfectionem, vt pelagus infinitum & interminatum, pro qua sit

Conclusio negatiua. Est Scoti in primo sent. d.8. quæst.2. & communis. Probatur, quod ponitur directè in Prædicamento, vel est vt genus, vel vt species, vel vt indiuiduum, sed Deus neutrum istorum est, ergo &c. Maior, & minor de se patent. Item quod est in aliquo Prædicamento, finitur, & determinatur in illo, sed Deus est omninò infinitus, & illimitatus, ergò &c.

Obije. primò. Omnis substantia est in Prædicamento substantiæ, sed Deus est substantia, ergo &c.

Resp. Disting. maiorem, omnis substantia creata & finita, concedo; increata & infinita, nego; nam &c.

Obije. secundò, Species ponitur directè in Prædicamento, sed Deus habet rationem speciei, quia dicitur de tribus personis, ergo &c.

Resp. Negando minorem: Ad probat: dicimus, quod licèt Deus dicatur de tribus personis, tamen non est in illis per sui diuisionem sicut species in suis indiuiduis. Item species habet suprà se genus, constat ex genere, & differentia, quod non est dicendum de Deo, ideo &c.

Dices, Deus differt à creatura differentia substantiali, ergo &c. Antecedens patet, nam non differt à creatura differentia accidentali, ergò substantiali, sed omnis differentia est diuisiua alicuius generis, ergo &c.

Resp. Negando antecedens, nam cùm sit summè simplex, nec differt differentia substantiali, nèc accidentali, sed cum sit simplicissimus differt à creatura se ipso, non per aliquam differentiam.

Obije. tertio, Ex Boetio lib. de Trinitate, duo genera manent in diuinis, scilicet relatio, & substantia, sed Deus non est relatio, ergó substantia, & consequenter in Prædicamento substantiæ.

Resp. Negando vltimã consequētiã, nam Boetius intelligitur quoad modũ prædicandi, non quoad coordinatiōnem prædicamentalẽ; in diuinis enim alia prædicantur relatiuè, vt personæ, alia essentialiter, vt esse Dei, attributa &c.

Dices, In diuinis aliqua habent modum prædicandi quantitatis, vt Deus est Maximus; aliqua qualitatis, vt Deus est bonus, ergo modi prædicandi in Deo sunt plures quàm duo, & consequenter Boetius non intelligitur de modo prædicandi, sed de coordinatione prædicamentali.

Resp.

Resp. Negando vltimam consequentiam; nam omnia ista vel prædicantur per modum ad se, vel per modum ad aliud; licet enim formaliter possint esse plures, tamen reductiuè sunt tantùm duo modi prædicandi.

Obijc. quarto, Si Deus non ponitur in Prædicamento substantiæ, ideò esset, quià esset infinitus, sed hæc ratio nihil facit, nam si daretur linea infinita, poneretur in Prædicamento quantitatis, ergo Deus substantia infinita ponitur in Prædicamento substantiæ.

Resp. Negando minorem; Ad probat. nego paritatem, quià linea esset infinita tantùm secundùm quid, sed tantùm in genere quãtitatis, Deus verò est infinitus in omni genere, seu simpliciter, & consequenter est extrà omne genus.

Obijc. quinto, Si Deus non esset in Prædicamento esset quia est simplex, sed aliæ substantiæ simplices sunt in Prædicamento, vt sunt Angeli, anima rationalis, ergo &c.

Resp. Negando minorem: nam Angeli non sunt simplices sicùt Deus, quia includunt aliquam compositionem, scilicet Metaphysicam, Deus verò est summè simplex expers cuiuscumque compositionis, ideo &c.

QVAESTIO III.

An Angeli sint in Prædicamento substantiæ?

Angelus, ex Damasceno, est substantia incorporea, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, Deo ministrans, gratia & non natura immortalitatem suscipiens, ex qua definitione elicitur primò eius essentia, cùm dicitur substantia incorporea; secundò elicitur eius naturalis virtus, quæ virtus est triplex, scilicet cognitiua, cum dicitur, intellectualis; volitiua cùm dicitur, arbitrio libera; localitèr motiua cùm dicitur, sempèr mobilis; tertiò elicitur eius officium, cùm dicitur, Deo ministrans; quartò elicitur eius duratio, cùm dicitur, nó natura, sed gratia immortalitatem suscipiens, pro qua sit

Conclusio affirmatiua. Colligitur ex Scoto in 4. d. 6. q. 10. sub M, contrà Auerroem, Albertum, & Suessanum. Probatur, omnis substantia creata est in Prædicamento substantiæ, sed Angeli sunt huiusmodi, vt patet, ergo &c. Item substantia, quæ est genus generalissimum diuiditur in corpoream, & incorpoream, vt patet in arbore Porphirij, sed Angeli continentur sub substantia incorporea, ergò &c.

Secundò, Si Angeli non essent in Prædicamento, ideò esset, quià non sunt compositi ex materia & forma, sed anima rationalis non est composita ex materia & forma, & est in Prædicamento Substantiæ, vt patet ex primo de Anima, vbi Aristoteles ait, quod qui quærit animam quid sit, oportet vt quærat in quo genere sit, & deinde concludit esse in genere substantiæ, ergo &c.

Obijc. prima, Quod est in genere substantiæ est compositum ex materia & forma, sed Angeli carent huius-

iusmodi compositione, ergo &c.

Resp. Distinguendo maiorem, est compositum &c. vel Physicè, vel Metaphysicè; nam Angeli licet careant compositione Physica, non verò Metaphysica, quia constant ex genere, & differentia.

Obijc. secundo. Substantia Prædicamentalis substat accidentibus; sed Angeli non substant accidentibus, quia sunt substantiæ simplices, ergo &c.

Resp. Distinguendo minorem, Angeli non substant accidentibus materialibus, & corruptibilibus, concedo; spiritualibus; nego; nam eius intellectio est accidens.

Obijc. tertiò, Corruptibile, & incorruptibile differunt plusquam genere, sed substantia corruptibilis ponitur in prædicamento substantiæ, ergò substantia incorruptibilis, vt Angelus non ponitur in prædicamento substantiæ.

Resp. Disting. maio. differunt genere Physico, concedo; Logico, nego; nam corruptibile, & incorruptibile non conueniunt in aliquo esse transmutabili, ideò non conueniunt in genere Physico; conueniunt, tamen in genere Logico, & Metaphysico, scilicet in substantia finita, & limitata.

Obijc. quartò, Angeli non sunt susceptibiles contrariorum, quia essent corruptibiles, ergò non ponuntur in prædicamento substantiæ. Consequentia sequitur, quia substantia prædicamentalis est susceptibilis contrariorum.

Resp. Negando antecedens. Ad probationem dicimus quod Angeli secundùm veritatem sunt corruptibiles ex propria natura; Vel secundò, Angeli suscipiunt contraria, quæ sunt proportionata suæ naturæ, scilicet bonum & malum, sic non sequitur quod sint corruptibiles.

Notandum, quod Auerroes, & Albertus tenent partem negatiuam, quia sumunt substantiam, quæ est genus generalissimum, quatenus amplectitur substantiam primam, & secundam: Scotus verò, & communiter tenent partem affirmatiuam; quia sumit substantiam amplectentem substantiam corpoream, & incorpoream; hoc est diligenter notandum; quia est maximi ponderis, & multas soluit rationes.

Quæritur, Quot sunt proprietates substantiæ?

Resp. Sex, scilicet tres conueniunt tam substantiæ primæ, quàm secundæ, vt commune est omni substantiæ in subiecto non esse; substantiæ nihil est contrarium; substantia non suscipit magis, & minus: ex alijs tribus vna conuenit secundis substantijs, vt proprium est secundarum substantiarum prædicari vniuocè de primis; aliæ duæ conueniunt primis substantijs, vt substantia videtur hoc aliquid significare, & est susceptiua contrariorum.

QVAESTIO IV.

An proprietates substantiæ sint à Philosopho rectè assignatæ

PRima conclusio; prima proprietas substantiæ, in qua dicitur, com-

commune est omni substantiæ in subiecto non esse, est rectè assignata à Philosopho. Probatur, esse in subiecto est proprium accidentis, sed substantia non est accidens, ergò non est in subiecto, & consequenter est recta; per subiectum intelligitur compositum vltimatè specificatum, vt suppositum; hæc proprietas est conuertibilis cum omni substantia, scilicet tam prima, quàm secunda:

Obijc. primò, partes corporis sunt substantiæ, vt manus, bracchia &c. sed sunt in subiecto, quia sunt in corpore, ergò &c.

Resp. Negando minorem. Ad probat. dicimus, quod tales partes non sunt in corpore inhæsiuè, sed integratiuè, vt partes.

Dices, Forma substantialis est in materia, vt in subiecto, & non est pars materiæ, sed talis forma est substantia, ergò &c.

Resp. Disting. maio. inhæsiuè, nego; informatiuè, concedo; nam esse in subiecto per inhæsionem repugnat substantiæ, non verò per informationem. Vel meliùs cum Mairone passu 4. Prædicamentorum, negando consequentiam, quia per subiectum hic intelligitur suppositum, & hoc modo materia non habet rationem subiecti, licèt forma sit in illa.

Secunda conclusio. Secunda Proprietas est recta, in qua dicitur, substantiæ nihil est contrarium. Patet ex declaratione istius Proprietatis; nam oppositio est quadruplex, scilicet priuatiua, quæ est inter habitum, & priuationem; alia contradictoria, quæ est inter affirmationem, & negationem, vt inter hominem, & non hominem; alia relatiua, quæ est inter Patrem, & Filium; alia denique contraria, vt inter calidum, & frigidum; quandò verò dicitur, substantiæ nihil est contrarium, intelligitur de contrarietate, seù oppositione quarta.

Obijc. primò, Ignis contrariatur aquæ, sed ista sunt substantiæ, ergò vna substantia contrariatur alteri. Item quod corrumpitur, à suo contrario corrumpitur, sed ignis, v.g. corrumpitur ab aqua, ergò tamquàm à suo contrario.

Resp. Disting. maiorem, ignis contrariatur aquæ ratione substantiæ, nego; ratione qualitatis, concedo; nam ignis non contrariatur aquæ, vt ignis est, sed vt calidus est. Ad aliud disting. minorem, ratione sui, nego; ratione qualitatis, concedo; nam aqua sua frigiditate contrariatur caliditati ignis, & ideò corrumpens caliditatem, quæ est dispositio necessaria ad conseruationem ignis, tunc substantia ignis etiam corrumpitur, tamen non ab aliquo sibi formaliter repugnante, sed ab opposito suæ qualitatis necessariæ ad conseruationem ipsius ignis.

Dices, Contrarietas in effectibus arguit contrarietatem in causis, sed frigiditas, & caliditas sunt effectus contrarij, ergò similiter ignis & aqua, quæ sunt causæ.

Resp. Maiorem esse veram de contrarietate, vel formali, vel virtuali, & ideò effectus contrarij formaliter substantiæ arguunt contrarietatem vir-

tualem in substantia; nam caliditas, & frigiditas opponuntur formaliter, quia vna expellit, aliam; ignis & aqua opponuntur virtualiter, quia habent producere effectus formaliter oppositos; Vndè aliquod habere contrarietatem virtualem non est aliud, quam illud posse producere contraria.

Dices, seclusa frigiditate ab aqua, & caliditate ab igne, adhuc in eodem subiecto non possunt esse, ergò propter contrarietatem formalem.

Resp. Negando sequelam, nam arguitur à non causa tamquàm à causa; ratio quarè hæc duo non possunt esse in eodem subiecto non est contrarietas formalis, sed quia vna materia non potest informari duabus formis substantialibus naturaliter.

Obijc. tertio, Elementa sunt substantiæ, sed inter se contrariantur, ergò substantia habet contrarium.

Resp. Disting. minorem, ratione sui, nego; ratione qualitatum, concedo; nam &c.

Tertia conclusio; tertia proprietas est recta, in qua dicitur, substantia non suscipit magis, & minus; Patet; nam Sortes non est magis homo in vno tempore, quàm in alio, sed Sortes est substantia, ergò &c. Not. quod intelligitur de suscipere magis, & minus in ratione essendi substantiæ non tamen in ratione substandi accidentibus, quia sic prima substantia dicitur magis substantia, quàm secunda, quod est dicere, vna substantia non est magis substantia, quàm alia intensiuè, non verò extensiuè.

Obijc. primò, Aqua est substantia, sed si illi addatur alia aqua fit maior, ergò substantia suscipit magis, & minus.

Resp. Disting. minorem, fit maior extensiuè, concedo; intensiuè, & essentialiter, nego; nam &c.

Obijc. secundò, Vna anima est perfectior alia, sed anima est substantia, ergò &c. maior patet; nam per Articulum Parisiensem dicere, animam Christi non esse perfectiorem anima Iudæ in puris naturalibus, est error, sed hoc non potest intelligi de accidentibus, quia nullus dubitat, quin anima Christi sit perfectior quacumq. anima in accidentalibus, cum habeat summam gratiam, ergò intelligitur in substantialibus.

Resp. Disting. maiorem; in ratione substantiæ, & quoad esse specificum, & essentiale, nego; quoad esse indiuiduale, concedo; nam anima Christi est perfectior quoad esse indiuiduale, non verò specificum, & essentiale, & in ratione substantiæ.

Quarta conclusio; quarta proprietas est recta, in qua dicitur, conuenit secundis substantijs prædicari vniuocè de primis. Patet; nam secunda substantia prædicatur secundùm idem nomen, & eamdem rationem de primis, vt animal de homine, & de Leone, ergò &c. hæc non conuenit primis substantijs.

Quinta conclusio. Quinta proprietas est recta, in qua dicitur, substantia significat hoc aliquid; Patet, nam significare hoc aliquid est significare naturam singularem, sed substantia prima est singularis, ergò &c. hæc pro-

proprietas non conuenit secundis substantijs, nam illæ significant tantùm quale quid; idest naturam vniuersalem; Aristoteles enim habet, quod prędicata superiora se habent, vt forma respectu inferiorum, & ideò significant quale quid.

Sexta conclusio. Sexta proprietas est recta, in qua dicitur; substantia (cum sit vna numero) est susceptiua contrariorum. Patet, nam idem homo modò est albus, modò niger, modò calidus, modò frigidus, sed ista sunt contraria, ergò substantia existens vna numero est susceptiua contrariorum; hæc passio est conuertibilis cum prima substantia.

Obijc. primo, Substantiæ nihil est contrarium, ergò non suscipit contraria.

Resp. Disting. consequens; non suscipit contraria sibi, concedo; inter se, nego; nam suscipit, v.g. frigiditatem, & caliditatem, quę inter se sunt contraria.

Dices, Angelus est substantia Prędicamentalis, sed non suscipit contraria, quia est spiritualis, ergò &c.

Resp. Negando minorem; nam Angeli suscipiunt amorem, & odium, quę sunt qualitates contrarię, licèt non suscipiant qualitates materiales, cùm sint spirituales.

Obijc. secundo, Quantitas suscipit contraria, nam superficies suscipit albedinem, & nigredinem, ergò hæc proprietas non est conuertibilis cum prima substantia. Item Quantitas in Sanctissimo Sacramento Altaris modò est calida, modò frigida, sed ibi non est substantia panis, vt fides docet, ergò &c.

Resp. Disting. maiorem, quantitas suscipit contraria; vt subiectum Quo, concedo; vt subiectum Quod, nego; nam talis proprietas intelligitur de illo, quod est susceptiuum contrariorum, vt subiectum Quod, & sic sola substantia est susceptiua contrariorum, vt Quod. Ad confirmationem per idem respondetur, nam Quantitas in tali casu esset frigida, & calida, vt Quo, ideò &c.

Obijc. tertio, Oratio suscipit contraria, nam potest esse vera, vel falsa, ista Oratio (Petrus currit) Petro currente est vera; ipso non currente, est falsa, ergò &c.

Resp. Disting. antecedens; Oratio suscipit contraria cum mutatione sui, nego; cum mutatione rei significatæ, concedo; nam substantia suscipit contraria cum mutatione sui; vt homo modò est calidus, modò frigidus.

DISPVTATIO TERTIA

DE QVANTITATE.

QVAERITVR *primo*, Quare post substantiã Aristoteles priùs agit de Quantitate?

Resp. Quia quantitas immediatiùs inest substantiæ, quàm alia accidentia; priùs enim est quanta, quàm qualis; loquimur de ordine naturæ, non dignitatis.

Quæritur secundo, Quot diuisiones assignat Aristoteles de Quantitate?

Resp. Tres, prima, Quantitatis aliud continuum, aliud discretum; quantitas continua est illa, cuius partes copulantur termino communi, qui est principium vnius, & finis alterius, vt partes lineæ puncto medio, partes superficiei lineis, partes corporis superficiei. Quantitas Discreta est illa, cuius partes non copulantur termino communi, vt partes numeri binarij non copulantur ad inuicem per aliquod medium. Deinde Aristoteles subdiuidit Quantitatem continuam in quinque species, scilicet in lineam, superficiem, corpus, tempus, & locum; subdiuidit Quantitatem discretam in duas species, scilicet numerum, & Orationem.

Secunda diuisio Quantitatis, aliud constat ex partibus habentibus positionem, vt linea, superficies, corpus, & locus; aliud constat ex partibus nõ habentibus positionem, vt numerus, & Oratio; Quantitatem habere partes habẽtes positionẽ ad inuicẽ nihil aliud est, nisi quod vna pars sit velut locus alterius, & vna sit in alio tamquàm in loco, vt digitus in manu, manus in brachio; non habere positionem ad inuicem est totum oppositum, scilicet, quod vna non sit in alia tamquàm in loco; Vnde ad hoc vt partes habeant positionem ad inuicem duo requiruntur, primum quod sint in subiecto continuo; secundum quod sint in subiecto continuo permanente; per has conditiones istæ quantitates tantùm habent positionem ad inuicem, scilicet, linea, superficies, corpus, & locus; defectu harum conditionum hæ quantitates non habent positionem, scilicet tempus, numerus, & oratio.

Tertia diuisio, Quantitas alia per se, alia per accidens; per se est, quæ per se habet partes extrà partes, scilicet extensionem in ordine ad se, vt continua, & discreta; per accidens est,

est, quæ accipit huiusmodi extensionem à quantitate, vt album dicitur quantum per accidens; quia habet extensionem à Quantitate. Actio dicitur quodammodò quantitas, quatenùs dicitur longa & breuis.

Not. quod Aristoteles non notificat hìc Quantitatem definitiuè, quia accidentia definiuntur in ordine ad id, quod denominant, & quia quantitas secundùm vsum non habet vnum denominatiuum, sed duo scilicet Quantum, & Quotum, sequitur quod meritò non notificauit ipsam definitiuè in hoc capite, ideo &c.

Quæritur, Quænam est propria ratio formalis Quantitatis?

Resp. Esse extensum in ordine ad se, idest habere partes extrà partes; ita Scotus 5. Metaph. quæst. 9. & in quarto dist. 10. q. 1. R. contrà nonnullos. Probatur ex Philosopho definiente in hoc capite Quantitatem continuam, & discretam per habere partes scilicet copulatas, & non copulatas termino communi, ergo &c. habere partes stat dupliciter, vel in ordine ad se, vel in ordine ad locum; primum solùm denotat vnam partem non esse aliam; secundum vero denotat, vnam partem occupare diuersum locum ab alia, & facit distare latera corporis continentis.

Dices, Ex Aristotele 5. Metaph. text. 13. quantitas definitur per diuisibilitatem sic dicendo, quantum est, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, ergo &c.

Resp. Distinguendo antecedens, definitur per diuisibilitatē tamquàm per essentialia, nego; tamquam per accidentalia, concedò; nam &c. Si dicas; quarè Aristoteles non definiuit quantitatem quidditatiuè; respondetur, quod ibi Philosophus non intendebat exprimere quidditates Prædicamentorum, sed tantùm ordinare eorum classes.

Dices, Substantia sine quantitate habet partes extra partes ergò nō est ratio formalis quātitatis. Consequentia sequitur; Antecedens patet, nàm si Deus separaret Quantitatem Petri ab eius substantia, tunc ipsa esset extensa hoc modo ex Scoto, ergo &c.

Resp. Disting. antecedens, substantia sine Quantitate habet partes entitatiuas, concedo; quantitatiuas, nego; nam substantia (ablata quantitate) habet partes entitatiuas intèr se distinctas, vt Petrus haberet manus distinctas à brachijs, brachia distincta à corpore; de hac quęstione fusiùs videbitur (Deo dante) in Physicis.

QVAESTIO I.

An Quantitas sit Genus supremum, & Vnum?

CONclusio affirmatiua. Et Scoti q. 16. & 17. Probatur primò quod sit genus; nam quantitas prædicatur de quantitate continua, & discreta tamquam de differentibus speciei, ergò habet rationem generis. Consequentia sequitur; Antecedens patet, nam si quæratur de vtraq; quid sit? respondetur rectè, est quantitas, ergo &c.

Secundò, quod sit Genus supremum;

ſtum; nam Genus ſupremum eſt illud, ſuprà quod non datur aliud ſupraueniens Genus, ſed ſuprà quantitatem non datur Genus; quia ſuprà illam non datur niſi ens, quod non eſt genus, vt pluries dictum eſt, ergo &c.

Tertiò, quod ſit vnum Genus, nam illud dicitur vnum genus, quod ſecundùm vnam rationem dicitur de ſpeciebus, ſed quantitas dicitur de continua, & diſcreta ſecundùm vnam rationem, ergo &c. Minor patet; nam ratio quantitatis eſt habere partes extra partes, ſed continuum, & diſcretum æqualiter participant hanc rationem, ergo &c.

Obijc. primò, Contrà primam partem, nullum Genus prædicatur denominatiuè de ſuis ſpeciebus, ſed Quantitas prædicatur denominatiuè de continuo, & diſcreto, ergo non habet ſpecies, & conſequenter non eſt genus. Maior patet; Minor probatur, nam hæc eſt vera, continuum eſt quantum, linea eſt quanta, ergò denominatiuè prædicatur.

Reſp. Diſting. maiorem, nullum Genus alicuius quantitatis, concedo; Genus quantitatis, nego; nam quantitas non ſolùm eſt principium diuiſionis, & menſuræ aliorum, ſed etiam ſibi, & ideò ſicut habet denominare alia, v.g. ſubſtantiam, ità etiam ſeipſam; & ſicut ſubſtantia dicitur quanta, ſic etiam linea dicitur quanta. Vel ſecundò, quod ſi v.g. ſumatur linea in abſtracto, tunc quantitas prædicatur de ſeipſa in quid ſic dicendo, linea eſt quantitas; ſi verò ſumatur in concreto, tunc quantitas in concreto poteſt prædicari de linea in concreto, vt dicendo, linea eſt quanta, & hoc nullum eſt inconueniens, nam non eſt mirum concretum generis prædicari de concreto ſpeciei, & linea in caſu non haberet rationem ſpeciei, ſed ſubiecti.

Obijc. ſecundò, Genus æqualiter dicitur de ſpeciebus, ſed quantitas nõ eſt huiuſmodi, quia continuum prius habet rationem quantitatis, quàm diſcretum, nam ex 3. Phyſicor. diſcretum cauſatur ex diuiſione continui, vt patet de numero, ergo &c.

Reſpon. Negando minorem. Ad probat. dicimus, quod ſpecies licèt inter ſe comparatæ vna ſit prior altera, non verò in participando rationẽ ſui generis, vt eſt in caſu; nam quantitas dicitur æqualiter de continuo, & diſcreto, licèt cõtinuũ ſit prius diſcreto.

Obijcitur tertiò contrà ſecundam partem, Vnius generis eſt tantùm vna prima diuiſio per duas oppoſitas, ſed quantitas diuiditur æquè primò duplici diuiſione, vt dictum eſt, & neutra eſt ſubdiuiſio alterius, ergo &c. maior patet ex primo Topic. cap. 1.

Reſp. Diſting. maiorem, vnius generis eſt tantum vna prima diuiſio formalis, concedo; tamen poſſunt eſſe duæ diuiſiones, vna formalis, & altera materialis, nam corpus diuiſione formali diuiditur in animatum, & inanimatum, diuiditur etiam diuiſione materiali per corruptibile, & incorruptibile, ſic etiam eſt in caſu, ideo &c.

Obijc. quartò, Species vnius generis ſunt oppoſitæ, ità quod vna non præ-

prædicatur de altera, sed aliqua species Quantitatis prædicatur de altera denominatiuè, vt numerus de linea, dicendo, linea est numerata; ergò quantitas non est vnum Genus, sed duo, scilicet continuum & discretum.

Resp. Negando minorem; cum dicitur, quod numerus prædicatur de linea denominatiuè distinguendo, prædicatur de linea in abstracto, & vt est species quantitatis, nego; in concreto, & vt habet rationem subiecti, concedo; nam sic prædicando nullum est inconueniens.

QVAESTIO II.

An linea, superficies, & corpus sint species quantitatis continuæ, & inter se distinctæ.

Linea est longitudo sine latitudine, & profunditate, cuius extrema sunt duo puncta, & licèt linea non sit sine latitudine, tamen ipsa latitudo non est de ratione lineæ; Insuper linea componitur ex lineis tamquàm ex partibus, ex punctis verò tamquàm ex terminis; Vndè puncta non sunt sibi inuicem proxima, sed inter quæcumque puncta mediat linea, & si mille puncta simul essent, non facerent aliquod maius, vel minus, nam indiuisibile additum indiuisibili non facit maius. Superficies est latitudo cum longitudine sine profunditate, cuius extrema sunt duæ lineæ, de quâ ità philosophandū est, sicut diximus de lineis; & sicut in linea sunt puncta continuantia, & terminantia, ità in superficie sunt lineæ continuantes, & terminantes, & quamuis superficies interdùm sit profunda, tamen profunditas non est de ratione formali superficiei. Corpus est profunditas cum longitudine, & latitudine, cuius extrema sunt duæ superficies. Ex his sequitur, quod linea est diuisibilis secundùm longitudinem, & indiuisibilis secundum latitudinem; superficies est diuisibilis secundùm longitudinem, & latitudinē, & indiuisibilis secundùm profunditatem, corpus verò est diuisibile secundùm omnes tres dimentiones, pro qua sit

Conclusio affirmatiua. Est Scoti, & Aristotelis in textu; Probatur primò, quod sint quantitates, nam quantitas est quæ habet partes extrà partes in ordine ad se, sed linea est huiusmodi, nam partes lineæ sunt lineæ, & vna est extrà aliam, sic dicendum de superficie, & corpore, ergò &c.

Secundò, quod sint continuæ, nam quantitas continua est, cuius partes copulantur termino communi, sed partes lineæ copulantur puncto, partes superficiei lineæ, & partes corporis superficiei, ergò &c.

Tertiò, quod sint species distinctæ; nam alia est ratio formalis lineæ, quæ est longitudo, alia superficiei, quæ est latitudo, & alia corporis, quæ est profunditas, ergò &c. Item partes lineæ terminantur puncto, partes superficiei lineæ, & partes corporis

ris superficiei, ergò sunt species distinctæ.

Obiic. primo. Entia incompleta non ponuntur in aliquo Prædicamento, vt species, sed linea, & superficies sunt entia incompleta, ergò non sunt species Quantitatis. Minor patet, nam ens incompletum est illud, quod ingreditur in compositionem alicuius entis per se, sed linea, superficies concurrunt ad constituendum vnum per se, scilicet corpus, ergò &c.

Resp. Disting. minorem, sunt entia incompleta ratione suarum dimentionum, nego; quatenùs sunt termini, concedo; nam linea terminat superficiem, superficies corpus; sic possunt dici entia incompleta; quatenùs verò habent proprias dimentiones, vt linea longitudinem, superficies latitudinem; sic sunt species Quãtitatis, & entia completa.

Obiic. secundo, Linea est indiuisibilis secundùm latitudinem, superficies secundùm profunditatem, ergò non sunt quantitates continuæ, cuius prima passio est diuisibilitas.

Resp. Quod linea quatenùs est indiuisibilis non pertinet ad quantitatem per se, sed tantùm reductiuè, quatenùs terminat partes superficiei; est tamen species Quantitatis, quatenùs est diuisibilis, scilicet secundùm longitudinem; Idem dicendum de superficie.

Obiic. tertio, Species non se includunt ad inuicem, sed linea, & superficies ad inuicem se includunt, ergò non sunt species distinctę.

Resp. Disting. minorem, materialiter, concedo; formaliter, nego; nam formaliter sunt ad inuicem distinctæ, quia ratio formalis vnius non est ratio formalis alterius.

QVAESTIO III.

An tempus sit species Quantitatis continuæ?

QVantitas continua diuiditur in permanentem, & successiuã; quantitas permanens est illa, quæ habet omnes suas partes simul, vt linea, superficies, corpus, & locus; quantitas successiua est, cuius partes non non sunt simul, sed vna succedit post aliam, vt tempus; pro qua sit.

Conclusio affirmatiua. Est Scoti quæst. 20. & 5. Meth. quæst. 10. Probatur primò, quod sit quantitas, nam tempus habet partes quantitatiuas extrà partes, vt præteritum, & futurum; & vnum est extrà aliud, ergo &c.

Secundò quod sit continuum, nam partes temporis copulantur termino communi, scilicet instanti, nempè tempore præsenti, ergò &c.

Tertiò, quod sit distincta quantitas, nam partes temporis tantùm terminantur ad instans, alię species Quãtitatis habent diuersos terminos, vt patet, ergò &c.

Obiic. primo, Quantitas continua est diuisibilis in ea, quæ sibi insunt, sed partes temporis non sunt, quia vel fuerunt, vel erunt, ergò &c.

Resp. Disting. maiorem. Quantitas continua permanens est diuisibilis &c.

con-

concedo; successiua, nego; nam tempus est quantitas continua successiua, ideò &c. Vel secundò disting. minorem, partes temporis non sunt actu actualitate præsentialitatis, concedo; continuationis, & copulationis, nego; nam partes temporis copulantur ad aliquod, quod actu est, & hoc sufficit ad quantitatem continuam successiuam.

Obijc. secundo, Tempus est numerus motus secundùm priùs, & posterius ex 4. Phys. ergò non est quantitas continua, sed discreta. Consequentia sequitur, quia numerus est quantitas discreta.

Resp. Antecedens sic glosari, tempus est numerus motus, idest est mensura motus, & quia ratio mensuræ non repugnat quantitati continuæ, ideò dicimus cum Philosopho, ipsum esse quantitatem continuam, cùm habeat omnia requisita ad ipsam.

Obijc. tertio, Tempus est quantitas per accidens ex 5. Meth. t. 18. ergò non est species quantitatis, quia genus non prædicatur per accidens de suis speciebus.

Resp. Disting. antecedens, tempus est quantitas per accidens effectiuè, concedo; formaliter; nego; nam tempus formaliter habet partes extrà partes, & sic dicitur per se quantitas continua; dicitur quantitas per accidens, quatenùs habet esse effectiuè ab alio, scilicet à motu.

Obijc. quarto, Tempus est quantum per accidens, scilicet per motum ex 5. Meth. tex. 18. ergò non est per se species Quantitatis.

Resp. Negando consequentiam, nam ly per accidens idem est, ac per aliud, quod non tollit quidditatem alicuius; vt motus est quantus per magnitudinem; & tamen est verè quantus.

QVAESTIO IV.

An Locus sit Quantitas continua?

Locus pro materiali dicit superficiem, pro formali verò dicit continentiam, quatenùs continet corpus; quæstio intelligitur de loco pro materiali, quia pro formali dicit respectum, pro quo sit.

Conclusio affirmatiua, loquendo de loco pro materiali, sed non est species distincta à superficie, & qualis in hoc capite Philosophus enumeret ipsum inter species Quantitatis Continuæ, tamen id facit ad mentem aliorum, quia 5. Meth. t. 15. oppositum habet. Quod sit quātitas patet eadem ratione, qua superficies est Quantitas; Quod non sit distincta à superficie probatur; nam locus pro materiali nihil habet spectans ad rationem Quantitatis, per quod essentialiter distinguatur à superficie, ergò non est quantitas distincta à superficie; Antecedens patet, nam habet longitudinem, & latitudinem, sicut superficies, ergò &c.

Dices, Locus pro materiali habet duo, quæ non sunt de ratione superficiei, primum quod ambiat rem locatam; secundum, quod sit eius mensura extrinseca, scilicet nō affixa.

Dd nec

nec inhærens rei locatæ; sed

Contrà, ista duo, scilicet quod ambiat rem locatam, & quod sit eius mensura extrinseca sunt accidentalia ad rationem Quantitatis, ergò per hoc non distinguitur essentialiter locus à superficie, sed tantum accidentaliter; Antecedens patet, nam quod aliqua Quantitas ambiat aliam non est ei essentiale, sed tantùm proprietas præsupponens ipsam Quantitatem; secundum, scilicet, quod locus sit mensura extrinseca, superficies intrinseca est etiam ei accidentale, quia ratio mensuræ, quomodocumque sit, est accidentalis; Item non constituuntur duæ lineæ essentialiter distinctæ per hoc, quod vna sit mensura extrinseca, altera intrinseca, vt linea quæ existit, v. g. in ipso corpore Petri dicitur mensura intrinseca, & linea existens in eo loco, in quo Petrus circumscribitur, est ipsius mensura extrinseca, ergò nec locus, & superficies essentialiter distinguuntur ex eo quod illa sit mensura extrinseca, hæc verò intrinseca, & consequenter nec constituuntur duæ species Quantitatis essentialiter distinctæ, secundò patet ex 5. Meth. tex. 13. vbi Philosophus non numerat locum inter species Quantitatis continuæ, ergò &c.

Obijc. primo, Aristoteles in hoc capite enumerat locum inter species Quantitatis Continuæ, ergò &c.

Resp. Disting. antecedens, quoad mentem aliorum, concedo; quoad mentem propriam, nego, &c.

Obijc. secundo, Æquale, & inæquale dici est proprium Quantitatis, sed hæc passio conuenit loco, ergò &c. Similiter ratio mensuræ, & diuisibilitatis, ergò locus verè est quantitas distincta à superficie.

Respondetur disting. min. ratione sui, negò; ratione fundamenti, concedo; Vel, talis passio conuenit loco pro materiali, concedo; pro formali, nego; nam locus pro materiali est idem, ac superficies.

Dices, Locus pro materiali habet trinam dimentionem, ergò non est superficies. Consequentia sequitur, quia superficies habet duas dimentiones. Antecedens patet, quia locus est æqualis locato, sed locatum habet tres dimentiones, ergò &c.

Resp. Negando antecedens; Ad probat. disting. maio. locus est æqualis locato quoad continentiam, concedo; quoad dimentiones, nego; nam locus dicitur æqualis locato quoad continentiam, quia qualibet pars corporis correspondet parti loci, non verò quoad dimentiones, vt patet.

Notandum, quod Antiqui loquendo de loco dicebant, ipsum esse spatium, in quo recipiuntur corpora, dimentionatum tribus dimentionibus, quàm opinionem reprobauit Philosophus 4. Phys. & ibi habet, quod locus sit vltima superficies corporis continentis, vt locus Petri dicitur vltima superficies aeris, quæ ipsum Petrum circundat.

De

De Quantitate diſcreta.

QVAESTIO V.

An numerus ſit ſpecies Quantitatis diſcretæ?

QVantitas Diſcreta habet duas ſpecies ſubalternas, ſcilicet, Numerum, & Orationem; numerus eſt collectio multarum vnitatum, ſeu eſt multitudo aggregata ex vnitatibus; Vnitas autem eſt entitas in ſe indiuiſa, & diuiſa à quocumque alio, accipiendo tamen ipſam vnitatem formaliter, nam materialiter poteſt eſſe diuiſibilis, ſed tunc non diuiditur, vt vnitas, ſed vt quantitas continua, vt vnus homo prout vnus eſt indiuiſibilis in plures homines, tamen eſt diuiſibilis in ſuas partes, & tunc diuiditur, vt quoddam continuum, & materialiter; Species ſpecialiſſimæ ipſius numeri ſunt omnes numeri particulares, vt ternarius, quinarius, denarius &c. & omnes componuntur ex vnitatibus, tamen ipſa vnitas non eſt numerus, ſed pars, & principium numeri. Triplex eſt numerus, ſcilicet, numerus numerans, vt anima, vel intellectus; ſecundus numerus numeratus, vt res numeratæ, ſcilicet quatuor homines; tertius numerus formalis, qui eſt multitudo aggregata ex vnitatibus, vt binarius, ternarius &c. de quo loquimur in præſenti, qui eſt duplex, ſcilicet Prædicamentalis, & tranſcendentalis; numerus Prædicamentalis eſt ille, qui fundatur ſuprà res quantitas actualiter diuiſas, vt numerus denarius fundatus ſuper decē homines, vel decem lineas, ſuperficies &c. nam decem homines pro connotato ſunt in Prædicamento ſubſtantiæ; decem lineæ in Quantitate continua; ſed ille numerus denarius ab illis abſtractus eſt ſub Quantitate Diſcreta; numerus tranſcendentalis eſt ille, qui poteſt reperiri in omnibus Prædicamentis, vt duæ albedines in Prædicamento Qualitatis; duæ ſubſtantiæ in Prædicamento ſubſtantiæ, quia eſt idem realiter cum illo, cuius eſt numerus, vt vnitas albedinis eſt idem cum ipſa; & etiam reperitur in illis non habentibus Quantitatem, vt duo Angeli, duæ Animæ. His poſitis ſit

Concluſio: Numerus eſt vna ſpecies realis per ſe Quantitatis diſcretæ, & realiter à rebus numeratis diſtinctus. Eſt Ariſtotelis in hoc c. Scoti, & ferè communis, contrà Occham, & quamplures recentiores negantes, numerum eſſe veram ſpeciem Quantitatis diſcretę. Probatur primò, quod ſit quantitas, nam de ratione Quantitatis eſt habere partes, extrà partes, ſed numerus eſt huiuſmodi, nam habet vnitates, vt partes ex quibus componitur, & in quas eſt diuiſibilis, ergò eſt quantitas.

Secundo, quod ſit diſcreta; nam illæ vnitates, ex quibus conſtat numerus, non copulantur alicui termino communi, ergò &c. Tertiò quod ſit ſpecies per ſe realis Quantitatis, nam Arithmetica, quæ eſt ſcientia realis, & nulli ſubalternata, conſiderat per ſe numerum, ergò numerus

est realis. Consequentia sequitur, quia à realitate obiecti dicitur scientia realis.

Quartò, quod à rebus numeratis realiter distinguatur, nam omne accidens absolutum commune, & limitatum realiter distinguitur à substantia, sed numerus est huiusmodi, vt patet; ergò &c. Item sint tres guttę aquæ separatæ, & vniantur, tunc ille numerus ternarius corrumpitur, & non corrumpitur aqua, ergò signum est, quod distinguebatur realiter ab ipsa.

Obijc. primo, Aggregatum per accidens non est species alicuius generis, sed numerus est huiusmodi, nam fit ex pluribus entibus in actu, scilicet, ex pluribus vnitatibus, vt ex tribus hominibus, ex tribus lapidibus, quæ sunt entia in actu, ex quibus non fit vnum per se, ergò &c. Item numerus dicit plures Vnitates per modum plurium, ergò &c.

Resp. Negando minorem. Ad probat. disting. antecedens, ex entibus in actu non subordinatis, & non habentibus rationem materiæ, & formæ non fit vnum per se, concedo; subordinatis, & habentibus rationem materiæ, & formæ, nego; nam illæ vnitates dicunt aptitudinē realem ad inuicem, vt vna possit esse materia, vel forma alterius, & ex sua natura æqualiter ad inuicem mutuò vnibiles, & sic in re natæ sunt efficere numerum, sed vltima, quæ aduenit, complet, vt si tribus vnitatibus adueniat altera facit numerum quaternarium, licèt actualiter ordinentur ab intellectu numerante, & hoc modo numerus formalis dicitur ens per se.

Not. Quod partes numeri sunt vnitates, quarum vna habet rationem materiæ, altera formæ, vt in numero ternario sunt tres vnitates, quarum vltima si comparetur ad secundam habet rationem formæ, & secunda rationem materiæ; secunda comparata ad primam habet rationem formæ, & prima rationem materiæ; sicut forma corporeitatis in ordine ad materiam primam habet rationem formæ, in ordine verò ad animam, quæ est actus vltimus, habet rationem materiæ.

Dices, Quarè in numero ternario, v.g. vltima vnitas dat specificationem numero, & non secunda, & quarè non æquè habent rationem formæ?

Resp. Quod intellectus actu numerans ponit vnam vnitatem post aliam, ex qua actuali positione in vna vnitate resultat ratio materiæ, & in alia ratio formæ, quia vnitates de se possunt esse determinatiuę, & determinabiles, illa, quæ ponitur prior, est determinabilis, & quæ ponitur posterior est determinatiua prioris: quam distinctionem actus, & potentiæ, seù formæ, & materiæ, si in multis vna pars est potentia, altera est actus, vt in homine animal est potentia, rationale est actus; non tamen in omnibus, quia in toto integrali partes omnes sunt æquè, & mutuò in actu, & in potentia simul, non enim magis vna, quàm altera pars est ad alteram in potentia, vltima tamen aduenіens videtur habere rationem actus.

Idem dicendum de numero. Ad Con-

Confirmationem, quandò dicitur, quod numerus dicit plures vnitates, dicimus, quod dicit plura continua in se, vt plures homines, tamen dicit vnum Discretum, vndè benè infertur, numerum non esse quantitatem continuam, sed discretam.

Obijc. secundo, Quod fit per intellectum, non est species entis realis, sed numerus fit per intellectum, vt patet, nam re vera non existunt nisi diuersæ vnitates, quæ ab intellectu simul conceptæ dicuntur decem, vel nouem, ergò &c.

Resp. Disting. min. numerus fit per intellectum quoad actualem numerationem, concedo; quoad potentialem, nego; nam à parte rei sunt tales vnitates, vt decem lineæ sunt in re nullo intellectu cogitante, tamen quod actualiter numerentur fit per intellectum.

Notandum, quod numerus formalis quoad actualem numerationem necessariò dependet ab intellectu, quia numerus potest fundari in vnitatibus quantumcumque separatis, & distantibus, sed impossibile est, quod vnum accidens reale fundetur in talibus fundamentis, quia vnitas accidentis sumitur ab vnitate subiecti, ergò &c. maio. patet, nam suprà tres lapides omninò distinctos potest intellectus fundare numerum ternariũ. Item intellectus disponit vnitates vnã post aliam, quia illæ vnitates æquè se habent, ergò ad hoc, vt vna sit prior altera, necesse est, vt ordinentur ab intellectu.

Obijc. tertio, Ens per se aut est omninò simplex, vt Deus, aut compositum aliqua compositione, cuius partes inter se vniantur, sed numerus non est ens per se primo modo, vt patet; nec secundo, quia vnitates à parte rei non sunt coniunctæ, ergò &c.

Resp. Negando minorem, quoad secundam partem. Ad probationem dicimus, quod ad hoc, vt illæ vnitates vniantur per se, sufficit illa aptitudo, quam vna vnitas dicit ad aliam ad posse numerari, & vnam habere rationem materiæ, & aliam rationem formæ, vt dictum est.

Dices, Vnitates sunt eiusdem rationis, ergò non potest esse distinctio inter tres, & quatuor vnitates.

Resp. Negando consequentiam; nam licèt dictæ vnitates sint eiusdem rationis, tamen alia est discretio secundùm tres vnitates, alia secundùm quatuor; numerus enim ternarius habet discretionem, seù diuisibilitatem in tres vnitates, quaternarius in quatuor.

Obijc. quartò, Vnumquodque accidens determinat sibi vnum subiectum, aliter non potest esse, sed numerus non est sic, nam determinat quotquot sunt eius vnitates, ergò &c.

Resp. Negando maiorem; nam si talis propositio est vera in aliquibus, non tamen in omnibus, vt patet in relationibus, & numeris.

QVÆ-

QVAESTIO VI.

An Oratio sit Species Quantitatis discreta distincta à numero?

ORatio triplex est, scilicet vocalis, mentalis, & scripta, hic loquimur de Oratione vocali, & consistit in illa extensione vocis, in quantùm vna vox plus dilatatur quàm altera, vt ista syllaba (Plebs) plùs extenditur quàm ista (Do) fundatur suprà syllabas longas, & breues, & istæ syllabæ sunt inter se discretæ, & indiuisibiles in ratione syllabæ, includunt tamen essentialiter longum & breue, pro qua sit.

Conclusio. Oratio vocalis est species Quantitatis discretę à numero distincta; Est Aristotelis in tex. Scoti quæst. 19. contrà Occham, & quamplures alios recentiores. Probatur primò quod sit Quantitas; nam Oratio constat ex syllabis, quæ mensurantur breui & longa, ergò eius est aliqua mensura per se, sed non potest esse alia, nisi quantitas, ergò Oratio constans ex syllabis habet propriam Quantitatem.

Secundò, quòd sit decreta, nam partes Orationis ad nullum terminũ communem copulantur, quià syllabæ, quæ sunt partes Orationis, sunt inter se diuisæ, ergò &c. Neque dicas, quod actus proferentis huiusmodi syllabas continuat eas, quià alia morula exigitur in prolatione vnius syllabæ, ac alterius: Neque etiam dicas, quod significatum Orationis continuat syllabas, quià hoc est extraneum partibus Orationis.

Tertiò, quod sit distincta à numero; nam Oratio habet differentiam diuersam à numero; numerus enim constat ex vnitatibus, Oratio verò ex syllabis: numerus mensuratur vnitatibus, Oratio verò mensuratur longitudine, aut breuitate; Vndè dicimus numerum ternarium, quaternarium; orationem verò breuem, vel longam.

Obiic. primo, Quod est per se sensibile spectat ad qualitatem, sed Oratio vocalis est per se sensibilis, quia est Qualitas per se ab auditu perceptibilis ex 2. de Anima, ergo Oratio vocalis potiùs ad Qualitatem, quàm ad Quantitatem pertinet.

Resp. Distinguendo maiorem, Oratio vocalis est per se sensibilis vt sonus, concedo; vt dicit extensionem, nego; nã in Oratione vocali sunt duo, scilicet sonus, & extensio in prolatione syllabarum maior, vel minor; primo modo spectat ad Qualitatem; secundo modo, quatenùs mensuratur syllaba longa vel breui, spectat ad Quantitatem, ideo &c.

Obijcitur secundo, Breue, & longum pertinent ad Quantitatem continuam, sed Oratio mensuratur syllaba longa & breui, ergò est quantitas continua.

Resp. Quod breue & longum æquiuocè conueniunt continuo & discreto, continuo propriè, quia longitudo est dimentio quantitatis continuæ; discreto impropriè, seu transsum-

ſumptiuè, quatenus ſyllaba, ſi dicit maiorem extenſionem in prolatione, ſic eſt longa; ſi minorem, ſic eſt breuis.

Quæritur, Quot ſunt Proprietates Quantitatis?

Reſp. Tres, quarum prima, Quantati nihil eſt contrarium; ſecunda, Quantitas nó ſuſcipit magis & minus; tertia, Maximè proprium eſt Quantitati ſecundùm eam æquale, vel inæquale dici.

QVAESTIO VII.

An iſta Proprietates ſint rectè aſſignatæ?

PRima concluſio. Prima proprietas eſt recta, in qua dicitur, Quantitati nihil eſt cótrarium; Patet, nam linea non opponitur ſuperficiei, & è contrà, nec corpus opponitur lineæ, ergò Quantitas non habet contrarium; ſumitur contrarietas propriè, non impropriè, vt dictum eſt in cap. de ſubſtantia; iſta Proprietas nó eſt in quarto modo, quià etiam conuenit ſubſtantiæ.

Obijc. primo, Paruum, & magnum, multum, & paucum ſpectant ad Quãtitatem, ſed ſunt contraria, ergò quantitati ineſt contrarietas; Minor eſt Ariſtotelis ergo &c.

Reſp. Quod paruum, & magnum relatiuè non ſpectant ad Quantitatẽ, ſed tantùm ſi ſumantur abſolutè, & pro fundamentis, & hoc modo aliquod non dicitur nec magnum, nec paruum. Vel ſecundò diſting. minorem, ſunt contraria contrarietate relatiua, concedo; propria, nego; &c.

Obijc. ſecundo, Omnis motus eſt à contrario in contrarium, ſed in genere Quantitatis eſt motus propriè dictus, ergo &c. Maior eſt Ariſtotelis 5. Phyſic.

Reſp. Diſting. maiorem, omnis motus eſt à contrario in contrarium contrarietate ſpectante ad motum, concedo, contrarietate propria, ſcilicet pro repugnantia duarum formarum, nego; nam in motu eſt contrarietas, quæ eſt inter terminum à quo, & ad quem; & ſic in quantitate eſt talis contrarietas, quatenùs partes eius ſunt paulatim acquiſibiles, quarum vna eſt terminus à quo, altera terminus ad quem.

Obijc. tertio, Species habent proprias differentias, ſed differentiæ ſunt contrariæ, ergo &c.

Reſp. Diſtinguendo minorem, impropriè, concedo; propriè, nego, nam &c.

Obijc. quartò, Superficies candida & nigra opponuntur contrariè propriè, ſed iſtæ ſunt quantitates, ergo &c.

Reſp. Diſting. maiorem, per accidens ratione qualitatum, concedo; per ſe prout ſunt quantitates, nego, nam &c.

Secunda concluſio: Secunda proprietas eſt recta, in qua dicitur, Quãtitas, non ſuſcipit magis & minus. Patet, nam ſuſcipere magis, & minus eſt ſuſcipere maiorem vel minorem intentionem in eodem ſubiecto abſq; variatione ſitus, vt ſi in eodem lapide ab-

absque extensione magis, vel minus augeatur albedo; sed hæc susceptio in Quantitate non potest dari sine hac extensione, vt patet, ergo &c. Item vna linea quantumcumque extensa non est magis Quantitas, quàm altera, ergo &c. nec etiam ista proprietas est in quarto modo, quià etiam conuenit substantiæ.

Obijc. primo, Vna quantitas dicitur magis æqualis alteri, ergò quantitas suscipit magis & minus.

Resp. Distinguendo antecedens, secundum maiorem extensionem, concedo; secundùm intensionem, nego &c.

Obijcitur secundo, Vbi est magnum, & paruum, ibi est magis & minus, sed in Quantitate est magnum, & paruum, ergo &c.

Resp. Negando maiorem, nam aliud est magnum, & paruũ, & aliud magis, & minus, primum dicit excessum in Quantitate, quatenus vna quantitas est maior altera; secundum dicit excessum in Qualitate, quatenùs vna qualitas est intensior altera.

Dices, Numerus secundùm quatuor vnitates est perfectior numero secundùm tres, ergo &c.

Resp. Distinguendo antecedens; extensiuè, concedo; intensiuè, nego; nam &c.

Tertia conclusio. Tertia proprietas est recta, in qua dicitur, Proprium est Quantitati secundùm eam æquale vel inæquale dici. Patet, nam æqualitas, & inæqualitas dicunt modum mensuræ eumdem, vel diuersum, sed mensura est proprium Quantitatis, ergo &c. Item bicubitum est æquale bicubito, & inæquale tricubito; similiter corpus est æquale vel inæquale alteri, ergo &c. Ista proprietas est in quarto modo.

Obijc. primo, Aequalitas est relatio, per quam vnum æquale refertur ad aliud, ergò non est passio Quantitatis, quia vnum Prædicamentum non est passio alterius.

Resp. Distinguendò antecedens, formaliter, concedo; fundamentaliter, nego; nam æqualitas, & inæqualitas fundamentaliter est passio Quantitatis ab illa inseparabilis; formaliter sunt relationes, sed tales relationes insurgunt ex Quantitate, tamquàm ex proprio fundamento; sicut etiam magnum, & paruum; multum, & paucum.

Obijc. secundo, Duæ substantiæ dicuntur formaliter ęquales, vel inęquales, ergò talis proprietas conuenit alijs à Quantitate.

Resp. Negando consequentiam; nam duæ substantiæ numquam dicũtur æquales, vel inæquales nisi ratione Quantitatis molis, vel virtutis; Vndè si à duabus substantijs separetur quãtitas molis, dicerentur æquales ratione Quantitatis virtutis, & sic distinguo antecedens, ratione substantiæ, nego; ratione Quantitatis, siuè molis, siuè virtutis; concedo &c.

QVAESTIO VIII.

An dentur aliæ passiones quantitatis?

Prima conclusio. Diuisibilitas est verè passio Quantitatis; Proba-

batur, Passio semper sequitur essentiam illius, cuius est passio; sed diuisibilitas est huiusmodi, nam Aristoteles 2. Phys. demonstrat corpus esse diuisibile, ergo &c. essentia Quantitatis est habere partes extra partes, vt suprà &c.

Obijc. primò, Cælum est quantum, sed non est diuisibile, quia esset corruptibile, ergo &c. similiter minima pars aquæ est quanta, sed nõ est diuisibilis, quia si diuideretur euanesceret, ergo &c.

Resp. Negando minorem; Ad probat. dicimus, quod Theologicè loquendo, Cælum est intrinsecè corruptibile, quia habet principium corruptionis scilicet materiam, & formã, & si actu non corrumpitur est, quia non inuenitur agens naturaliter potẽs ipsum corrumpere. Ad aliud de minima parte aquæ dicimus, quod illa minima pars, vt quanta est, sibi non repugnat diuisibilitas, vt quantum naturale non potest diuidi, quia per diuisionem perdit eas qualitates, quę sunt necessariæ ad illius conseruationem.

Obijc. secundo, Punctum est quantum, similiter vnum, sed ista sunt indiuisibilia, ergo &c.

Resp. Distinguendo maiorem, per se, nego; quatenus sunt principium Quantitatis, concedo; nam punctum est principium lineæ, vnum principiũ numeri, & sic dicuntur Quantitates.

Secunda conclusio. Finitas & infinitas sunt passiones Quantitatis, accipiendo finitum, & infinitum disiunctim. Probatur, Quantitas dicit extensionem partium, ergò si illa extensio est terminata, sic quantitas dicitur finita; si non terminata, sic dicitur infinita, ergo finitum, & infinitum disiunctim sunt passiones Quantitates. Item si linea esset infinita adhuc esset longitudo, quæ est eius propria ratio, ergò esset quantitas, & consequenter Quantitas esset finita, & infinita.

Obijc. primo, Linea clauditur terminis, ergo non est infinita, & sic infinitum non est passio Quantitatis.

Resp. Distinguendo antecedens; linea finita, concedo, infinita si daretur, nego, & hoc modo respondetur ad quamplurima argumenta.

Obijc. secundò, Repugnat quantitatem esse infinitam, ergò infinitum non est passio Quantitatis; antecedens patet, quia infinitum non potest dari.

Resp. Quod conclusio intelligitur conditionatè, scilicet si daretur infinitũ, tunc esset passio Quantitatis.

Tertia conclusio; mensurabilitas est passio Quantitatis, siuè actiua siuè passiua. Probatur, mensura actiua est qua mensuramus aliquam rem; sed Quantitate bipalmari possumus mẽsurare quantum palmare, ergò mensura actiua est passio Quātitatis. Mẽsura passiua est rei, quæ potest mensurari, sed quælibet quantitas potest mensurari, cum habeat extensionem, secundùm quam mensurabilis est; ergo &c.

DISPVTATIO QVARTA

DE RELATIONE.

QVAERITVR primo, Quare post caput de Quantitate Aristoteles agit de Relatione?

Resp. Quod Quātitas est fundamentum æqualitatis, & inæqualitatis; magnitudinis & paruitatis, multitudinis & paucitatis, & aliarum multarū relationū, quas omnes erat necesse cognoscere antequā vltrà procederetur, & ideò post Quantitatem statim agit de Relatione; In hoc seruatur ordo naturæ, & doctrinę nō dignitatis; In Metaphysica, vbi seruat ordinem dignitatis, post Quantitatem agit de Qualitate, quià qualitas cùm sit ens absolutum est dignius relatiuo.

Quæritur secundò, Quid facit Aristoteles in hoc capite?

Resp. Primò ponit definitionē relatiuorum secundū mentē antiquorū, & secundùm mentem propriam; secundò ponit proprietates; Relatiua secūdùm mentem antiquorum sic definiuntur; *Ad aliquid talia dicuntur quæcunque hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud*; quę sic debet intelligi, scilicet relatiua sunt illa quæ secundùm esse quod habent ad alia referuntur sub habitudine genitiui casus, vt Pater Filij Pater, Dominus Serui Dominus, vel sub habitudine alterius casus, vt mons dicitur magnus in ordine ad alium mōtem, similis simili similis; relatiua definiuntur in plurali, quia relatio non potest fieri, nisi inter plura. Relatiuum secundum mentem Aristotelis est illud, cuius totū esse est ad aliud, vt totum esse Patris dicitur in ordine ad Filium.

Quæritur tertia, Quot sunt proprietates Relatiuorum?

Resp. Quatuor, prima Relatiuis inest contrarietas; secunda, relatiua suscipiunt magis & minus; tertia, Relatiua dicuntur ad conuertentiam; quarta relatiua sunt simùl natura; quę proprietates exactè infrà explicantur.

Quæritur quarto, Quotuplex est relatio communissimè sumpta?

Resp. Duplex scilicet rationis, & realis; relatio rationis est, cuius extrema non sunt realia, sed fiunt per solam operationem intellectus, vt genus refertur ad speciem, & è contrà; Vel etiam relatio rationis est inter ens reale positiuum, & priuatiuum, vt cæcitas refertur ad visum, tenebræ ad lumen; hæc dicitur relatio rationis, quatenùs alterum extremum non est reale positiuum, non verò quod fiat

per

per intellectum: relatio realis est, quæ habet extrema realia realiter distincta, & talia extrema, vel sunt actu, vt Pater refertur ad Filium, vel potentia, vt generabile ad generatiuum, vel præterita, & futura, vt priùs, & posteriùs.

Quæritur quinto, Quotuplex est relatio realis?

Resp. Duplex, scilicet aptitudinalis, & actualis; relatio aptitudinalis est ordo ad aliquod, ad quod aliquis dicit aptitudinem, & solùm requirit terminum in aptitudine, vt relatio quæ est inter hominem, & risibilitatem; relatio actualis est, cuius extrema sunt actualiter existentia, idest requirit fundamentum, & terminum actualiter existere.

Quæritur sexto, Quotuplex est relatio realis actualis?

Resp. Duplex, scilicet intrinsecùs adueniens, & extrinsecùs adueniens, prima est, quæ necessariò ponitur positis fundamento, & termino etiam in quacumque distantia, vt similitudo inter duo alba, Paternitas, & Filiatio, nam existente Patre Neapoli, & Filio Romæ, statim insurgit relatio Paternitatis; secunda est, quæ non necessariò ponitur positis fundamento, & termino, sed requiritur aliquod extrinsecum, scilicet debita applicatio, vt posito igne, & ligno inter se distantibus non consurgit combustio, seu relatio Actionis.

Quæritur septimo, Quid est relatio transcendentalis, & Prædicamentalis?

Resp. Prima est, quæ non determinatè fundatur supra re vnius Prædicamenti, vt distinctio, vnio, creatio, dependentia &c. quæ fundantur in omnibus Prædicamentis; secunda est illa, quæ determinatè fundatur super re vnius Prædicamenti, vt æqualitas in Quantitate, similitudo in Qualitate.

Quæritur octauo, Quid est relatio æquiparantiæ, & disquiparantiæ?

Resp. Quod relatio æquiparantiæ est, cuius extrema sunt eiusdem rationis in ratione fundandi, vt similitudo, quæ fundatur in duabus qualitatibus; æqualitas in duabus quantitatibus; identitas in duabus substantijs; relatio disquiparantiæ est, cuius extrema sunt diuersæ rationis in ratione fundandi, vt Paternitas fundatur in Patre, Filiatio in Filio, & omnes relationes secundi modi.

Quæritur nono, Quid est relatiuum secundùm esse, & secundùm dici?

Resp. Primum est, quod de principali significato importat relationem, vt Pater, & Filius, nam esse Patris per se est ad Filium; secundum est, quod per se primò importat absolutum, & secundariò relationem, vt scientia primò dicit absolutum, scilicet qualitatem, secundò verò relationem ad scibile.

Quæritur decimo, Quæ relationes reponuntur in Prædicamento?

Resp. Relationes reales, limitatæ, actuales, & intrinsecùs aduenientes, per hoc excluduntur relationes rationis, transcendentes, aptitudinales, & extrinsecùs aduenientes, quæ sunt sex vltima Prædicamenta. Relatiua secundùm dici non sunt in aliquo determinatò Prædicamento, imò potis-

simùm reperiuntur in tribus Prædicamentis absolutis, scilicet in substantia, vt caput dicitur alicuius caput; in Quantitate, vt numerus rei numeratæ numerus; in Qualitate, vt scientia scibilis scientia; patet quod relatiua secundùm dici non ponantur in hoc Prædicamento, quia de principali significato non dicunt relationem, sed absolutum, vt constat &c.

Ex quo sequitur, quod illa diuisio relatiui in secundùm esse, & secundùm dici est æquiuoci in sua æquiuocata, sicut homo pictus, & homo verus, nam homo pictus non est verè homo, ità relatiuum secundùm dici non est verè relatiuum, quia relatiuũ propriè est, quod secundùm suum totum esse est ad aliud, tamquàm ad suum terminum; dicitur ad suum terminum, quia licèt accidens habeat dependentiam ad suum subiectum, non verò tamquam ad suum terminum.

Dices, Relatio secundùm esse fundatur in Substantia, Quantitate, & Qualitate, ergò non dicit vnum Prædicamentum?

Resp. Disting. consequens, fundamentaliter, concedo; formaliter, nego; nam relatio secundùm esse formale habet determinatum Prædicamentum, scilicet Relationis, loquendo de relatione secundùm esse intrinsecùs adueniente.

Notandum, quod relationes secundùm esse extrinsecùs aduenientes constituunt sex vltima Prædicamenta, scilicet Actionem, Passionem, Quando, Vbi, Situm, & Habitum; nam hæc sunt verè relationes, sed ab extrinseco supplentur, vt infrà dicetur, ergò &c.

QVAESTIO I.

An Relatio sit vnum Genus supremum.

Conclusio. Relatio realis actualis intrinsecùs adueniens, & Prædicamentalis est vnum Genus supremum in hoc Prædicamento. Est Scoti quæstione 25. Probatur primò quod sit genus; nam talis relatio prædicatur de relatione æquiparantiæ, & disquiparantiæ, tamquàm de differentibus specie, ergò est Genus; consequentia sequitur &c. secundò quod sit supremum, nam suprà id nullum genus datur, nisi ens, quod non est genus, ergò &c. Tertiò quod sit vnũ, nam genus dicitur vnum, quia secundùm vnam rationem dicitur de suis inferioribus; sed relatio dicitur de talibus speciebus secundùm vnam rationem, quæ est habitudo vnius ad aliud, ergò &c.

Obijc. primò; Enti reali, & enti rationis non est vnum genus Vniuocum, imò est quid transcendens, sed relatio est huiusmodi; nam aliæ relationes sunt reales, vt Paternitas, aliæ rationis, vt secundæ intentiones, ergò relatio non est vnum Genus.

Resp. Negando minorem; Ad probationem dicimus, quod relatio, vt est communis relationi reali, & rationis, non est genus generalissimum in hoc Prædicamento, cum sit quid transcendens, & æquiuocum; Relatio

tio, quæ est genus generalissimum huius prædicamenti, est relatio realis actualis, vt in conclusione.

Obijc. secundò, Aristoteles in hoc capite definiuit relatiua, ergò relatiuum est genus in hoc prædicamento, & non relatio.

Resp. Negando consequentiam; nam licèt in hoc capite definiatur relatiuum, ex hoc non sequitur, quod relatiuum sit genus, quia tunc sequetetur, quod esset duplex genus, nam in eo, in quo ponitur relatiuum; debet etiam poni correlatiuum, & sic essent duo genera; quia non est maior ratio de vno, quàm de altero.

Dices, Quare Aristoteles non definiuit Relationem?

Resp. Quod relatio est minimè entitatis, & non potest per se cognosci, nisi cognoscatur relatiuum, & ideò habita definitione relatiuorum, statim cognoscitur relatio, quæ est habitudo vnius ad alterum.

Obijc. tertio, Quod reperitur in pluribus Prædicamentis non est genus distinctum ab illis, sed relatio sic se habet, nam est in Prædicamento substantiæ, vt idem & diuersum; Quantitatis, vt æquale, & inæquale; Qualitatis, vt simile & dissimile, ergo &c.

Resp. Disting. minorem, relatio est in pluribus Prædicamentis, quatenùs fundatur in illis secundùm existentiam, concedo; quatenùs participat de naturâ ipsorum, negò; nam &c.

QVAESTIO II.

An de facto dentur Relationes reales.

CONclusio affirmatiua. Est Scoti quol. 3. art. 1. contrà Nominales opinantes, omnes relationes non esse reales, sed rationis. Probatur primò, Ens reale limitatum diuiditur in decem Prædicamenta realia; sed inter ista prædicamenta connumeratur relatio, ergò datur relatio realis.

Secundò, à parte rei vnum est magis simile alteri, sed similitudo est relatio, ergo relatio est à parte rei. Item intellectus non potest duo alba appellare similia, nisi in illis à parte rei inueniatur relatio similitudinis, ergò &c.

Tertiò, si non daretur relatio realis tunc causæ secundæ æquè possent agere quandò sunt proximæ, sicut quandò sunt distantes, sed hoc est falsum, ergò &c. Sequela maioris patet, nam approximatio est relatio agentis ad passum, ergò si esset ens rationis tunc non impediret quod Agens non posset agere ità quandò est distans, sicut quandò est approximatum.

Obijc. primo, Omne ens reale adueniens subiecto tribuit illi aliquam perfectionem, & deindè illud realiter mutatur, quia realiter mutari est realiter suscipere aliquod in se de nouo, sed relatio adueniens subiecto non facit hoc, ergò non est realis. maior patet; Minor probatur, nam producta

ducta albedine in aliquo corpore existente Romæ, tunc mutarentur omnia corpora vniuersi, quia reciperent nouas relationes ad illud corpus, scilicet similitudinis, & dissimilitudinis, ergò &c.

Resp. Negando minorem; Ad probationem dicimus, quod nullum est inconueniens, quod ipsa corpora realiter mutentur, mutatione facta per formas relatiuas; cum talis mutatio, & aduentus formarum relatiuarum fiat sine motu, nam ad relationem non est motus ex 5. Phys. c. 2. sed consequitur ex productione fundamentorum, scilicet albedinis & nigredinis residentium in ipsis corporibus.

Obijc. secundò, Omne ens reale habet esse per mutationem, sed ad relationem non datur motus ex 5. Phys. ergò &c.

Resp. Disting. maio. Omne ens reale absolutum, concedo; respectiuum, nego; Vel dicimus, quod ad relationem datur motus ratione suorum fundamentorum, non verò ratione sui.

Obijc. tertio, Quod dependet ab intellectu non est ens reale; sed relationes dependent ab intellectu, ergo &c. minor patet, nam quæuis comparatio dependet ab intellectu, sed relatio est comparatio vnius cum alio, ergò dependet ab intellectu.

Resp. Quicquid sit de maiori, quæ non est omninò vera, nam actio, quæ pendet ab intellectu, est realis; negando minorem. Ad probat. iterum negatur minor, nam aliud est comparatio, & aliud relatio, nam comparatio dicit actionem intellectus comparantis vnum cum alio, sed relatio dicit ordinem, & respectum duorum, antequàm per intellectum inter se comparentur.

Obijc. quarto, Relatio nihil est extrà animam, quia seclusis extremis nihil amplius remanet à parte rei, ergò solum habet esse in actu intellectus comparantis ad inuicem duo extrema.

Resp. Negando antecedens. Ad probat. dicimus, quod non est mirum, si seclusis extremis non manet relatio realis à parte rei, cum ipsa sit habitudo essentialis extremorum, & sic non potest esse, nec intelligi nisi dependenter ab ipsis extremis.

Dices, Tota realitas relationis est realitas extremorum, ergò ex se non est aliqua res. Antecedens patet, quia qualibet relatio dicitur res propter realitatem eius, cui conuenit esse ad aliud.

Resp. Disting. antecedens, relatiuè, concedo; entitatiuè, nego; nam relatio relatiuè sumpta est tantùm realitas extremorum, quatenus est illis ratio referendi, tamen entitatiuè est aliquid in se, licèt non ad se, distinctum ex natura rei ab esse absoluto extremorum.

QVAESTIO III.

In quo consistat essentia relationis.

IN relatione est duplex conceptus, scilicet accidentis, vt abstrahit ab abso-

absoluto, & respectiuo; secundò, vt talis accidentis, scilicet relatiui, primo modo habet esse in subiecto, quia accidentis esse est inesse; secundo modo habet esse in fundamento, in quo fundatur, & ad terminum, ad quem terminatur; Esse, in, vt in fundamento est distinctum ab esse, in, vt in subiecto, vt patet in relationibus diuinis, nam relatio diuina includit esse, in, vt in fundamento, non tamen, vt in subiecto, cum non sit accidens; Vndè in relatione datur duplex ratio essendi propriè, & specificè, scilicet ratio essendi, in, vt in fundamento, & ratio essendi, ad, vt ad terminum; nunc verò in quæstione quæritur, an relatio constituatur propriè, & intrinsecè per illam rationem essendi, in, quam habet ad fundamentum, vel per illam rationem essendi, ad, quam habet ad terminum, vel per vtramque simùl. His positis sit

Conclusio. Relatio constituitur essentialiter per esse, ad, & , in, simul. Est Scoti in quarto d. 12. q. 1. §. *Secunda conclusio probatur &c.* contrà Thomistas sustinentes, relationem constitui per, ad, & , in, sed illud esse, in, conuenire relationi, vt accidens est, illud esse, ad, conuenire relationi, vt relatio. Probatur primò, relatio, vt relatio est habitudo essentialiter inter duo extrema, scilicet inter fundamentum, & terminum, ergo æquè essentialiter petit fundari, & terminari, sed in fundari habet esse, in, in terminari esse, ad, ergo relatio per esse, ad, & esse, in, essentialiter constituitur.

Item non minùs implicat, relationem esse sine fundamento, quàm sine termino, ergo si ratio essendi, ad, est de essentia relationis, vt relatio, etiam ratio essendi, in,

Secundò, ratio essendi, in, veluti in subiecto licet conueniat omnibus accidentibus, & consequenter concurrat veluti ratio generica, & communis ad constitutionem relationis; tamen ratio essendi, in, veluti in fundamento conuenit præcisè relationi, ergò conuenit illi, vt ratio propria, & specifica, non minus quàm esse, ad. Notandum, ratio essendi, in, & ad, non sunt duæ differentiæ, sed vna adæquata constituens genus relationis in suo esse, quia ratio essendi ad aliud est ratio referendi vnum ad aliud, ergò ratio huiusmodi includit etiam rationem essendi, in,

Obijc. primo, Aristoteles definiendo relationem, definit ipsam per esse, ad, & non per esse, in, ergò essentia relationis consistit tantùm in esse, ad,

Resp. Negando consequentiam; nam Aristoteles definiendo relationē per esse, ad, intendebat tantùm explicare id, quod non erat notum apud veteres, idest, quod relatio esset ad aliud, nam quod esset in alio, nemo ignorabat. Vel dicimus, quod Aristoteles semper supposuit tamquàm notum, quod relatio habet esse, in, quia si relatio est ordo ad aliud, certè est ordo alicuius ad illud, ideò ipsam non definiuit per esse, in,

Obijc. secundo, Si habitudo essendi, in, & ad, esset de essentia relationis, sequeretur, quod relatio esset

ens

ens per accidens; quod est falsum, ergo &c. sequela probatur, nam duo non possunt facere vnum per se, nisi vnum sit per se actus, aliud per se potentia, sed istæ duæ habitudines non sic se habent, quià in conclusione loquitur de ratione essendi, in, vt in fundamento, non vt in subiecto, ergo &c.

Resp. Negando sequelam: Ad probat. dicimus, quod argumentum procedit ex falsa imaginatione, nam non dicimus, quod sint duæ habitudines in relatione, vna ad fundamentũ, altera ad terminum, sed ipsamet relatio est vna simplex habitudo fundata in fundamento, & terminata ad terminum.

Obijc. tertio, Ex alijs substinentibus, esse, in, esse passionem relationis; nam quandocumque aliquod cõmune diuiditur per duas differentias, pro quocumque signo vna constituit speciem, etiam & alia constituit speciem, sed ens diuiditur per absolutum & respectiuum, ergò pro eodem signo, pro quo absolutum est ad se, pro eodem respectiuum est ad aliud; sed absolutum prius natura est ad se, quàm insit alteri; ergò respectiuum prius natura erit ad aliud, quàm in alio.

Resp. Distinguendo vltimum consequens, respectiuum prius natura erit ad aliud, quàm in alio vt in subiecto, concedo; vt in fundamento, nego; nam argumentum loquitur de esse, in, vt in subiecto, nos verò loquimur vt in fundamento, & ideò nihil ad rem. Vel dicimus ad minorem subsumptam, nam accipiendo esse in alio radicaliter, sic in accidente absoluto esse in alio præcedit vel natura esse ad se, sicut communiora solent præcedere minùs communia, vel saltem simul natura habebit vtrũque; sic erit dicendum proportionabiliter de esse in alio, & ad aliud in accidente respectiuo.

Quæritur primò, Quo modo esse ad, & in, sumantur in relatione?

Resp. Quod sumuntur vt dicunt simplicem habitudinem, non verò vt etiam includunt extrema ipsius habitudinis; nam relatio dependet tantùm extrinsecè à fundamento, & termino eo modo, quo dicimus potentiam, vel actum pendere ab obiecto, tamen obiectum non est pars constitutiua potentiæ, vel actus; Vndè in relatione esse ad, vel in, partim est intrinsecũ, & partim extrinsecũ; intrinsecũ quatenùs dicit ipsam habitudinẽ expressam per ad, extrinsecum verò, vt dicit terminum illius habitudinis; primum est de intellectu relatiui, secundum de cointellectu, quia ponitur in definitione relatiui vt additamentum; ideò potiùs debet dici, quod relatio constituitur per in, & ad, quàm per esse in alio, & ad aliud.

Dices, illud est de essentia alicuius, sine quo nec esse, nec intelligi potest sed relatio nec esse, nec intelligi potest sine fundamento & termino, ergo &c.

Resp. Negando maiorem; nam accidens non potest esse, nec intelligi sine subiecto, tamen subiectum non est de essentia accidentis, ità dicendũ in casu, nam extrema relationis non intrant in eius definitionem in recto, sed tantùm in obliquo, & veluti addita-

ditamenta, & pertinent ad cointellectum relatiui.

Quaritur secundo, An relatio consistat in actuali referentia, vel potentiali?

Resp. Quod consistit in referentia, seu habitudine actuali. Probatur, nam nulla est excogitabilis potentia, à qua talis actus possit prouenire, ergò actualiter referre est de essentia relationis; Antecedens sic explicatur, nam si in homine distinguimus actū ratiocinandi ab ipsa rationalitate, eò est, quià in homine est aliqua potentia, quę sæpius suspendit actum, nam non semper homo ratiocinatur, sed in nullo instanti potest considerari relatio, quin actualiter referat, imò nec de potentia Dei absolutà potest existere sine extremis, ergò actualiter referre, seù esse actum referentem est de quidditate relationis. Notandū, quod relatio non refertur ad terminum, sed est illa, quæ refert fundamentum ad terminum, ideo &c.

Dices, Solus Deus est actus per essentiam, ergò essentia relationis non est esse actum referentem.

Resp. Distinguendo antecedens, solus Deus est actus per essentiam, vt distinguitur à potentia obiectiua, concedo; vt distinguitur à potentia eliciente, nego; nam actus qui distinguitur à potentia obiectiua dicit existentiam; actus, qui distinguitur à potentia eliciente dicit solùm non esse principium elicitiuum alicuius geri; modò Deus est actus primo modo, relatio vero est actus secundo modo, quatenùs nullam dicit potentiam elicitiuam; Ex quo sequitur, quod actus, qui opponitur potentiæ obiectiuæ, seù actualis existentia non est de quidditate relationis, quia omnia entia creata contingenter existunt, & solus Deus existit per essentiam.

Quaritur tertiò, An relatio sit res, vel modus?

Resp. Ex Scoto in 2.d.1.q.5. lit.D. relationem esse rem; Patet, omne quod cadit sub diuisione entis est res, nam modi non includunt formaliter ens, sed relatio cadit sub diuisione entis, & est formaliter ens, vt patet ex 5. Metaph. tex. 14. ergo &c. Scotus ibi habet, quod relatio potest dici res, & modus, res, quatenùs habet sua prædicata essentialia; modus, quatenùs est imperfecta entitas comparata ad quamcunque entitatem absolutam, & hoc modo etiam qualitates absolutæ possunt dici modi substantiæ, quatenùs sunt imperfectiores ipsa substantia.

QVAESTIO IV.

A quo Relationes Prædicamentales sumant vnitatem, & distinctionem specificam.

IN omnibus relatiuis quinque reperiuntur, scilicet subiectum, fundamentum, extrema, medium, & termini; subiectum est ipsa substantia, quæ est susceptiua omnium accidentium; fundamentum est potentia immediata, ex qua educitur relatio, & in qua fundatur; extrema sunt ipsa correlatiua; mediū est relatio, seù ratio

Ff re-

referendi; termini sunt fundamenta ipsa sub alia ratione, vt fundamentum vnius sit terminus ratione alterius, & è contrà, quod in exemplis patebit, nam accipiamus hæc duo correlatiua, scilicet Pater, & Filius; subiectum ergò Patris est substantia, scilicet animal; fundamentum est potentia actiua generandi, suprà quàm immediatè fundatur relatio; extrema sunt ipse Pater, & Filius; medium est ratio referendi, vt Paternitas respectu Patris, Filiatio respectu Filij; termini sunt in comparatione ad Patrem potentia passiua generandi in Filio; in ordine ad Filium potentia actiua generandi in Patre; ex parte Filij subiectum est animal; fundamentum potentia passiua generandi, extremum est Pater, medium est Filiatio, terminus est potentia actiua generandi in Patre; & in Similibus substantia est subiectum, fundamentum est qualitas, extrema sunt similia, medium est similitudo, termini sunt duæ qualitates, sed diuersa ratione. In Relatione datur duplex distinctio, scilicet intrinseca, quę attenditur penès aliquod intrinsecum & essentiale, vt propria differentia; & extrinseca, quæ attenditur penès aliqua, quæ licet necessaria sint ad constitutionem relationis, tamen extrinsecè concurrunt ad eam, vt fundamentum, & terminus. His positis sit

Conclusio. Relationes Prædicamentales sumunt vnitatem & distinctionem specificam intrinsecè à proprijs differentijs; extrinsecè à fundamento, & termino. Prima pars probatur, nam quælibet res distinguitur intrinsecè, & essentialiter ab alijs rebus per ea principia, quibus constituuntur, quià eadem sunt principia constitutiua, & distinctiua, sed relationes essentialiter constituuntur per proprias differentias, quià cùm sint accidentia, non constant ex materia & forma, & cùm non sint entia omninò simplicia exigunt necessariò cōpositionem ex genere, & differentia, ergò sumunt vnitatem, & distinctionem specificam à proprijs differētijs. Item illæ relationes dicuntur vnæ vnitate generica, quæ ponuntur in hoc Prædicamento, vt sunt relationes intrinsecùs aduenientes; illæ dicuntur vnæ vnitate specifica, quæ habent eamdem differentiam specificam, vt Paternitates; vnitate numerica, quarum vna non est alia, vt hæc Paternitas.

Secunda pars probatur, nam non sumunt vnitatem, & distinctionem specificam à fundamento solùm, quia in eodem fundamento fundantur relationes diuersæ speciei, vt in eadem albedine relatio similitudinis, & dissimilitudinis, quæ differunt specie; nec à termino solùm, quià eadem albedo est terminus similitudinis in ordine ad aliam albedinem, & dissimilitudinis ad nigredinem, ergò specificantur à fundamento & termino simul.

Obiic. primo, Contrà primam partem. Fundamentum & terminus ponuntur in definitione Relationis, ergò intrinsecè constituunt, & distinguunt relationem. Consequentia sequitur, quia partes definitionis sunt intrinsecę definito.

Resp. Negando consequentiam; nam

nam fundamentum, & terminus non ponuntur in definitione relationis tãquàm quid intrinsecum, sed tãquàm illud, sine quo relatio non potest cognosci, & intellectus non quietatur cognoscendo relationem, nisi cognitis fundamento, & termino.

Obijc. secundo, Contrà secundam partem; Relatio similitudinis inter duas albedines, & relatio similitudinis inter duas nigredines distinguuntur specie, vt patet, sed fundamenta & termini specie distinguntur, ergò non sumit distinctionem specificam à fundamento, & termino.

Resp. Distinguendo maiorem, materialiter, concedo; formaliter, nego; nam licèt albedo, & nigredo materialiter sumptæ, scilicet secundùm proprias naturas specie distinguantur, & sint alterius rationis, tamèn formaliter, scilicet in ratione fundandi relationẽ sunt eiusdem rationis in albedine, & nigredine; sicut proportio dupla inter duo, & quatuor est eiusdem rationis cum ea, quæ reperitur inter quinque, & decem, quamuis numeri, qui illas fundant, differant specie, ità omnes similitudines sunt eiusdem rationis, omnes dissimilitudines, omnes Paternitates &c.

Quæritur, Quod sunt modi relatiuorum? seù quot sunt genera Relationum?

Resp. Ex Philosopho 5. Methaph. tex. 15. tres, quorum primus fundatur super vnum & multa; secundus super potẽtiam actiuam, & passiuam; tertius super mensuram, & mensurabile; sed circà primum modum est notandum, quod per vnum non intelligitur vnio partium, sed conuenientia in aliquo prædicato communi; per multa intelligitur disconuenientia extremorum; & quià tripliciter possunt extrema conuenire, & disconuenire, scilicet in substantia, Quantitate, & qualitate, ideò in relatione primi generis assignantur tres species vnitatis, & diuersitatis; vt idem, & diuersum in substantia, nam relatio identitatis inter duas substantias habentes vnitatem specificam naturæ, vt inter duos homines; relatio diuersitatis inter duas substantias diuersas, vt inter Petrum, & equum; si fundantur in Quantitate, dicuntur relationes æqualitatis, & inæqualitatis, æqualitatis inter duas Quantitates habẽtes eamdem specie magnitudinem, vt inter lineas palmares; inæqualitatis inter duas Quantitates diuersæ magnitudinis, vt inter lineam palmarem, & bipalmarem; si fundantur in Qualitate, dicuntur relationes similitudinis, & dissimilitudinis, similitudinis inter duo alba, quæ conueniunt in eadem specie albedinis; dissimilitudinis inter ea, quæ habent diuersas qualitates, vt inter coruum nigrum, & cignum album.

Relationes secundi generis fundãtur super potentiam actiuam, & passiuam, vt sunt relationes causæ ad effectum, vel è contrà, producentis, & producti, & è contrà, vt Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, nam paternitas fundatur super potentiam actiuam generandi in Patre, Filiatio super passiuam in Filio; similiter ratio magistri fundatur super virtutem actiuam docendi, ratio discipuli super passi-

passiuam, vt doceatur.

Relationes tertij generis fundantur in mensura, & mensurabili, vt sunt relationes scientiæ ad scibile, nam scibile est mensura scientiæ, quia tantæ perfectionis eam esse dicimus, quantæ est obiectum scibile, & etiam relationes imaginis ad sua exemplaria, nam imagines commensurantur exēplaribus; per mensuram pro nunc intelligimus non solùm illam, quæ est proprium quantitatis, secundùm quam res quantitatiuè mensurantur, sed etiam perfectionis, & entitatis, secundùm quam res dicuntur sibi commensurari, cum sibi ipsi mutuò correspondent.

Quæritur, An relationes tertij generis spectent ad hoc Prædicamentum?

Resp. Negatiuè, nam scientia de principali significato non dicit relationem, sed absolutum, refertur tamen ad scibile relatione transcendentali, qua omnis habitus connotat suū obiectum tam existens, quàm non existens.

Notandum, quod relationes, quæ fundantur super vnum, scilicet relationes identitatis, similitudinis, & æqualitatis, possunt dupliciter considerari, primò propriè, secundò impropriè; primo modo identitas appropriatur substantiæ, æqualitas quantitati, & similitudo qualitati; secundo modo reperiuntur in omni genere, nam dicimus substantiam esse idem, æqualem, & similem alteri, & etiam extrà genus.

QVAESTIO V.

An dentur Relationes reales extrinsecùs aduenientes, non pertinentes ad Prædicamentum Relationis?

CONclusio affirmatiua. Est Scoti in 3. d.1.q.1. §. *ad illud in oppositum*, & in 4. d.6. q.10. §. *hic dicitur*; contrà Thomistas omnes sustinentes oppositum, & dicunt hanc distinctionem relationum esse quid fictum, & sine vllo fundamento inuentum. Probatur; nam debet esse aliqua differentia inter respectus, qui consurgunt necessariò posito fundamento, & termino, & inter illos, qui non consurgunt necessariò; sed talis differentia sufficienter explicatur per hoc, quod est respectus intrinsecùs adueniens, & extrinsecùs adueniens, ergò &c. Quod non pertineant ad Prædicamentum Relationis patet, nā sex vltima Prædicamenta sunt realiter distincta à Prædicamento ad Aliquid, ergò &c.

Item respectus transcendentales nō semper sunt in Prædicamento Relationis, sed in illis Prædicamentis collocantur, in quibus reponimus illa, quorum sunt respectus.

Secundò, relationes intrinsecùs aduenientes non possunt terminare motum, extrinsecùs aduenientes aliquando possunt, & producuntur per motum, vt patet de relatione vnionis naturæ humanæ ad Verbum, quæ pro-

producta fuit actione vnitiua Sanctissimæ Trinitatis; Item patet de Relatione Characteris, nam talis relatio characteristica immediatè producitur à Deo in susceptione Baptismi, ergò distinguuntur.

Obijc. primo, Talis relatio extrinsecùs adueniens, vel consistit in illa habitudine, seù respectu, per quem fundamentum refertur ad terminum, vel non; si secundum, ergò est quid absolutum, si primum, ergò esset de Prædicamento Relationis, & consequenter nullus esset respectus extrinsecùs adueniens.

Resp. Quod talis relatio consistit in illa habitudine, tamen non est relatio de genere relationis propter differentias assignatas; nam posito igne agente, & ligno patiente per receptionem formæ ignis non necessariò resultat actio ex defectu approximationis; Imò accidere potest, quod posita approximatione, relatio non resultet, si sit aliquod retardans, seù impediens productionẽ formæ ignis, vt patet in fornace Babilonis; tamen relatio intrinsecùs adueniens necessariò resultat posito fundamento, & termino, & à nullo potest impediri, ergò relationes istæ distinguuntur.

Obijc. secundo, Ideò relationes dicuntur extrinsecè aduenientes, quia requirunt aliquam conditionem, vt resultent, scilicet approximationem, sed etiam relatio intrinsecùs aduenieñs, idest, Paternitas ad hoc, vt resultet, præter fundamentum, & terminum requirit actualem generationem, tamquam aliquam conditionem, ergò nulla distinctio.

Resp. Negando consequentiam, nam relationes extrinsecùs aduenientes requirunt aliquam conditionem, scilicet approximationem, quia posito fundamento, & termino tantùm, non resultant, nisi ponatur illa conditio, imò hac posita potest etiam impediri relatio, vt suprà; sed relationes intrinsecùs aduenientes solùm requirunt aliquam conditionem, vt dictum est, ad hoc, vt ponatur terminus, vt v. g. in Relatione Paternitatis requiritur generatio, sine qua non poneretur terminus nempè filius, tamen posito fundamento, & termino, scilicet Patre, & Filio statim insurgit relatio, & non potest ab vlla potentia impediri.

Obijcitur tertio, Si Deus communicaret Sorti virtutem producendi Platonem, tunc Sortes non esset Pater Platonis, quia ipsum non genuit, sed in tali casu esset fundamentum, & terminus, scilicet potentia generandi, Sortis communicata à Deo, & potentia genita Platonis, ergò si Scoti discursus esset bonus, tunc etiam Paternitas, & Filiatio aliquandò essent respectus extrinsecùs aduenientes.

Resp. Quod in tali casu, Plato productus per voluntatem non dicit dependentiam essentialem ad illam potentiam generatiuam Sortis, & sic mirum non est quod non consurgat relatio Paternitatis, quia potentia generandi ibi se habet tantùm materialiter.

Notandum, quod in hac quæstione meritò loquimur in titulo quæstionis de relationibus realibus, quia certum est, relationes rationis posse extrinsecùs

secùs aduenire fundamento, & termino sine vllo eorum concursu, nam potest intellectus componere, & ordinare extrema, quæ ex natura rei non sunt ordinata.

QVAESTIO VI.

An Relationes reales distinguantur realiter à fundamento?

Relationes (vt ad præsens spectat) sunt duplices, scilicet, prædicamentales, quæ constituunt Prædicamentum Relationis, vt Paternitas, similitudo &c. & transcendentales, quæ vagantur per omnia genera, vel per plura, vt creatio, inhærentia aptitudinalis accidentis ad subiectum, pro qua sit

Prima conclusio. Relationes reales prædicamentales realiter distinguuntur à fundamento. Est Scoti in secundo d. 1. q. 5. litt. D. contrà Henricum, Bacconum, & quamplures Neutericos oppositum sustinentes. Probatur primò; Illa distinguuntur realiter, quorum vnum potest esse sine alio, sed fundamentum potest esse sine relatione, ergò &c. Maior patet ex Aristotele 2. Phys. vbi Philosophus non vtitur alio fundamento ad probandum, materiam esse aliam rem distinctam à forma, nisi quia manet eadem sub oppositis formis, & 4. Phys. locum esse aliud à locato, quia idem locus manet cum diuersis locatis, ergò &c. minor patet experientijs, & primò in relatione disquiparantiæ, nam extinctis omnibus Filijs alicuius Patris, destruitur relatio Paternitatis, & manet potentia actiua generandi in Patre, quæ est fundamentum Paternitatis, ergo &c. imò extincta potentia generandi in Patre, vt multoties factum est, potest remanere Paternitas respectu Filiorum ab ipso productorum, ergò &c. Secundò in relationibus æquiparantiæ, nam existente hoc albo, & si aliud album non sit, tunc esset fundamentum similitudinis sine similitudine, sic dicendum de alijs, ergò &c.

Secundò probatur, nullum finitum identificat sibi realiter opposita formaliter, imò talis identitas realis negatur etiam Deo respectu oppositorum formaliter, nam Deus non identificat sibi opposita formaliter, sed tantùm virtualiter, quatenùs Deus habet caliditatem, & frigiditatem virtualiter, quia potest eas producere; sed in eodem fundamento finito possunt fundari relationes oppositæ, nam in eadem albedine potest fundari relatio similitudinis, & dissimilitudinis respectu diuersorum terminorum, ergo &c.

Tertiò, quandò aliqua duo sic se habent, quorum vnum intenditur, & aliud remittitur, possunt ad inuicem separari, sed relatio, & fundamentum sic se habent, nam fundamento remisso potest relatio intendi, vt v. g. remissa albedine vnius corporis albi, vt sex, & posita in quarto gradu, de facto intenditur similitudo respectu alterius albi, vt quatuor, ergo &c.

Quarto, Relatio vel consurgit de nouo ad positionem termini, vel suppone-

ponebatur in fundamento antè positionem termini, si primum, ergò aliquia forma resultat in fundamento de nouo, & consequenter, cum adueniat in tempore, realiter distinguitur à fundamento; si secundum, ergò fundamentum erat relatiuum antè positionem actualem termini, & consequenter talis relatio non distingueretur à relationibus transcendentalibus, & similiter dictum Philosophi non esset verum, scilicet, quod posito fundamento, & termino statim insurgit relatio, ergo &c.

Secunda conclusio. Aliquæ relationes transcendentales identificantur realiter cum fundamento, & distinguuntur formaliter: aliquæ verò distinguuntur realiter. Est Scoti in 2. loco citat. litt. M, §. *ad secundum principale*, vbi docet, creationem esse relationem transcendentalem, quia conuenit enti, antequàm in genera transcendat, & omne quod conuenit enti in tali prioritate est transcendens, & non est alicuius determinati generis.

Probatur prima pars, illæ relationes identificantur cum fundamento, cuius fundamentum non potest esse sine tali relatione in ordine ad terminum, sed istæ relationes transcendentales sunt huiusmodi, scilicet creatio passiua, inhærentia aptitudinalis accidentis, vt patet, ergo &c. maior patet, nam signum distinctionis realis inter aliqua est separatio vnius ab alio, dummodo non adsit dependentia essentialis, ergò signum identitatis realis est inseparabilitas.

Dices, Partes simul sumptè, & vnitæ non possunt esse sine toto, sed realiter distinguuntur ab illo ex Scoto, ergò ratio nulla, & consequenter inseparabilitas non arguit identitatem.

Resp. Negando consequentiam; nam non quæcumque inseparabilitas arguit identitatem, sed solùm ea, quæ prouenit à principijs intrinsecis rei, vt dependentia creaturæ ad creatorem, inhærentia accidentis ad subiectum; inseparabilitas verò partium vnitarum à toto prouenit ab aliquo extrinseco, scilicet vnione, ideò &c.

Dices, Creatura ab intrinseco non potest esse sine Deo, ergò propter eamdem rationem Deus, & creatura erunt idem realiter.

Resp. Negando consequentiam; nam licèt creatura non possit esse sine Deo, tamen Deus potest esse sine creatura, ideò &c.

Secunda pars patet, nam realitas absoluti non includit formaliter realitatem respectiui, nec è conuerso, quia illa est ad se, ista verò ad aliud, sed fundamentum, & huiusmodi relationes se habent vt ad se, & vt ad aliud, ergò &c.

Tertia pars probatur, nam illæ relationes, quarum fundamenta possunt esse sine talibus relationibus, distinguuntur realiter ab illis, sed huiusmodi relationes transcendentales, scilicet distinctio, vnio, & similia sic se habent, vt patet, ergò &c.

Obijc. primo, Ex Aduersarijs, illa quæ distinguuntur realiter, si adinuicem vniuntur, faciunt compositionem, sed si esset vnum album in mundo, addita sibi relatione in ordine

ad

ad aliud album, non esset compositius, ergò signum est, quod inter se realiter non distinguuntur.

Resp. Disting. minorem, non esset compositius compositione ex his, scilicet, ex partibus, concedo; compositione cum his, idest cum aliquo, nego; nam illud album per relationem additam diceretur magis compositum compositione cum his, idest cum ipsa relatione addita.

Obijc. secundo, Si sic, ergò esset processus in infinitum in relationibus; sequela probatur, nam illa relatio, quæ emanat à fundamento, dependet ab illo alia relatione, & illa alia relatio ab ea alia relatione vsque in infinitum, ergò &c.

Resp. Negando sequelam. Ad probationem dicimus, quod quælibet relatio necessariò dependet à suo fundamento, & ideò non refertur ad illud alia relatione, sed se ipsa; sicut enim dependentia creaturæ ad Creatorem, identificatur realiter cum creatura, quatenus creatura non potest nō dependere, ita cùm hæc relatio non possit non dependere à suo fundamento, non alia relatione, sed seipsa refertur.

Obijc. tertio, Ad relationem non datur per se motus ex 5. Phys. sed si relatio produceretur de nouo, daretur motus ad illam, ergò signum est, quod non distinguitur realiter à fundamento.

Resp. Disting. minorem, si produceretur per veram actionem, concedo; si per resultantiam, nego; nam relatio resultat ex fundamento, & termino.

Obijc. quarto, Relationes diuinæ sunt eædem cum fundamento, ergò & Prædicamentales; Consequentia sequitur, quia ex positione relationum diuinarum probamus poni relationes prædicamentales.

Resp. Negando consequentiam; Ad probationem dicimus, quod relationes diuinæ non sunt accidentia, sicut prædicamentales, ideò est dispar ratio.

QVAESTIO VII.

An vna relatio possit esse fundamentum alterius relationis.

Conclusio affirmatiua. Est Scoti in 2. d. 1. q. 5. lit. H. in 4. d. 6. q. 10. lit. E. & quol. 6. §. *de tertio &c.* contra Thomistas omnes totum oppositum sustinentes. Probatur primò, nam proportionabilitas est similitudo duarum proportionum ex Euclide lib. 5. Geometriæ, sed proportio, & proportionalitas sunt Relationes, ergò vna relatio fundatur super aliam. Secundò, relatio similitudinis vgr. fundata in albedine est alia ab albedine, sed talis alietas est relatio fundata in similitudine, & terminata ad albedinem, ergò similitudo quæ est relatio, fundat relationem; Item duæ Paternitates dicuntur inter se similes; sed similitudo est relatio fundata in vna Paternitate, & terminata ad aliam, ergò &c.

Obijc. primò, Relatio est minimæ, ac debilissimæ entitatis, ergò inepta est

est ad aliam relationem substentandam.

Resp. Negando consequentiam; nam materia prima est imperfectior ipsa forma substantiali, & tamen ipsam substentat. Item relatio fundanda non est tanti ponderis, vt ad eam substentandam non sufficiat alia relatio. Item cum efficientia relationum sit per modum resultantiæ, non est necessaria maxima entitas, & si potest vna relatio causare aliam in genere causæ materialis ipsam substentando, poterit etiam in genere causæ efficientis.

Obijc. secundo, Ex Aristotele 5. Metaph. 15. ponuntur tantùm tria fundamenta relationum, scilicet vnum & multa; potentia actiua, & passiua, & mensura, & mensurabile; sed relatio nihil horum est, vt patet, ergò &c.

Resp. Negando minorem, nam vnitas, & multa, supra quæ fundantur relationes primi generis reperiuntur in omnibus Prædicamentis, seruata proportione, & analogia ad ipsum genus substantiæ, & consequẽter etiam in Prædicamento relationis potest reperiri fundamentum relationum primi generis, quia vna relatio comparata cum altera vel est eiusdẽ, vel diuersæ rationis ab illa.

Obijc. tertio, Si sic, ergò datur processus in infinitum in relationibus. Consequentia sequitur, nam talis alietas, quæ est relatio, est alia à similitudine, ergo alia alietate, & tunc quæro de illa alia alietate, & sic in infinitum, ergo &c.

Resp. Negando consequentiam, nam

Ad probationem dicimus, quod prima relatio, quæ est similitudo, est alia à fundamento per relationem alietatis; secunda relatio, quæ est alietatis non est alia à fundamento, scilicet à similitudine, sed se ipsa refertur, & in hac datur status; nam in simili casu semper datur status in secundis relationibus, & tales relationes se ipsis referuntur, quia vna non potest conseruari sine alia; Itèm quando fundamentum nõ potest esse sine termino, tunc se ipso refertur ad eum, nam creatio passiua fundata in creatura seipsa refertur, & non alia relatione; quia fundamentum non potest esse sine termino, scilicet creatura sine Deo, ideo &c.

QVAESTIO VIII.

An omnis relatio terminetur ad absolutum, vel respectiuum?

IN hac quæstione loquimur de relationibus Prædicamentalibus, nam relationes diuinæ, clarum est, quod terminantur ad respectiuum. Relationum quædam sunt mutuæ, & quædam nõ mutuæ; primæ sunt illę, quæ fundantur inter extrema, quæ mutuò se referuntur, vt Paternitas, & Filiatio in Patre, & Filio, quia non magis Pater, non potest esse sine Filio, quã è contrà; secundæ sunt illæ, quarum extrema mutuò non se referuntur, vt relatio mensuræ ad mensuratum, scilicet scientiæ ad scibile; nam scientia refertur ad scibile, & non po-

erit esse sine illo, sed scibile non necessariò refertur ad scientiam, & potest esse sine scientia, vt patet, ideò talia relatiua non sunt simul natura. His positis sit

Conclusio 1. Omnis relatio prædicamentalis tam mutua, quàm non mutua terminatur ad absolutum, Est Scoti in 1. d. 30. q. 2. & quol. 4. art. 2. & Scotistarum, contrà Thomistas, inter quos aliqui dicunt, omnem relationem terminari ad respectiuum; aliqui verò dicunt, relationes mutuas terminari ad respectiuum, non mutuas ad absolutum. Probatur prima pars, nam fundamentum fundat relationem sub ratione absoluti, ergò terminus terminat sub ratione absoluti. Consequentia sequitur, nam non minùs terminus abstrahit à relatione, quàm fundamentum, ergo &c. Item relatio consurgit ex fundamento, & termino, ergò in illo priori, in quo non præintelligitur relatio, fundamentum, & terminus sunt absoluti, & consequenter fundant, & terminant sub ratione absoluti. Item si quæratur, quarè filius terminat relationem Paternitatis? Optimè respondetur, quia est ab eo productus, ergò illa generatio passiua terminat, quæ est quid absolutum.

Secunda pars patet, nam in termino relationis non mutuæ nulla datur relatio nec realis, nec rationis; ergò in talibus relationibus terminus necessariò erit quid absolutum; Antecedens patet, nam non datur relatio realis, quia ex hoc dicuntur relationes non mutuæ, nec rationis, quia ante operationem intellectus illa relatio realis ex parte alterius extremi debet habere suum realem terminum, ergò &c.

Obijc. primò, Remoto quocunque absoluto, & posita relatione v. g. Paternitatis, tunc talis relatio esset terminata non ad absolutum, quia non esset, ergò ad respectiuum.

Resp. Dato casu, negatur sequela maioris, nam si per impossibile solæ relationes ponerentur essent oppositæ, & mutuò se referrent, sed non essent terminatæ, quia vna non habet vim terminandi aliam, essent in casu terminabiles, non terminatæ.

Dices, Ea ratione, qua terminus refertur, terminat, sed refertur per relationem, ergo &c.

Resp. Negando maiorem, quia aliud est referri, & aliud terminari; nam referri est dici ad aliud sub habitudine alicuius casus, vt Pater Filij Pater, terminari verò est esse terminum illius relationis, ideo &c.

Obijc. secundò, Relatiua dicuntur ad conuertentiam, sed relatiuum dicitur ad conuertentiam cum termino, ergò signum est, quod terminus est aliquid relatiuum.

Resp. Distinguo minorem, cum termino Quod, concedo; cum termino Quo, nego; nam Pater v. g. qui est relatiuum, dicitur ad conuertentiam cum filio, qui est terminus Quod, non verò cum termino Quo, qui est illa passiua generatio, ideo &c.

Obijc. tertiò, Distinctio inter duas similitudines est relatio, sed talis terminatur ad respectiuum, scilicet ad similitudinem, ergo &c.

Resp. Negando consequentiam, nam

nam distinctio est relatio trãscendens, quia transcendit per omnia Prædicamenta, in præsenti verò loquimur de relationibus prædicamentalibus.

Obijc. quartò, Relatiua sunt simul natura, tempore, & cognitione, sed si terminarẽtur ad absolutum, tunc non essent simul natura, ergo &c. minor patet, nam absolutum est prius respectiuo.

Resp. Negando minorem. Ad probationem dicimus, quod relatiua non dicuntur simul natura ex eo, quia terminant secundùm esse relatiuum, sed quia in vtroque extremo simul resultant mutuæ relationes; nam priùs est absolutum in causa, deindè absolutum in effectu, & postremò insurgunt relationes, & illæ relationes sunt simul natura, & consequenter illa relatiua; dicuntur etiam simùl cognitione, quia vnum relatiuum cognoscitur per aliud, & hac de causa Aristoteles definiuit Dominum per seruũ, & seruum per Dominum.

Obijc. quinto, Relatio inter Deum, & creaturam est relatio non mutua, sed ista non potest terminari ad absolutum, quia Deus vt sic tunc esset cognoscibilis à nostro intellectu, quia cognitio relationis requirit cognitionem termini, ergo &c.

Resp. Negando minorem. Ad probat. distinguo antecedens, esset cognoscibilis quantum ad quęstionem quia est, concedo, quidditatiuè, nego; nam ad hoc, vt cognoscamus relationem, non est necesse vt cognoscamus eius terminum quidditatiuè, sed sufficit vt cognoscamus ipsum quantum ad quæstionem quia est, & sic cognoscimus Deum per creaturas, tamquam per effectus illius.

Not. quod terminus, & correlatiuum sunt idem materialiter, non formaliter, quia ratio termini est formaliter absoluta, ratio correlatiui est formaliter relatiua: & quia aliquando simùl concurrunt, solet dici communiter quod sunt idẽ, vt in relatiuis mutuis, quæ relatio non ponitur, vt terminet, sed vt referatur.

QVAESTIO IX.

An vna numero relatio possit respicere plures terminos?

SEnsus quæsiti est, nùm vnus Pater habens plures Filios existentes referatur ad illos vnica relatione, vel pluribus, pro qua sit

Conclusio. In eodem fundamento multiplicantur relationes eiusdem speciei in ordine ad plures terminos. Est Scoti in 3. d.8. q. vnica, contrà nonnullos Thomistas asserentes, vnicum fundamentum referri vnica relatione ad plures terminos. Probatur, vna numero relatio adæquatè terminatur ad vnicum numero terminum, ergo multiplicatis terminis multiplicantur relationes. Antecedens patet, aliter enim respiceret inadęquatè vnicum terminum. Itèm sequeretur cõtradictio, nam positis v. g. duobus Filijs, Pater dependeret, & non dependeret; dependeret, quatenùs ad vtrumque referretur, non dependeret, quia quolibet pereunte perseueraret

esse sine illo, sed scibile non necessariò refertur ad scientiam, & potest esse sine scientia, vt patet, ideò talia relatiua non sunt simul natura. His positis sit

Conclusio I. Omnis relatio prædicamentalis tam mutua, quàm non mutua terminatur ad absolutum. Est Scoti in 1. d. 30. q. 2. & quol. 4. art. 2. & Scotistarum, contrà Thomistas, inter quos aliqui dicunt, omnem relationem terminari ad respectiuum; aliqui verò dicunt, relationes mutuas terminari ad respectiuum, non mutuas ad absolutum. Probatur prima pars, nam fundamentum fundat relationem sub ratione absoluti, ergò terminus terminat sub ratione absoluti. Consequentia sequitur, nam non minùs terminus abstrahit à relatione, quàm fundamentum, ergo &c. Itèm relatio consurgit ex fundamento, & termino, ergò in illo priori, in quo non præintelligitur relatio, fundamētum, & terminus sunt absoluti, & cōsequenter fundant, & terminant sub ratione absoluti. Itèm si quæratur, quarè filius terminat relationem Paternitatis? Optimè respondetur, quia est ab eo productus, ergò illa generatio passiua terminat, quæ est quid absolutum.

Secunda pars patet, nam in termino relationis non mutuæ nulla datur relatio nec realis, nec rationis; ergò in talibus relationibus terminus necessariò erit quid absolutum; Antecedens patet, nam non datur relatio realis, quia ex hoc dicuntur relationes non mutuæ, nec rationis, quia ante operationem intellectus illa relatio realis ex parte alterius extremi debet habere suum realem terminum, ergò &c.

Obijc. primò, Remoto quocunq; absoluto, & posita relatione v.g. Paternitatis, tunc talis relatio esset terminata non ad absolutum, quia non esset, ergò ad respectiuum.

Resp. Dato casu, negatur sequela maioris, nam si per impossibile solæ relationes ponerentur essent oppositæ, & mutuò se referrent, sed non essent terminatæ, quia vna non haberet vim terminandi aliam, essent in casu terminabiles, non terminatæ.

Dices, Ea ratione, qua terminus refertur, terminat, sed refertur per relatiuum, ergo &c.

Resp. Negando maiorem, quia aliud est referri, & aliud terminari; nam referri est dici ad aliud sub habitudine alicuius casus, vt Pater Filij Pater; terminari verò est esse terminum illius relationis, ideo &c.

Obijc. secundò, Relatiua dicuntur ad conuertentiam, sed relatiuum dicitur ad conuertentiam cum termino, ergò signum est, quod terminus est quid relatiuum.

Resp. Disting. minorem, cum termino Quod, concedo; cum termino Quo, nego; nam Pater v. g. qui est relatiuum, dicitur ad conuertentiam cum filio, qui est terminus Quod, non verò cum termino Quo, qui est illa passiua generatio, ideo &c.

Obijc. tertiò, Distinctio inter duas similitudines est relatio, sed talis terminatur ad respectiuum, scilicet ad similitudinem, ergo &c.

Resp. Negando consequentiam, nam

nam distinctio est relatio trãscendens, quia transcendit per omnia Prædicamenta, in præsenti verò loquimur de relationibus prædicamentalibus.

Obiic. quartò, Relatiua sunt simul natura, tempore, & cognitione, sed si terminarētur ad absolutum, tunc non essent simul natura, ergo &c. minor patet, nam absolutum est prius respectiuo.

Resp. Negando minorem. Ad probationem dicimus, quod relatiua non dicuntur simul natura ex eo, quia terminant secundùm esse relatiuum, sed quia in vtroque extremo simul resultant mutuæ relationes; nam prius est absolutum in causa, deindè absolutum in effectu, & postremò insurgunt relationes, & illæ relationes sunt simul natura, & consequenter illa relatiua; dicuntur etiam simùl cognitione, quia vnum relatiuum cognoscitur per aliud, & hac de causa Aristoteles definiuit Dominum per seruũ, & seruum per Dominum.

Obiic. quinto, Relatio inter Deum, & creaturam est relatio non mutua, sed ista non potest terminari ad absolutum, quia Deus vt sic tunc esset cognoscibilis à nostro intellectu, quia cognitio relationis requirit cognitionem termini, ergo &c.

Resp. Negando minorem. Ad probat. distinguo antecedens, esset cognoscibilis quantum ad quęstionem quia est, concedo, quidditatiuè, nego; nam ad hoc, vt cognoscamus relationem, non est necesse vt cognoscamus eius terminum quidditatiuè, sed sufficit vt cognoscamus ipsum quantum ad quæstionem quia est, & sic cognoscimus Deum per creaturas, tamquam per effectus illius.

Not. quod terminus, & correlatiuum sunt idem materialiter, non formaliter, quia ratio termini est formaliter absoluta, ratio correlatiui est formaliter relatiua: & quia aliquando simùl concurrunt, solet dici communiter quod sunt idẽ, vt in relatiuis mutuis, quæ relatio non ponitur, vt terminet, sed vt referatur.

QVAESTIO IX.

An vna numero relatio possit respicere plures terminos?

SEnsus quæsiti est, nùm vnus Pater habens plures Filios existentes referatur ad illos vnica relatione, vel pluribus, pro qua sit

Conclusio. In eodem fundamento multiplicantur relationes eiusdem speciei in ordine ad plures terminos. Est Scoti in 3. d.8. q. vnica, contrà nonnullos Thomistas asserentes, vnicum fundamentum referri vnica relatione ad plures terminos. Probatur, vna numero relatio adæquatè terminatur ad vnicum numero terminum, ergo multiplicatis terminis multiplicantur relationes. Antecedens patet, aliter enim respiceret inadęquatè vnicum terminum. Itèm sequeretur cõtradictio, nam positis v. g. duobus Filijs, Pater dependeret, & non dependeret; dependeret, quatènus ad vtrumque referrotur, non dependeret, quia quolibet pereunte perseueraret

raret relatio, ergo &c.

Secundò; posita in Patre actione generatiua, seù generatione actiua in ordine ad vnum filium, ponitur relatio, ergò positis pluribus actionibus generatiuis in ordine ad plures filios resultabūt plures relationes; Itèm relatio pendet ab vtroque extremo, ergò quolibet extremo multiplicato, multiplicantur relationes; Consequentia sequitur, nam extrema sunt causæ naturales, quæ, si de nouo ponantur, de nouo debent causare.

Tertiò, relatiua posita se ponunt, & perempta se perimunt, sed si Pater haberet plures filios, remoto vno filio non remouetur Pater, quia adhuc dicitur Pater respectu alterius Filij, ergò signū est, quod in vno Patre sunt plures Paternitates in ordine ad plures Filios.

Obijc. primo, Si in eodem fundamento, scilicet in eodem Patre, essent plures Paternitates in ordine ad plures Filios, tunc vnus Pater esset plures Patres, quod est falsum; Sequela probatur, nam vna Paternitas facit vnum Patrem, ergò si sint plures Paternitates, sequitur quod vnus Pater esset plures Patres.

Resp. Negando sequelam. Ad probationem negatur consequentia, nam ad multiplicationem concretorum non sufficit multiplicatio formarum, sed requiritur etiam multiplicatio suppositorum; In casu verò est tantùm multiplicatio formarū, scilicet Paternitatū, non suppositorum, cum sit tantùm vnicum suppositum Patris, ideò sequitur, quod non multiplicatur concretum, scilicet Pater; nam si aliquis habeat plures scientias, non dicitur plures scientes; sed vnus sciens; ità dicendum in casu.

Dices, Si sic, ergò in Filio essent duæ filiationes in ordine ad duos terminos, scilicet Patrem, & Matrem.

Resp. Negando sequelam, nam Pater, & Mater sunt vnicus terminus totalis, ad quem Filius refertur, quia Mater concurrit actiuè, sicut Pater, & faciunt vnam causam totalem productionis Filij, partialiter sunt duæ.

Dices, Sublato Patre, & remanente Matre, Filius amittit relationem ad Patrem, & conseruat relationem ad Matrem, ergò in Filio essent duæ filiationes.

Resp. Negando consequentiam, nam sicut vnus effectus, qui dependet à pluribus causis partialibus, & vna destructa, adhuc dependet ab alijs, ità vnus Filius dependet à duabus causis partialibus, scilicet à Patre, & à Matre, & vna istarum sublata, adhuc refertur ad aliam. Vel possumus dicere, quod in Filio sunt duæ filiationes partiales, & inadæquatæ, sed vna totalis.

Obijc. secundo, Omnis numerica distinctio accidentium est per subiecta, sed in casu est tantùm vnicum subiectum, ergò vnica relatio.

Resp. Negando maiorem, nam aliter duo accidentia specie distincta non possent esse in eodem subiecto numero, quod est falsum. Item omnes entitates tam substantiales, quàm accidentales indiuiduantur per differentiam indiuidualem identificatam cum natura singulari, ideò relationes non indi-

indiuiduantur à subiectis, licèt extrinsecè specificentur, & indiuiduentur per terminos, quatenùs ex illis terminis faciliùs venamur diuersitatem relationum.

QVAESTIO X.

An Proprietates Relationis sint rectè assignatæ?

PRima conclusio. Prima proprietas, in qua dicitur, relatiuis inest contrarietas, est recta. Patet ex declaratione istius proprietatis, nam relationes habere cōtrarium stat dupliciter, vel secundùm se, vel ratione fundamenti; primo modo relatio non habet contrarium, quia tunc ad relationem esset motus, quod est contrà Aristotelem, loquendo de contrarietate propria, non autem relatiua, quia sic habent contrarium, quatenùs vna non est alia, vt Paternitas non est filiatio; Secundo modo habet contrarium, vt relationes, quæ fundantur in fundamentis habentibus contrarium, etiam ipsæ relationes habent contrarium, vt similitudo, & dissimilitudo contrariantur, quia eorum fundamenta, scilicet album, & nigrum contrariantur, & hoc modo intelligitur proprietas, quandò dicitur, relationes habent contrarium, idest ratione fundamenti, non autem secundum se.

Dices, Relationes opponuntur relatiuè, ergò non contrariè; Consequentia sequitur, quia oppositio contraria, & relatiua sunt diuersæ species oppositionis, vt videbitur in Postprędicamentis.

Resp. Disting. consequens, secundùm se, concedo; ratione fundamenti, nego; nam relationes opponuntur secundùm se oppositione relatiua, ratione fundamenti opponuntur oppositione contraria.

Secunda conclusio. Secunda Proprietas est recta, in qua dicitur, relatiua suscipiunt magis, & minus. Patet ex declaratione; intelligitur etiam non secundùm se, sed ratione fundamenti, vt si vna albedo est magis similis alteri, illa relatio fundata in illa albedine dicitur suscipere magis; si vero illa albedo est minus similis, tunc relatio fundata in ipsa dicitur suscipere minus.

Obijc. Aequalitas est relatio, sed non suscipit magis, & minus, ergò nec relatio.

Resp. Disting. consequens, nec relatio æqualitatis, concedo; nec relatio, cuius fundamentum suscipit magis & minus, nego; nam dictum est in notabili &c.

Dices, Quarè æqualitas non suscipit magis & minus, sicut inæquale vt dictum est, cum vtrumque fundetur in Quantitate?

Resp. Quia æqualitas fundatur in duabus quantitatibus determinatis, & si ab aliqua istarum aliquod diminuitur, vel ei additur, tunc illæ quātitates non essent æquales, vt duplum fundatur in quantitate determinata, quæ, si mutetur secundùm maioritatem, & minoritatem, non esset amplius duplum; inæqualitas verò fundatur in quantitate indeterminata,

ad

ad cuius variationem secundùm maiorem, & minorem, oportet inæqualitatem variari.

Dices, Quarè simile dicitur suscipere magis & minus, propter intensionem, & remissionem, & æquale non dicitur suscipere magis, & minus, propter maioritatem, & minoritatem in Quantitate, seù propter excessum, & defectum in Quantitate?

Resp. Quia simile fundatur in Qualitate, non in gradibus, & si gradus in Qualitate sunt dispares, illæ Qualitates non dicuntur dissimiles, sed magis, & minus similes, quia dissimilitudo fundatur in qualitatibus specie diuersis, scilicet in albedine, & nigredine; æqualitas verò fundatur in Quantitate determinata, & si ab ea aliquid tollatur, non dicitur fundare æqualitatem, sed inæqualitatem, propter rationem supradictam.

Tertia conclusio. Tertia proprietas est recta, in qua dicitur, relatiua dicuntur ad conuertentiam; Patet, nam dici ad conuertentiam est mutuò se referre, sed relatiua mutuò se referunt, vt patet de Patre, & Filio, ergo &c.

Notandum, quod circà hanc proprietatem duobus modis contingit errare, vt habet Aristoteles in textu, primo, quandò non assignatur verũ correlatiuum, vt si dixerimus, alam esse relatiuum auis, tunc esset mala assignatio, quià quædam quæ non sunt aues, habent alas, vt apes, vespes, muscæ, formicæ &c. ideò quandò nõ sunt propria nomina correlatiui, debemus fingere illa nomina, vt dicendo, ala alati ala, sic etiam dicendum de remo, & naui, de capite, & animali; Secundo modo, quando relatiuũ & correlatiuum habent nomina imposita, tamen relatiuum non assignatur ad suum proprium correlatiuum, sed ad aliquod extraneum correlatiui, vt si non assignatur Seruus ad Dominum, sed ad hominem, vel ad aliquod aliud, tunc non esset conueniẽs assignatio, nec diceretur ad conuertentiam; Ideò vt facile, & sine errore cognoscatur verum correlatiuum, Philosophus in textu ponit vnam regulam, scilicet *Remoueantur per intellectum quæcunque iuncta sunt cum eo, quod putamus correlatiuum, si ad ipsum refertur, erit proprium correlatiuum, si non refertur non erit proprium correlatiuum*, vt v.g. Seruus refertur ad Dominum, & per intellectum auferamus eum esse hominem, bipedem, animal, rationale, & relicto solo Domino, si ad ipsum refertur, & è contrà, tunc est verum & proprium correlatiuum, si verò credamus Seruum referri ad hominẽ, & ab ipso homine auferamus Dominum, tunc Seruus ad ipsum non refertur, quia homo non est correlatiuũ Serui, & sic de alijs; ista proprietas est in quarto modo proprij.

Dices, Omnis propria passio conuertitur cum suo subiecto, vt patet de homine, & risibilitate, ergò dici ad conuertentiam non est proprium relatiuorum in quarto modo.

Resp. Negando consequentiam, nam propria passio dicitur ad conuertibilitatem cum subiecto, non verò ad conuertentiam; Vndè conuersio conuertentia, & conuertibilitas differunt

runt inter se; conuersio est proprietas propositionum; conuertentia est proprietas relatiuorum; conuertibilitas est proprietas quorumdam terminorum, quos conuertibiles appellamus; nam conuertibilitas differt à conuertentia, quia conuertibilitas dicit mutuam prædicationem in recto, vt homo est risibilis, & risibile est homo: conuertentia dicit mutuam prædicationem in obliquo, vt Pater Filij Pater, & è contrà; modò in casu, subiectum, & propria passio non dicunt mutuam prædicationem in obliquo, sed in recto; ideò tantùm dicuntur ad conuertibilitatem, non ad conuertentiam.

Quarta conclusio. Quarta proprietas est recta, in qua dicitur, relatiua sunt simul natura. Patet, nam posito Patre, necessariò ponitur Filius, ergò Pater, & Filius, qui sunt relatiua, sunt simul natura. Item non potest cognosci perfectè vnum relatiuum, non cognito alio, ergo &c.

Notandum, quod simultas naturę non accipitur tantùm pro illa referentia vnius ad alterum, sed etiam pro simultate existentiæ, ità vt si vnum relatiuum existit, aliud etiam debet existere, & hoc intelligitur de relatiuis mutuis, non autem de non mutuis, nam potest esse quod sit scibile, & quod nulla sit scientia.

Obijc. primo, Vnum relatiuum est prius altero, vt Pater prior Filio, causa prior effectu, ergo &c.

Resp. Disting. antecedens, ratione subiecti, concedo; ratione relatiui, nego; Vel fundamentaliter, concedo; formaliter, nego; nam subiectum seù res, quæ denominatur relatiuum dicitur prior altera, non tamen relatiuum, vt relatiuum est, vt Pater supponit pro animali, quod aliud animal genuit; & hoc modo dicitur prior Filio, non verò vt Pater est; sic dicendum de causa, & effectu.

Obijc. secundò, Sortes Senex differt à seipso puero, ex Porphirio cap. de Specie, tunc sic, illa differentia est relatio, sed eius extrema non sunt simul natura, ergo &c.

Resp. Disting. maiorem, est relatio rationis, concedo; realis, nego; nam relatio realis debet esse inter extrema realia realiter distincta; in casu licet vnum extremum sit reale, vt Sortes senex, non tamen alterum, scilicet Sortes puer.

Obijc. tertio, Remoto vno Filio non remouetur Pater, quia potest esse quod habeat plures Filios, ergo non sunt simul natura.

Resp. Negando consequentiam, nam remoto vno Filio remouetur vna Paternitas, non autem aliæ, ideò dicitur Pater.

Dices, Pater dicitur talis, quia genuit, sed impossibile est eum non genuisse, ergò remoto quocunque, Pater adhuc est Pater, & consequenter non est simul natura cum Filio. Minor patet, quia veritates de præterito sunt necessariæ.

Resp. Distinguendo maiorem, fundamentaliter, concedo; formaliter, nego; nam Pater dicitur Pater quia genuit tantùm fundamentaliter; formaliter verò dicitur Pater

per relationem Paternitatis, quæ ad remotionem Filij remouetur.

Obijc. quarto, Causa, & effectus sunt relatiua, sed causa est prior effectu, ergò relatiua non sunt simul natura.

Resp. Distinguendo minorem, fundamentaliter, concedo; formaliter, nego; nam &c. Vel est prior effectu origine, concedo; natura, nego; nam in eodem instanti naturæ datur prioritas, & posterioritas originis, vt alibi videndum est, ideò &c.

DISPVTATIO QVINTA

DE QVALITATE.

QVAERITVR *primo*, Quarè post caput de Relatione Philosophus agit de Qualitate?

Resp. Quia confert ad cognitionem relatiuorum; nam in præcedenti capite sæpè mentionem fecit de Qualitate, præcedit alia Prædicamenta, quia est quid absolutum, cætera verò sunt relatiua.

Quæritur secundò, Quid est Qualitas?

Resp. Est illa, secundùm quam quales esse dicimur, vt secundum albedinem dicimur albi.

Dices, Secundùm differentiam etiam dicimur quales, secundùm quātitatem dicimur quanti, secundùm relationem ad aliud, secundùm actionem dicimur agentes, ergò prædicta definitio est insufficiens.

Resp. Distinguendo antecedens, secundùm differentiam dicimur quales essentialiter, non accidentaliter; secundùm Quantitatē dicimur quanti per modum materiæ, non per modum formæ; secundùm relationem, scilicet Paternitatem, aliquis dicitur Pater non in se, sed in ordine ad aliud, idem dicendum de Actione; Quæ definitio sic potest explicari; Qualitas est accidens absolutum determinatiuum substantiæ, per modum formæ accidentalis, secundùm quam res dicuntur accidentaliter quales, ly accidens ponitur loco generis, ly absolutum ad differentiam relationis, & sex vltimorum Prædicamentorum; ly determinatiuum substātiæ per modum formæ, ad differentiam Quantitatis,

tatis, quæ etiam determinat substantiam accidentaliter; sed per modum materiæ, quia tribuit ipsi substantiæ extensionem, & capacitatem passiuam ad recipienda accidentia; quæ quidem capacitas est conueniens materiæ.

Quæritur tertio, Quid est quale?

Resp. Qualia dicuntur, quæ secundùm has denominatiuè dicuntur, vel quomodolibet aliter ab his; Quæ definitio sic intelligitur, qualia dicuntur, idest sunt, quæ secundùm has, idest abstracta, denominatiuè dicuntur, supple denominatione secundùm rem, & vocem simul, vt grammaticus à grammatica; vel quomodolibet aliter ab his, idest denominatione; quæ non est secundùm vocem, & rem simul, sed vel solùm secundùm rem, vel solùm secundùm vocem.

Notandum, quod tripliciter potest dici quale à Qualitate, primò à qualitate nominata, vt grammaticus à grammatica, logicus à logica; Secundò à qualitate innominata, vt cursor, & pugillator dicuntur quales à quadam potentia naturali currendi, & pugillandi, non denominatiuè, sed deriuatiuè; Tertiò à qualitate nominata non nomine abstracto, vt studiosus à virtute, non denominatiuè, nec deriuatiuè, sed causatiuè.

QVAESTIO I.

An Qualitas sit Genus supremum?

Aristoteles in his Prædicamentis non tradit exactam definitionem ex duplici causa, primò, quia ex professo non spectant ad logicum; secundò, quia cùm sint generalissima non facilè possunt definiri, ideò vt logicus dirigatur ad finem intentum, sufficit quæcunque simplex notificatio Prædicamentorum; pro qua sit

1. **Conclusio affirmatiua, loquendo de qualitate, vt est accidens absolutum determinatiuum substantiæ per modum formæ accidentalis, secundùm quam res dicuntur quales accidentaliter. Patet, nam prædicatur de pluribus differentibus specie, ergó est genus; dicitur supremum, quia suprà ipsam nullum datur superueniẽs genus, ergo &c.**

Obijc. primo, Nullum æquiuocum est genus, sed qualitas est æquiuocũ, vt patet ex Aristotele in hoc capite, dicente, Qualitatem esse de numero illorum, quæ multipliciter dicuntur, ergo &c.

Resp. Negando minorem. Ad probat. dicimus, quod Qualitas non dicitur multipliciter multiplicitate significatorum, sed suppositorum, idest habet plura inferiora, scilicet species, si diceretur multipliciter primo modo, vtique esset æquiuocum, ideò &c.

Obijc. secundo, Cuiuslibet generis sunt tantùm duæ species primæ, quia omnis diuisio generis est per duas differentias contrarias, sed Qualitas habet quatuor species, & nulla istarum est subalterna alteri, ergo &c.

Resp. Ad minorem, quod illæ quatuor species reducuntur ad duas, scilicet Genus Qualitatis diuiditur in dispositionem interiorem, & exteriorem; dispositio interior aut est acquisita, aut innata à natura; si acquisita, sic est prima species, scilicet habitus, & dispositio; si innata à natura, sic est secunda species, scilicet naturalis potentia, & impotentia; Dispositio exterior aut est primò sensibilis, aut nō; si primum, sic est tertia species, scilicet passio, & passibilis qualitas; si secundum, sic est quarta species, scilicet forma, & figura; & sic qualitas primò diuiditur in duas species. Vel possumus dicere, quod Qualitas diuiditur in qualitatem spiritualem, & materialem; qualitates spirituales sunt illæ, quæ conueniunt rebus spiritualibus, vt intelligere, velle: Item omnes scientiæ, virtutes, opiniones, artes &c. nam hæc omnia solùm competunt intellectui; Qualitates materiales sunt illæ, quæ conueniunt rebus materialibus, vel corporibus, vt color, frigus, sapor, sonus, siccitas &c.

Quæritur, Quot sunt species Qualitatis?

Resp. Quatuor, prima dicitur habitus, & dispositio, habitus est de difficili mobilis à subiecto, vt scientia &c. dispositio est de facili mobilis à subiecto, vt calor, frigiditas &c.

per habitum hìc non sumitur prout est quoddam Postprædicamentum, nec etiam prout est decimum Prædicamentum, vt videbitur, nec pro aliquo positiuo, cui opponitur priuatio, sed accipitur pro qualitate disponente subiectum ad faciliter operandum, & mobili difficulter à subiecto, vt scientia &c. Dispositio verò hìc sumitur non generaliter pro illa qualitate disponente subiectum, siue sit de facili mobilis, siuè nō; sed sumitur strictè, scilicet pro illa qualitate disponente subiectum, & de facili mobili; Habitus, & dispositio differunt secundùm magis perfectum, & minus perfectum; eadem enim qualitas, quę nunc dicitur dispositio, cùm est perfecta dicitur habitus; Ex his sequitur, quod omnis habitus est dispositio, sed non è contrà; vt v.g. si quis incipit dare operam logicæ, & acquirit aliqualem cognitionem, ità vt facilè obliuisci possit, hæc vocabitur dispositio; si verò acquisiuerit perfectè logicam, quæ ità fuerit impressa memoriæ, vt non nisi cum maxima difficultate deleatur, tunc dicimus, ipsum acquisiuisse habitum; In ista specie reponūtur omnes virtutes, species intelligibiles, actus potentiarum.

Secunda est naturalis potentia, & naturalis impotentia: Naturalis potentia, est quædam qualitas, seù agilitas insita à natura ad facilè operandum aut resistendum, vt vis naturalis ad currendū, aut perferendos labores, quæ facilitas non conuenit homini ab intrinseco, sed ratione temperamenti; Vndè experimur in diuersis hominibus diuersas facilitates naturales;

Na-

Naturalis impotentia est eadem potentia imperfecta ad ægrè operandū, aut resistendum, vt infirmitas, mollicies &c. illa, quæ reponuntur in ista specie, sunt habilitates, & inhabilitates existentes à natura; durum habet naturalem potentiam ad resistendum sectioni; quia difficilè secatur; Molle verò habet naturalem impotentiam ad resistendum sectioni, quia facilè secatur, ideò &c.

Tertia species est passio, & passibilis qualitas; Passio est qualitas citò transiens, vt rubedo propter verecundiam, dicitur passio, quia sensus aliquid patitur ab illis qualitatibus recipiendis; Passibilis qualitas est eadem qualitas in subiecto radicata, & firmiter inhærens, vt eadem rubedo radicata in vultu à natura: In ista specie reponuntur omnes qualitates sensibiles, siuè sint primæ, siuè secundæ, siuè neutræ, & qualitates appetitus sensitiui, vt verecundia, dolor, timor &c. Qualitates primæ sunt illæ, quæ ordinantur ad generationem, & corruptionem, vt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas; dicuntur etiam elementares, quia ab elementis habent originem: Qualitates secundę sunt illę, quæ ab istis fiunt, vt sapor, odor, color, &c. nam istæ insurgunt ex diuersa mixtione primarum qualitatum; Qualitates neutræ sunt illæ, quæ neq; à primis, neque à secundis dependet, & possunt esse illis priores, & posteriores secundum diuersam rationem, vt lumen, sonus &c. & dicuntur neutræ illæ qualitates, quas nominamus spirituales.

Quarta species est figura, & forma; Figura est qualitas resultans ex varia terminatione quantitatis considerata sine corpore, vt triangulus dicitur figura, quatenùs resultat ex terminatione trium linearum ad tres angulos conficiendos, prout intelligitur esse in nullo corpore; Forma est speciositas eiusdem figuræ, ex quo patet, quod forma, & figura differunt tantùm accidentaliter, nam triangulus dicitur figura, quatenùs concipitur præcisè esse in Quantitate; dicitur forma quatenus concipitur esse in corpore, ideo &c.

QVAESTIO II.

An species Qualitatis sint sufficienter enumeratæ?

CONclusio affirmatiua. Est Aristotelis in hoc cap. diuidentis qualitatem in istas quatuor species; ergò sufficienter enumerantur.

Obijc. primo, Habitus est Prædicamentum per se distinctum à Qualitate, & ab alijs, ergò non est species Qualitatis.

Resp. Distinguendo antecedens, habitus, qui est respectus est Prædicamentum distinctum, concedo; habitus, qui est qualitas, nego; nam habitus primo modo est respectus indumenti ad rem vestitam, secundo modo est qualitas, ideo &c.

Obijc. secundo, Naturalis potentia est idem realiter cum eo, cuius est potentia, vt intellectus cum homine, ergò est in illo Prædicamento, in quo est suum subiectum, & consequenter

ter non in hoc Prædicamento.

Resp. Disting. antecedens, potentia simpliciter, quæ est intellectus, concedo; potentia pro agilitate, nego; nam potentia pro agilitate est quoddam accidens superadditum à natura, & est qualitas de secunda specie.

Obijc. tertio, Passio est aliud Prædicamentum distinctum à qualitate, ergò non est species Qualitatis.

Resp. Disting. antecedens, passio, vt est effectus, vel respectus prouenien s ab Actione, est Prædicamentum distinctum, concedo; vt est entitas accidentalis manens, & sensus afficiens, nego; nam passio, vt est qualitas afficiens sensus, est qualitas de tertia specie.

Obijcitur quarto, Figura est quantitas, vt patet de triangulo, & quadrangulo, ergò non est species qualitatis. Item forma reperitur in omnibus Prædicamentis, ergo &c.

Resp. Disting. antecedens, materialiter, seù fundamentaliter, concedo; formaliter, nego; nam figura formaliter est qualitas fundata suprà Quantitatem. Ad aliud dicimus, quod forma pro pulchritudine spectat solùm ad Qualitatem; per formam non intelligitur illa forma accidentalis informans subiectum, vt color &c. qui ponitur in tertia specie Qualitatis, sed intelligitur illa debita commensuratio partium, secundùm quam aliquis dicitur formosus.

Quæritur, Quot sunt proprietates Qualitatis?

Resp. Tres, prima, Qualitati inest contrarietas; secunda, Qualitas suscipit magis, & minus; tertia, Proprium est Qualitati secundùm eam simile, & dissimile dici.

QVAESTIO III.

An Proprietates Qualitatis sint rectè assignatæ?

PRima conclusio. Prima proprietas est recta, in qua dicitur, Qualitati inest contrarietas; probatur inductiuè sic dicendo, iustitia contrariatur iniustitię, caliditas frigiditati, albedo nigredini, ergo qualitas habet contrarium. Not. quod contrarietas hic sumitur pro repugnãtia duorum se mutuò expellentiũ siuè actione propria, vt primæ qualitates, siuè non, vt iustitia, & iniustitia, albedo, & nigredo; Iniustitia tripliciter sumitur, primò negatiuè, & idem est ac non iustitia, & sic opponuntur contradictoriè; secundò priuatiuè pro negatione iustitiæ in subiecto apto, & sic opponuntur priuatiuè; tertiò contrariè, & sic importat habitum oppositum habitui iustitiæ, & sic dicatur de omnibus huiusmodi terminis, hæc proprietas non conuenit omni qualitati, quia non conuenit medijs coloribus, vt viridi, rubro &c. nec etiam qualitatibus quartæ speciei.

Secunda conclusio. Secunda proprietas est recta, in qua dicitur, Qualitas suscipit magis, & minus. Patet, nam album dicitur magis, & minus album; calidum, magis, & minus calidum; iustum, magis, & minus iustũ, ergò

ergò qualitas suscipit magis, & minus. Notandum, ista proprietas non conuenit qualitati in abstracto, sed in concreto, ideò Aristoteles dicit, *Suscipiunt qualia magis, & minus*, vbi loquitur de quali in concreto; nam albedo sic in abstracto sumpta non est magis albedo nunc, quàm priùs, nec est magis albedo vna, quàm alia, sed est indifferens ad omnem gradum; Suscipere magis, & minus est ipsum habere plures gradus, seù partes perfectionales, quæ sunt eiusdem rationis inter se, & cum illo, quod suscipit magis in eodem loco, & situ se inuicem penetrantes; Ista proprietas non conuenit Qualitati quarto modo quia etia conuenit Actioni,& Passioni,tùm etiam quia non conuenit qualitatibus quartæ speciei.

Tertia conclusio. Tertia proprietas est recta, in qua dicitur, Proprium est Qualitati secundùm eam simile,& dissimile dici. Patet, quia solùm secũdùm qualitatem aliquod dicitur simile,& dissimile,& non secundùm aliud. Notandum, quod ly secundum, in ista proprietate dicit circumstantiam fundamentalem, non formalem,quia formaliter non dicimur similes secundùm qualitatem,sed similitudine dicimur similes formaliter; fundamẽtaliter verò dicimur similes secundùm qualitatẽ,quia similitudo solũ fundatur in qualitate, & sensus est, Proprium est Qualitati secundùm eam simile,& dissimile dici, idest qualitas est ratio, & fundamentum, mediante quo aliqua dicuntur similia, & dissimilia, & ideò illa,quæ nõ habent Qualitatem, non dicuntur similia.

DE SEX ALIIS PRAEDICAMENTIS.

Quæritur, Ista Sex Prædicamenta sunt nè entitates absolutæ, vel respectiuæ?

Resp. Sunt entitates respectiuæ extrinsecùs aduenientes; prima pars patet, quia solùm tria Prædicamenta sunt absoluta, scilicet Substantia, Quantitas, & Qualitas, ergò reliqua Prędicamenta sunt respectiua. Secunda pars etiam patet, quia non insurgunt positis extremis in quacunque distantia, sed requiritur debita approximatio, alioquin non insurgit relatio, vt patet in disp. de Relatione.

De Actione, & Passione.

Quæritur, Quid est Actio, quid Passio?

Resp. Actio est respectus extrinsecùs adueniens Agentis ad Passum, vt respectus ignis calefacientis ad lignum transmutatum; Passio est respectus extrinsecùs adueniens patientis ad Agens, à quo transmutatur.

Notandum, tres esse proprietates Actionis,& Passionis,quarum prima, Actio, & Passio habent contrarium, vt calefacere contrariatur frigefacere, & calefieri frigefieri; secunda, suscipiunt magis, & minus, vt calefacere dicitur magis, & minus calefacere; tertia, Actio habet inferre Passionem, vt calefactio habet inferre calefactionem in ligno, & Passio habet inferri

ab

ab Actione, vt lignum calefactum infertur ad calefacere. Notandum etiam, quod istæ proprietates conueniunt ipsis ratione fundamenti, ideſt ratione Qualitatis, in qua fundantur, & ſemper generantur cum motu.

De Quando, & Vbi.

Quæritur, Quid eſt Quando, & quid eſt Vbi?

Reſp. Quando eſt reſpectus extrinſecùs adueniens temporis ad rem exiſtentem in eo, ſeù ad rem temporalem, quam menſurat, vel è contrà, eſt reſpectus rei temporalis ad tempus; habet hoc Prædicamentum tres ſpecies ſubalternas, ſcilicet Præſens, Præteritum, & Futurum, & multas alias ſpecies infimas, vt hora, dies, menſis, annus &c. habet tres proprietates, quarum prima, Quandò non habet contrarium, vt hodie non eſt contrarium heri; ſecunda, Quandò nõ ſuſcipit magis, & minus, cùm nullum cras eſt magis cras, quam aliud, nec nullum hodie eſt magis hodie, quàm aliud; tertia, Quandò eſt in omni eo, quod incipit eſſe in tempore, ideſt competit tantùm rebus corruptibilibus, & hæc eſt vera proprietas iſtius Prædicamenti, aliæ duæ dicuntur communitates.

Dices, Deus numquam incepit eſſe, ſed de ipſo Deo verificatur Quando, vt ſi quæratur; quãdo Deus creauit Adam, ergo &c.

Reſp. Negando minorem. Ad probationem dicimus, quod ſi Quãdo applicetur Deo, tunc eſt tantùm per noſtrum modum intelligendi, & dicitur Quandò imaginarium.

Vbi eſt reſpectus extrinſecùs loci ad locatum, vel è contrà; habet quatuor ſpecies ſubalternas, ſcilicet Surſum, & Deorſum, Antè, & Retrò; habet duas proprietates; prima, Vbi non habet contrarium, loquendo de contrarietate propriè dicta, nam licèt ſurſum, & deorſum videantur eſſe contraria, non tamen propriè, ſed ſicùt differentiæ eiuſdem generis, Surſum, & deorſum propriè ad Vbi non ſpectant, ſed ſunt differentiæ loci, de quo hìc non agitur; ſecunda, Vbi non ſuſcipit magis, & minus, ideſt non recipit intentionem, & remiſſionem, cũ nullum Vbi videatur magis, vel minus alio, licèt aliquando maius, vel minus.

De Situ, & Habitu.

Quæritur, Quid eſt Situs, & quid Habitus?

Reſp. Situs eſt ordo partium alicuius totius ad partes loci; ſumitur hìc Situs pro ordine partium alicuius corporis locati ad locum, ſecundùm quod aliquæ partes ſunt locatæ ſurſum, & aliquæ deorſum, vt caput, pes &c. Notandum, quòd poſitio de genere Quantitatis differt à poſitione huius Prædicamenti, quia poſitio de genere Quantitatis nihil aliud eſt, niſi partes ipſæ permanentes, & extrà ſeipſas exiſtentes; poſitio verò huius Prædicamenti eſt ordo ipſarum partium inter ſe, & in ordine ad locum. Habet tres proprietates; prima, Situs

non habet contrariũ propriè, sed impropriè, quia fundatur in Quantitate; secunda, non suscipit magis, & minus; tertia, Situs inhæret proximè substantiæ, quia partes fundantur in substantia, & sunt substantię, sed Situs immediatè sequitur partes, ergò Situs proximè inhæret substantiæ.

Habitus est respectus extrinsecùs adueniens alicuius habitus ad rem habituatam, vt v.g. respectus tunicæ ad hominẽ tunicatum. Notandum, quod Habitus non sumitur hic pro prima specie Qualitatis, neque pro forma debita alicuius potentiæ, vt visus est habitus oculi; neque pro veste sic, & sic figurata, & colorata; sed sumitur pro quodam accidente, quod consurgit ex veste, & homine vestito. Habet tres proprietates, prima habitus suscipit magis, & minus impropriè, non propriè, vt aliquis potest esse magis, vel minus armatus, & vestitus esse; secunda, non habet contrarium, vt vestitum esse non contrariatur ad armatum, vel calceatum esse; Notandum, quod suscipere magis, & minus hic accipitur impropriè pro quacumq. additione, vel diminutione, aliter haberet quoq. contrarium. Tertia, habitus semper est existens in pluribus, scilicet in habẽte, & in re habita, vt est in homine, vt est in subiecto, & in veste, vt in termino, vel è contrà.

De Postprædicamentis.

Quæritur primo, Quid est Postprædicamentum?

Resp. Est documentum quoddam sequens determinationem Prædicamentorum, valens à posteriori ad eorum perfectam notitiam habendã. Postprædicamenta sunt quinq. scilicet Oppositio, Prius, Simul, Motus, & Habere.

De Oppositione.

Quæritur, Quid est Oppositio, & quotuplex sit?

Resp. Oppositio est repugnantia aliquorum habentium inter se aliquã incompossibilitatem, quæ oppositio est quadruplex, scilicet Relatiua, Priuatiua, Contraria, & Contradictoria.

Oppositio relatiua est repugnantia eorum, quę hoc ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur, idest est repugnantia inter relatiuum, & correlatiuum, vt Pater, & Filius dicuntur opponi relatiuè, quia vnus excludit alterum, nam Pater in eo quod Pater non potest esse Filius, & Filius in eo quod est Filius non potest esse Pater.

Oppositio priuatiua est repugnantia inter formam, & priuationem respectu vnius, & eiusdem subiecti, vt cæcitas, & visio respectu potentiæ visiuæ, lux, & tenebræ.

Oppositio contraria est repugnantia duarum formarum positiuarum se inuicem expellentium ab eodem subiecto, vt calidum, & frigidum; & intelligitur de formis oppositis in esse summo, non in remisso, nam in remisso optimè se compatiuntur in eodem subiecto, vt patet in aqua tepida.

Oppositio contradictoria est repugnantia eiusdem ad idem, & secundùm idem; dicitur ad idem, quia si nõ est ad idem, non erit contradictio, vt

Petrus currit, & Antonius non currit; dicitur, secundùm idem; quia nisi affirmatio, & negatio fiant secundùm eamdem rationem, non erit contradictio, vt Petrus currit cum pedibus, & Petrus non currit cum manibus; nam licèt sit ad idem, tamen non est secundùm idem, idest secundùm eamdem rationem, sed secundùm diuersam, scilicet manibus, & pedibus; Notandùm etiam, quod oppositio contradictoria numquàm potest habere medium.

QVAESTIO VNICA.

An à priuatione ad habitum, idest à cæcitate ad visum possit dari regressus?

PRima conclusio. Datur naturaliter regressus, quandò priuatio tollit solum actum, non verò potentiam; Patet, nam qui in somno detinetur habet priuationem actus videndi, ad quem naturaliter redit postquàm fuerit à somno excitatus, ergò naturaliter potest dari regressus hoc modo.

Secunda conclusio. A priuatione ad formam eiusdem speciei potest fieri naturaliter mediatus regressus, licèt priuatio tollat actum, & potentiam simul. Patet, nam mortuo homine fit cadauer, quod potest in plantam conuerti, ex planta nascentur fructus, quibus homo nutrietur, & quos primò conuertit in sanguinem, deindè in semen, vt postea ex eo generet alium hominem, ergò potest fieri naturaliter mediatus ille regressus à priuatione ad formam eiusdem speciei, licèt priuatio tollat actum, & potentiam simùl: non tamen potest fieri immediatus regressus, aliter naturaliter posset fieri ex mortuo viuens, ex cæco videns, ex surdo audiens, quod est impossibile.

Tertia conclusio. Supernaturaliter potest fieri regressus à priuatione ad formā non solū eiusdē speciei, sed etiā ad formā eamdem numero. Patet, nā credimus, Christū Dominū cæcis visū restituisse, ergò à priuatione visus ad eumdē visum in specie factū fuisse immediatè regressū. Itē dicimus cū Fide Catholica animas nostras in extremo die Iudicij esse resumpturas idē corpus numero, ergò illa corpora à priuatione suæ animæ ad recuperationem eiusdem animæ numerò esse reditura.

De Priori.

Quæritur, Quot modis dicitur Prius? *Resp.* Quinque modis, scilicet, Prius Tempore, Natura, Ordine, Dignitate, & Causalitate.

Prius tēpore est, quo vnū præcedit alterū tēpore, vt Sinagoga præcessit Ecclesiā per longū tēpus. Prius natura est duplex vel secundū existendi cōsequentiā, vel secundùm causalitatem; prius natura secundū existendi consequentiā est quando existētia vnius infert existentiā alterius, & non ē cōtra, illud quod infert existentiā alterius dicitur posterius, & illud, quod infertur, dicitur prius, vt numerus ternarius infert existentiā numeri binarij, & non è contrà; ideò numerus binarius dicitur prius hoc modo, & numerus ternarius

natius dicitur posterius. Prius natura secundum causalitatem est eorum, quorum vnum est causa alterius, quod dicitur causa vocatur prius, vt rationale respectu risibilitatis, Sol illuminationis. Prius ordine est eorum, quorum vnũ præcedit alterum ordine, vt in grammatica litteræ sunt priores syllabis; in sciẽtijs principia sũt priora cõclusione; & in oratione exordiũ præcedit narrationẽ. Prius dignitate est eorum, quorum vnum dicitur prius altero dignitate, vt Dux ciuibus, Dominus seruis.

De Simul.

Quæritur, Quot modis dicitur Simul?

Resp. Tribus modis, Tempore, Natura, & Diuisione; Simul tempore est eorum, quæ generantur eodem tempore, vt duo homines in eodẽ instanti nati, vel interueniunt eodem tempore, vt si quis eodem tempore currit, & cantat; cantus, & cursus dicentur simul tempore, & hoc modo etiã sunt simul tempore rationalis, & risibilis. Simul natura est eorũ, quæ inter se reciprocantur, vt homo, & animal rationale; vel eorum, quæ mutuò se consequuntur, & vno posito, ponitur & reliquũ, tamen vnum non est causa alterius, vt relatiua Pater, & Filius; Nec vos cõturbet audiuisse vnum non esse causam alterius, quia Pater, non est causa Filij quatenùs Pater, sed quatenùs homo est, vel Pater non est causa Filij formaliter, sed materialiter. Simul diuisione est eorũ, quæ æqualiter diuidunt genus, vt rationale, & irrationale dicuntur esse simul hoc modo, & cũ hac simultate potest stare prioritas perfectionis, vt rationale est perfectius irrationali.

De Motu.

Quæritur, Quot sunt species Motus?

Resp. Sex, scilicet, Generatio, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, Alteratio, & secundùm locum mutatio. Generatio est transitus de non esse ad esse. Corruptio est transitus ab esse ad non esse; Augmentatio est acquisitio maioris quãtitatis; Diminutio est quãtitatis minoramentum; Alteratio est mutatio de vna qualitate in aliam, vt de albedine in nigredinem; Secundum locum mutatio, seù motus localis est motus de vno loco ad alium locum.

De Habere.

Quærit. Quot modis dicitur Habere?

Resp. Multipliciter; primum dicitur habere qualitatẽ siuè in anima, vt sciẽtia, siuè in corpore, vt color; secundum dicitur habere quantitatẽ, vt habere magnitudinem; tertium dicitur habere ea, quæ circa corpus sunt; quartum dicitur habere aliquod in membro, vt annulum in digito; quintum dicitur habere membrum, vt manum, &c. sextum dicitur habere contentum, vt dolium habet vinum; septimum dicitur habere possessionẽ, vt domum, & c. octauum dicitur habere vxorem, vt vir habet vxorem, & iste modus alienatur ab alijs, quia qui habet habetur.

Quæritur, Quomodò cognitio Postprædicamentorum valet ad cognitionem Prædicamentorum?

Resp. Quod Aristoteles in Prædicamentis sæpè dicebat nonnulla Prædicamenta habere contrarium; aliquam substantiam esse primam, &

aliquam secundam; prius esse scibile ipsa scientia; relatiua esse simul natura; ideò ad eorum perfectam cognitionem debemus scire quot modis dicitur Oppositio, Prius, Simul, Motus, & Habere.

DISPVTATIONES
IN LIBROS POSTERIORVM ANALYTICORVM.

QVAERITVR primo, Quare inscribuntur Libri Posteriorum Analyticorum?

Resp. Quod dicuntur Posteriores, quia ponuntur post Libros Priorum; dicuntur Analytici gręcè, quod latinè sonant resolutorij, quia docent nos resoluere conclusionem in principia.

Dices, Libri Priorum etiam docent resoluere cõclusiones in sua principia, ergò nullum est discrimen inter Libros Priorum, & Posteriorum.

Resp. Disting. antecedens, quoad formam, & materiam vniuersalem, concedo; quoad materiam particularem, & necessariam, nego; nam Libri Priorum dicuntur Analytici, idest resolutorij, quatenùs docent resoluere cõclusiones in principia quoad formã, & materiam vniuersalem, idest quoad modum, & figuram, quæ posteà contrahitur ad triplicem materiam, scilicet necessariam, probabilem, & apparentem; Libri verò Posteriorum dicuntur Analytici, idest resolutorij, quoad materiam particularem, scilicet necessariam; ideò distinguuntur.

Not. quod licèt doceant etiam cõponere syllogismum, tamen quia contemplatio exactior consistit in examine distincto cuiuscunque partis, ideò potiùs ex resolutione, quàm ex compositione appellandi sunt.

Not. etiam, quod Libri Posteriorum supponunt formam syllogismorum, vt notam in præcedentibus, & vt sic notam recipiunt, quia non est possibilis consideratio materiæ sine forma ex 2. Phys. ideò &c.

Quæritur secundo, Cur Aristoteles priùs egit de Libris Priorum, quàm de Libris Posteriorum?

Resp. Ad seruandum ordinem doctrinæ; Patet, nam passiones ordine doctrinæ priùs demonstrantur de cõmuni, quàm de particulari; sed hæc passio, v. g. inferre conclusionem est passio syllogismi, ergò priùs demonstratur de syllogismo in communi, quàm de particulari; sed syllogismus in Libris Priorum est syllogismus in cõmuni, in istis Libris est particularis, seù demonstratiuus, ergo &c. Itẽ notiora sũt priùs tradẽda ordine doctrinę, quã minùs nota, sed syllogismus in communi est notior demonstratiuo, quia est vniuersalior, & vniuersaliora sunt notiora nobis, ergò &c.

Quæritur tertio, An isti Libri sint præstantiores cæteris?

Resp. Affirmatiuè; Patet, nam in istis Libris agitur de demonstratione, quæ

quæ parit scientiam, sed scientia est præstantior omnibus alijs cognitionibus, ergò &c.

Dices, Scientia de vniuersalibus est nobilior ea, quæ est de particularibus, sed scientia in Libris Priorum est de syllogismo in vniuersali, hæc est de syllogismo particulari, scilicet demonstratiuo, ergò &c.

Resp. Disting. maio. quæ est de particularibus, concedo; de minus vniuersalibus, nego; nam &c. Vel secundò dicimus, quod est nobilior quoad extensionem; & continentiam potentialem, non autem quoad obiectum. Item nobilitas scientię sumitur ex parte finis, & quia omnes partes Logicæ ordinantur ad hanc partem, tamquàm ad potissimum finem, sequitur &c.

Quæritur quarto, Quænam est intentio Aristotelis in Libris Posteriorum?

Resp. Quod eius intentio in primo libro est agere de natura, Principijs, Conditionibus, & speciebus demonstrationis; in secundo de eius medio, quod est definitio; Diuiduntur isti Libri in tres Disputationes; in prima de Præcognitionibus Principiorum Demonstrationis; in secunda de Ipsa Demonstratione, & eius Speciebus; in tertia de Effectu Demonstrationis, quod est ipsum scire.

QVÆSTIO VNICA.

An Syllogismus demonstratiuus sit subiectum in istis Libris?

Conclusio affirmatiua. Est communis. Probatur, nā habet primam conditionem subiecti, scilicet, quid, & quia; nam est ens, & definitur in principio huius libri; habet secundam, scilicet passionem, quæ est parere scientiam; habet tertiam, quia omnia considerata in hac scientia reducuntur ad demonstrationem; nam in primo libro Philosophus agit de principijs demonstrationis, vt patet discurrendo, in secundo de eius medio; ergò cùm demonstratio habeat omnia requisita ad subiectum, sequitur quod sic statuitur.

Obijc. primò, Illud est subiectum adæquatum in aliqua scientia, quod complectitur omnia cōsiderata in illa scientia, sed demonstratio non est huiusmodi, ergò &c. minor patet, nam in secundo libro Aristoteles agit de definitione, quæ non comprehenditur sub demonstratione, ergò &c.

Resp. Negando min. Ad probat. dicimus, quod Philosophus agit de definitione in ordine ad demonstrationem.

Dices, De definitione, vt medium in demonstratione, egit in primo libro, dùm egit de principijs demonstrationis, quia dùm docet talia principia, exponit etiam naturam medij termini, ergò in secundo sub alia ratione agit, scilicet, sub ratione instrumenti.

Resp. Disting. antecedens, implicitè, concedo; explicitè, nego; nam in primo libro dùm agit de principijs, scilicet, de præmissis necessarijs, immediatis &c. egit etiam implicitè de medio; in secundo libro egit explicitè de definitione, vt medium.

Dices, Cognitio, quæ habetur per definitionem, est nobilior ea, quæ ha-

betur per demonstrationem, ergò illa non ordinatur ad istam, sed potiùs è contrà. Antecedens patet, nam per definitionem scimus quid sit, per demonstrationem quale sit, vel quæ sint eius proprietates, sed nobilius est scire quid, quàm quale ex 7. Meth. tex. 4. ergò &c.

Resp. Negando antecedens. Ad probat. dicimus, quod per demonstrationem scimus quid, & quale; nam in ipsa demonstratione includitur definitio, & cognitio causarum, & proprietatum.

Obiic. secundo, Demonstratio est quoddam aggregatum per accidens, quia constat ex terminis, propositionibus, & conclusione, quæ nõ faciunt vnum per se, ergò non est subiectum. Consequentia sequitur, quia subiectum debet esse vnum per se.

Resp. Negando antecedens. Ad probat. dicimus, quod omnia ista ad inuicem ordinantur, tamquàm causa ad suos effectus. Vel disting. antecedens, primò intentionaliter, concedo; secundò intẽtionaliter, nego; nam &c.

Obiic. tertio, De demonstratione non habetur scientia, ergò non potest esse subiectum. Antecedẽs patet, nam si sic, ergò per alia; tunc quæro de illa alia, & sic in infinitum, ergò &c.

Resp. Negando antecedens. Ad probat. dicimus, quod de demonstratione habetur scientia non per aliam demonstrationem, sed per seipsam diuerso modo consideratam; nam ipsa demonstratio quoad illationem conclusionis, & euidentiã præmissarum est nota non ex alia demonstratione, sed ex terminis lumine intellectus; quoad alias passiones syllogismi in communi non est nota, sed notificatur ab eadem cognitione syllogismi in communi, quia, quod est notum de communi, est etiam notum de particulari; in quantùm syllogismus demonstratiuus continetur sub communi, & sic de demonstratione quoad istas passiones habetur scientia per ipsammet demonstrationem, vt notam primo modo; & consequenter hoc modo datur status, & non datur processus in infinitum.

Not. discrimen inter subiectum totale, & partiale; subiectum totale nihil aliud est, nisi conclusio syllogismi demonstratiui; subiectum partiale est subiectum illius conclusionis; & hoc est quod cõmuniter dicitur, quod duplex est scibile, scilicet totale, & partiale; totale est ipsa conclusio, seù res significata per ipsam; partiale est subiectum illius conclusionis, seú res significata per illud subiectum, ex Tatareto lib. 1. q. 1. ar. 2. dub. 1.

DISPV-

DISPVTATIO PRIMA

DE PRAECOGNITIONIBVS.

QVÆSTIO I.

An omnis doctrina, & omnis diſciplina fiat ex præexiſtenti cognitione?

ARiſtoteles acturus de natura, principijs, & proprietatibus ſcientiæ proponit ea, quæ ſunt neceſſariò cognoſcenda antè ipſam ſcientiam; & vniuerſaliter pro quacumque facultate diſcurſiua præmittit præpoſitam propoſitionem, *Omnis doctrina* &c. per hanc particulam, *Omnis doctrina*, excludit opinionem Academicorum, ſcilicet Heracliti, Cratuli &c. qui poſuerunt omnia ignorare, & nullam eſſe doctrinam, quia exiſtimabant omnes res eſſe ſingulares, & in continuo fluxu, & conſequenter de eis nullam eſſe ſcientificam cognitionem, ac immutabilem; & per hanc particulam, *fit*, excludit opinionẽ Platonicorum, qui aſſerebant, ſcire noſtrum eſſe quoddã reminiſci &c. nam illud, quod fit, de nouo acquiritur, ſi doctrina fit in nobis, ergò de nouo acquiritur. Doctrina & diſciplina in re idem ſignificant, ſcilicet illam notitiam cõcluſionis ſyllogiſmi demõſtratiui. differunt tamen ſecundùm rationem; nam dicitur doctrina, prout eſt in docente, vel ab ipſo procedit; dicitur diſciplina, prout recipitur in diſcipulo; Vndè ſenſus illius propoſitionis eſt, quod quæcumque ſcientia ſiuè ſit in Doctore, & per propriam inuentionem, ſiuè in diſcipulo, ità vt ipſa ab alio ei tradatur ſemper ſupponit aliam cognitionẽ. Cognitio duplex eſt, ſcilicet ſenſitiua, & intellectiua; prima eſt illa, quam habet potentia ſenſitiua de obiecto ſenſibili ſibi præſente, vt ſi potentia eſt interior, tunc eſt cognitio, quam habet phantaſia de phantaſmate; ſi eſt exterior, tunc eſt cognitio, quã habet potentia viſiua, v. g. de colore; ſecunda cognitio eſt illa, quam habet potentia intellectiua de obiecto intelligibili ſibi præſente in ſe, vel in ſua ſpecie, vel in ſpecie alterius ipſum virtualiter cõtinente, vt cognitio de animali in ſe, vel in ſua ſpecie, vel in homine; & hæc cognitio eſt duplex, ſcilicet complexa, & incomplexa; prima eſt duplex, ſcilicet cognitio principiorum, ſeu præmiſſarum, & cognitio concluſionum; ſecunda eſt cognitio terminorum. Hic non loquimur de ſcientia Dei,

ſiuè

siuè Angelorum, an fiat ex præexistenti cognitione, nec etiam de scientia infusa homini, sed de scientijs, quas homines labore, & exercitio sibi acquirunt. His positis sit

Conclusio affirmatiua. Patet ex Aristotele in textu, vbi probat inductiuè hanc proppositionem; nam cognitio intellectiua complexa conclusionis fit ex præexistēti cognitione intellectiua principiorũ, & cognitio principiorũ ex cognitione incomplexa terminorum; & hic datur status in cognitione intellectiua; & cognitio intellectiua incomplexa fit ex præcedenti cognitione sensitiua sensuum internorum; & cognitio sensitiua interior fit ex cognitione sensitiua exteriori; Vndè incipientes ab initio cognitionis sic proceditur; nam primò obiectum cognoscibile se præsentat sensibus externis, vt color visui, sonus auditui &c. deindè sensus visus, v.g. præsentat ipsum obiectũ sensibus internis, scilicet sensui communi, imaginatiuæ, phantasiæ &c. posteà intellectus primò illud simpliciter apprehendit prima operatione; secundò circà ipsum componit, & diuidit, & tertiò succedit discursus, & sic ex quacumque parte incipiamus non proceditur in infinitum, & consequenter est vera illa propositio.

Obijcitur primo, Sicut se habet sensus ad sensibilia, ità intellectus ad intelligibilia, sed sensus percipit obiectum de nouo sine præexistenti cognitione, ergò &c.

Resp. Negando paritatem, ratio est, quia obiectum sensus est proportionatum sensui, obiectum verò intellectus cùm sit inuolutum multis conditionibus indiuiduantibus, & sensibilibus non est proportionatum intellectui, ideò necesse est, vt depuretur illud phantasma per intellectum agentem ad hoc, vt illud obiectum proportionetur intellectui possibili. Vel secundò dicimus, quod paritas non valet, quia intellectus semper præsupponit sensum, non sic sensus præsupponit intellectum, vel aliam potentiam.

Dices, Si sic, ergò erit processus in infinitum in cognitionibus. Consequentia sequitur, quia cognitio fieret ex alia, & alia ex alia, & sic in infinitum, ergò &c.

Resp. Negando sequelam. Ad probationem dicimus, quod in cognitione intellectiua datur status in cognitione intellectiua terminorum; & in cognitione sensitiua datur status in cognitione sensitiua externa, vt patet in conclusione.

Obijc. secundo, Cognitio primorum principiorum est verè scientia; sed illa non fit ex alia, quia ipsa principia sunt per se nota, ergò &c.

Resp. Ad maiorem, quod talis cognitio non est propiè scientia, sed intellectus, & talis cognitio fit ex cognitione terminorum, ideò &c.

Dices, Intellectus ex se est tanquàm tabula rasa, in qua nihil est depictum, ex tertiò de Anima, ergò saltem in ipso debet dari aliqua prima cognitio intellectiua, quæ non fiat ex alia.

Resp. Concedendo consequentiam; nam talis prima cognitio intellectiua est cognitio simplex terminorum,

in

in qua datur ſtatus in cognitione intellectiua.

QVAESTIO II.

An tantùm duæ ſint præcognitiones principiorum ingredientium demonſtrationem?

PRæcognitio (prout ad præſens ſpectat) eſt notitia intellectualis actualiter, vel habitualiter requiſita ad habendam ſcientiam de aliqua concluſione per demonſtrationem, vt cognitio dignitatis, ſubiecti, & paſſionis. Principia demonſtrationis ſunt tria, vnum complexum, vt dignitas, & duo incomplexa, vt ſubiectum, & paſſio; nomine dignitatis non intelligitur vna tantùm propoſitio proxima, vel remota, ſed id, ex quo infertur concluſio, quod in demonſtratione ſunt duæ præmiſſæ; pro qua ſit

Concluſio. Duæ ſunt præcognitiones, ſcilicet, quia eſt, & quid eſt: Eſt Ariſtotelis in textu 2. dicentis, *Dupliciter eſt autem præcognoſcere*, ſcilicet, quia eſt, & quid eſt. Probatur ratione, antè demonſtrationem tria neceſſariò occurrunt, ſcilicet, Dignitas, Subiectum, & Paſſio; ſed de dignitate præcognoſcitur quia eſt, de paſſione quid, de ſubiecto quid, & quia, ergò duæ præcognitiones.

Obijc. primò, Quot ſunt præcognita, tot debent eſſe præcognitiones, ſed præcognita ſunt tria, vt in ſequenti quæſtione, ergò &c. Maior patet, quia præcognitio enumeratur ad enumerationem præcognitorum, ſicut accidens denominans ſubiectum enumeratur ad enumerationem ſubiecti: Item præcognitio refertur ad præcognitum, nam præcognitio eſt rei præcognitæ præcognitio, ergò &c.

Reſp. Negando maiorem. Ad probationem dicimus, quod præcognitio non eſt in præcognito tamquàm in ſubiecto, ſed in præcognoſcente, ideò non debet enumerari ad enumerationem præcognitorum, ſicut accidens. Ad alium dicimus negando conſequentiam, nam Pater refertur ad Filium, tamen non ſequitur, quot ſunt Filij, tot debent eſſe Patres, vt dictum eſt in Diſp. de Relatione, ità dicendum in caſu &c.

Obijcitur ſecundò, Quot ſunt quæſtiones, tot præcognitiones, ſed quæſtiones ſunt quatuor ex ſecundo Poſt. ſcilicet, an ſit, quid ſit, propter quid ſit, & qualis ſit, ergò &c. Maior patet, quia quæſtio præſupponit præcognitionem, nam quæſtio aliud quærit, & aliud ſupponit, ergò quatuor quæſtiones requirunt quatuor præcognitiones.

Reſp. Negando maiorem. Ad probationem dicimus, quod præcognitiones iſtarum quatuor quæſtionum reducuntur ad illas duas, & ſic ſpecificè quatuor ſunt præcognitiones, & duæ genericè, ideò &c.

Dices,

Dices, Quia est, & quid est sunt quæstiones, vt patet ex secundo Posteriorum, ergò non sunt præcognitiones.

Resp. Quod quia est, & quid est diuerso modo sunt quæstiones, & præcognitiones; nam quia dignitatis est præcognitio, quia conclusionis est quæstio; quid subiecti est quæstio in demonstratione quia, & est præcognitio in demonstratione propter quid.

Obijcitur tertiò, De subiecto præcognoscitur quid rei, de Passione, quid nominis, de dignitate quia est, ergò tres præcognitiones.

Resp. Negando consequentiam; nam quid rei, & quid nominis non faciunt diuersas præcognitiones, & Aristoteles in textu comprahendit vtrumque quid sub vna præcognitione generali.

Obijcitur quartò, Sicut res habet quid, ità etiam habet quale, & quantum, sed de subiecto non præcognoscitur nec quale, nec quantum, ergò nec quid, & consequenter vna est præcognitio, nempè, quia est.

Resp. Negando consequentiam; nam passio non ostenditur de subiecto per quale, aut per quantum, sed per quid est, ideò debet precognosci quid est, non autem quale est, aut quantum.

QVAESTIO III.

Quot sunt præcognita?

Præcognitum nihil aliud est, nisi id, de quo aliquid præcognoscitur; Vndè ea dicuntur præcognita, quorum cognitio est necessaria demonstrationi, itaut demonstratio sine cognitione eorum non possit procedere; duo enim concurrunt ad demonstrationem, scilicet, quæstio, quæ proponitur demonstranda, vt v. g. an homo sit risibilis; secundum, principia tam propinqua, quàm remota; principia propinqua sunt præmissæ; remota sunt illa prima principia, scilicet *Impossibile est duo contradictoria esse simul vera*; *De quolibet est verum affirmare, vel negare*; & ex veritate illorum principiorum prouenit, vt principia propinqua, scilicet præmissæ, probent quæstionem; talia principia dicuntur dignitates; quæstio (mutata forma) fit conclusio, pro qua fit.

Conclusio. Tria sunt præcognita, scilicet, dignitas, subiectum, & passio; dignitas sunt præmissæ, ex quibus infertur conclusio; subiectum est illud, de quo passio prædicatur in conclusione, & de quo eius definitio prædicatur in minori; Passio est prædicatum conclusionis, & maioris. Patet conclusio ex communi sententia Interpretatum Aristotelis.

Secun-

Secundò patet ratione, Tot sunt præcognita, quot sunt ea, de quibus in demonstratione aliquod debemus cognoscere, sed hæc sunt tria, vt patet, ergò &c. Item antequam cognoscatur res dubia, oportet aliquod cognoscere de quæstione proposita, sed in quæstione sunt duo, scilicet, subiectum, & prædicatum, & sic duo oriuntur præcognita; & quia in cognitione rei dubiæ veniendum est per aliquod notum, necesse est cognoscere principia, quæ ducunt in cognitionem rei dubiæ, & erit aliud tertium præcognitum, ergò tria præcognita.

Dices, Conclusio est aliquo modo cognoscenda in præmissis, ergò faciet aliud præcognitum, & sic plura sunt quàm tria.

Resp. Negando consequentiam; nam hic est solùm sermo de his, quæ secundùm se præcognoscuntur, non de his, quæ virtute, & in vniuersali præcognoscuntur, quo modo cognoscitur conclusio in præmissis, & ideò non facit distinctum præcognitum.

QVAESTIO IV.

An de subiecto præcognoscendum sit quia est?

Qværstio est, An de subiecto debeamus præcognoscere, quod actu sit in rerum natura, an verò sufficiat, vt sit possibile ad hoc, vt de illo habeatur scientia. Vel, quia est, subiecti est duplex, scilicet esse simpliciter, quod est esse reale actuale, & esse secundùm quid, quod est esse reale possibile, seù esse cognitum, seù non prohibitum à natura. His positis sit.

Conclusio affirmatiua, tamen non est necesse quod semper de subiecto præcognoscatur, quia est simpliciter, sed sufficit, quia est secundum quid. Est Scoti quæst. 7. Patet, nam de re actualiter non existente possunt fieri demonstrationes, vt de tonitruo, de rosa in hyeme, ergò illud quod præsupponitur non esse necesse, quod semper sit actualiter, sed sufficit quod aliquando possit habere existentiam. Quod subiectum debeat aliquandò existere patet, nam omnis nostra cognitio ortum habet à sensu, sed sensus est rei existentis, ergò &c.

Obijc. primo, Conclusio non magis pendet à subiecto, quàm à passione, sed de passione non præcognoscitur quia est, ergò nec de subiecto.

Resp. Negando maiorem, nam subiectum est causa prædicati, quod est passio, & non è contra; & ideò conclusio magis pendet à subiecto, quàm à passione.

Obijc. secundo, de rosa non existente potest haberi scientia, ergò subiectum non semper debet habere quia est.

Resp. Disting. consequens, non semper, quia est; seù esse simpliciter, concedo; secundùm quid, nego; nam &c.

QVAESTIO V.

An quia est subiecti possit demonstrari in ea scientia, cuius est subiectum.

DEmonstratio duplex est, scilicet, quia, & propter quid, vt infrà videbitur; prima demonstratio est ab effectu ad causam; secunda est à causa ad effectum; pro qua sit

Conclusio affirmatiua loquendo de demonstratione quia. Est Scoti in prologo sent. quæstione de subiecto, soluendo tertium principale; contrà Zabbarellam, & Suessanum. Probatur, de subiecto alicuius scientiæ potest sciri quia est, sed non per demonstrationem propter quid, ergò &c. minor patet, nam demonstratio propter quid satisfacit quæstionibus complexis, sed quia est subiecti est incomplexum, vt patet, ergò &c.

Nec dicas, quod quia est subiecti potest sciri per definitionem, seù diuisionem, quia ista non sunt propriè instrumenta sciendi, cum non habeant vim illatiuam, ergò relinquitur quod sciatur demonstratione quia.

Respondent forsan Aduersarij, quod quia est subiecti est scibile in scientia superiori, & hoc sufficit, non verò scitur in ea scientia, in qua est subiectum; sed

Contrà; Subiectum illius scientiæ superioris est scibile quoad quia est, vt subiectum scientiæ Metaphysicæ, sed non scitur per aliam scientiam superiorem, quia non datur, ergo &c.

Obijc. primò, Subiectum est prius, & magis notum in scientia, sed si demonstratur, non esset notum, ergò &c. minor patet, nam demonstratio ostendit ignotum per notum, ergò si demonstratur, esset ignotum. Item subiectum est basis, & fundamentum scientiæ, ergò, eo ignoto, omnia in scientia considerata ignorantur.

Resp. Disting. maio. est notum in scientia propter quid, concedo; in scientia quia non semper, & ideò potest demonstrari demonstratione quia. Ad confirmationem per idem respondetur.

Obijc. secundo, Quod est præcognitum in scientia non est quæsitum, sed subiectum in scientia est præcognitum, ergò &c.

Resp. Disting. minorem, est præcognitum in demonstratione propter quid, concedo; in demonstratione quia, nego; nam &c.

Dices, Si sic, ergò est petitio principij: sequela patet, nam prius cognoscitur subiectum, quàm passio, ergò si cognoscitur subiectũ per passionem, tunc idem bis cognosceretur, & sic esset petitio principij.

Resp. Negando sequelam. Ad probationem dicimus, quòd subiectum in demonstratione propter quid prius cognoscitur quia est, & sic est præcognitum; in demonstratione quia non est præcognitum, sed quæritur, & ideò non sequitur petitio principij.

Obijc. tertio, Ens est prædicatum pertinens ad Metaphysicum, ergò quia

quia est subiecti debet demonstrari à Metaphysico. Consequentia patet, nam ad illum artificem pertinet demonstrare propositionem, ad quem pertinet eius prædicatum.

Resp. Negando consequentiam: Ad probationem dicimus, quod aliud est considerare ens; & aliud considerare, an res sit in rerum natura; primum pertinet ad Metaphysicum; secundum potest pertinere ad quamlibet scientiam; nam omnes quatuor illæ quæstiones pertinent ad omnes scientias.

QVAESTIO VI.

An de Subiecto præcognoscendum sit quid est.

QVid, est duplex, scilicet, quid rei, & quid nominis; quid rei est definitio explicans essentiam rei, per quam res cognoscitur determinatè, & distinctè; quid nominis est notificatio, per quam explicatur vox, vt magnanimus dicitur ille, qui habet magnum animum, seu per quam res cognoscitur per simplicem notitiam, seu indeterminatè, & confusè, vt si dicatur rustico, vt adducat equum, tunc equum adducit, & non bouem, quia cognoscit quid significatur per nomen equi, non tamen cognoscit quidditatem equi, cùm principia, intrinseca illius sint ignota rustico; hæc definitio quid nominis semper debet de subiecto præcognosci, nam ignorato nomine, v. g. hominis, tunc non possumus habere scientiam de homine, & ideò quæritur, an de subiecto præcognoscatur quid rei; Quid rei est definitio non semper quidditatiua, sed eo modo, quo rei definibili competere potest. His positis sit

Conclusio. De subiecto præcognoscitur quid rei in demonstratione propter quid, non verò in demonstratione quia. Est Scoti in 3. d. 14. q. 2. Prima pars probatur, nam in demonstratione propter quid acquiritur cognitio passionum de subiecto, sed talis cognitio dependet à definitione subiecti tamquam à medio, ergò debet præcognosci definitio subiecti. Item in ratione, & quidditate subiecti includitur virtualiter tota ratio scientiæ, ergò præsupponitur quidditas subiecti, quando scientia acquiritur, & ad hoc, vt de ipso veritates omnes in scientia demonstrentur. Secunda pars patet, nam in demonstratione illud præcognoscitur, quod est necessarium ad habendam cognitionem conclusionis demonstrandæ, sed definitio non est huiusmodi in demonstratione quia, nam in hac demonstratione non assumitur pro medio definitio subiecti, sed effectus, ergò &c.

Obijc. primo, De subiecto præcognoscitur quid significet ex tex. 2. sed significatio pertinet ad nomen, ergò de subiecto præcognoscitur quid nominis.

Resp. Disting. minorem, significatio cõfusè sumpta pertinet ad nomen, concedo; distinctè, nego; nam significare distinctè spectat ad quid rei.

Obijcitur secundo; De Passione præcognoscitur quid nominis, ergò

etiam de subiecto. Consequentia sequitur, nam in eodem sensu accipitur quid respectu passionis, & subiecti; nam Aristoteles in tex. habet, *De passione praecognoscitur quid, de dignitate quia; & de subiecto vtrumque*, ergò in eodem sensu accipitur quid passionis, & quid subiecti, sed quid passionis est quid nominis, ergò quid subiecti est quid nominis.

Resp. Negando consequentiam. Ad probat. disting. antecedens, in eodem sensu accipitur quid &c. in demonstratione quia, concedo; in demonstratione propter quid, nego; nam &c.

Obijc. tertiò, Ens est subiectum in Metaphysica, sed non habet definitionem, ergò de subiecto non est praecognoscenda definitio, seù quid rei.

Resp. Ad minorem, quod ens habet conceptum quidditatiuum, qui gerit vicem definitionis, & debet praecognosci ad hoc, vt de ipso ostendantur passiones.

Obijc. quartò, Ad demonstrandum effectum per causam non praecognoscitur quid sit causa, neque quid sit effectus, sed tantùm quod effectus procedat à causa, nam Astrologi demonstrant Lunam eclipsari per suam causam, ignorata tamen natura Lunae, ergò &c.

Resp. Negando consequentiam, nam tales demonstrationes non sunt potissimae, ideò non requiritur cognitio subiecti quoad quid rei; nam quandò dicimus, de subiecto praecognoscitur quid rei, intelligimus in demonstratione potissima.

QVÆSTIO VII.

An de Dignitate praecognoscatur, quia est, vel quid est?

Conclusio. De dignitate praecognoscitur tantùm quia est, non autem quid est; Prima pars patet, nam principia sunt causa assensus conclusionis, sed non ens non potest esse causa, ergò cum dignitas sit causa conclusionis debet esse, & de ipsa praecognoscitur quia est; & intelligitur de esse veritatis, idest, quod ipsa principia sint vera, non verò intelligitur de esse existentiae. Secunda pars patet primò quoad quid rei, nam quid rei est solius incomplexi, sed dignitas est quoddam complexum, ergò de ea non praecognoscitur quid rei, secundò quoad quid nominis; nam dignitas non habet vnum quid nominis, sed plura aggregata, ergò de dignitate non praecognoscitur quid nominis.

Obijc. primo, Cognitio dignitatis quoad quia est, spectat ad Metaphysicum, ergò non est necessaria in scientijs particularibus.

Resp. Disting. antecedens, quoad quia est in communi, concedo; in particulari, nego; nam cognoscere hoc principium, de quolibet est affirmare, vel negare, est proprium Metaphysici, sed cognoscere, de aliquo est affirmandum, vel negandum, est proprium scientiae particularis, vt esse triangulum est proprium Mathematici.

Obijc.

Obijc. secundò, Ex 7. Met. t. 13 multa aggregata possunt habere quid nominis, vt Ilias significat totam historiam belli Troiani, ergò dignitas licèt sit aggregata, potest tamen habere quid nominis.

Resp. Negando consequentiam, nam dignitas vt præcognitum consideratur sub ratione complexi, illa aggregata verò vt significantur vno nomine incomplexo possunt habere quid nominis, non verò nomine complexo.

Dices, Ex tex. 11. huius libri, de dignitate est præcognoscendum quid nominis, ergò &c.

Resp. Quod Aristoteles non intelligitur ibi ratione totius dignitatis, scilicet principij, sed tantùm ratione partium, scilicet subiecti, & prædicati, de quibus præsupponitur quid nominis.

Obijc. tertiò, Tanta complexio est in propositione, quanta in dignitate, sed de propositione cognoscitur quid est, non obstante sua complexione, ergo &c.

Resp. Disting. minorem, sub ratione incomplexi, concedo; sub ratione complexi, nego; nam &c.

Dices, In definitione propositionis ponitur hæc particula, significans verum, vel falsum, sed nihil significat verum, vel falsum nisi complexũ sub ratione complexi, ergò si propositio habet quid, dignitas potest etiam habere quid.

Resp. Disting. minorem, qualitatiuè, concedo, quidditatiuè, nego; nam propositio quidditatiuè sumpta dicit essentiam, quæ est incomplexa, & sic comparatur ad propositionem vt quid; qualitatiuè verò dicit qualitatem, scilicet affirmatiuum, & negatiuum, & sic comparatur ad propositionem vt quale.

Obijc. quartò, Quod habet esse habet quid, sed dignitas habet esse, scilicet quia est, ergo &c.

Resp. Disting. maiorem, quod habet esse incomplexum, habet quid, concedo; complexum, nego; nam dignitas habet quia est complexum, ideò non habet quid.

QVAESTIO VIII.

An de Passione præcognoscatur quia est, vel quid est?

QVæstio est intelligenda solùm de passione propriè sumpta, vt est ea, quæ conuertitur cum subiecto in demonstratione potissima, & non de quocunque alio prædicato, quod potest concludi de subiecto in conclusione, siuè sit proprium, siuè accidens commune, siuè aliquod essentiale in demonstratione quia; Quid nominis est duplex, scilicet per interpretationem, & per simplicem notitiam, vt suprà, pro qua sit

Conclusio. De Passione non præcognoscitur quia est, nec quid rei, sed tantùm quid nominis per simplicem notitiam. Est Scoti q. 6. Prima pars probatur; nam in Passione idem est esse, & subiecto inesse seù existere, sed per demonstrationem demonstratur inesse passionis in subiecto, ergò esse passionis demonstratur, & conse-

sequenter non præcognoscitur. Secunda pars probatur, quid rei præsupponit quia est, sed de Passione nõ præcognoscitur, quia est, ergo &c. Tertia pars patet, nam de Passione oportet aliqualem cognitionem habere antè cõclusionem, cum sit principium integrans conclusionem, sed de ipsa non præcognoscitur quia est, nec quid rei, ergo quid nominis, non per interpretationem, vt patet, ergo per simplicem notitiam.

Obijc. primò, De Passione præcognoscitur quid, ergò quia. Consequentia sequitur, quid est supponit quia est, nam ignorato quia, tunc illud, quod quæritur, nihil est.

Resp. Negando consequentiam. Ad probat. dicimus; quod quid rei præsupponit quia est, non autem quid nominis, nam non ens habet quid nominis, & tamen non habet quia.

Dices, Ex 5. Met. *quod quid significatur per nomen est vera definitio*, ergò si de Passione præcognoscitur quod quid significatur per nomē, sequitur quod de ipsa præcognoscitur quid rei.

Resp. Disting. antecedens, quod quid significatur per nomen distinctè est vera definitio, concedo; confusè, & per simplicem notitiam, nego, nam &c.

Obijc. secundò, Passio scitur de subiecto, sed non ens non potest sciri, ergò passio est ens, & consequenter scitur quoad quia est.

Resp. Disting. vltimum consequens, scitur præcognitiuè, nego, demonstratiuè, concedo; nam illud esse passionis concluditur in conclusione per demonstrationem, & vt sic non præcognoscitur.

Dices, Potest intelligi accidens non intelligendo ipsum inesse subiecto, ergò potest præcognosci vt accidens, absque eo quod præcognoscatur ipsũ inesse subiecto. Antecedens patet de accidente in Sanctissimo Sacramento Altaris.

Resp. Disting. antecedens, quoad esse actuale accidentis, cõcedo; quoad esse aptitudinale, nego; nam &c.

Obijc. tertiò, In maiori propositione demonstrationis semper passio affirmatur de medio, sed talis propositio præcognoscitur quoad quia est, ergò & eius prædicatum, quia veritas propositionum pendet à veritate terminorum.

Resp. Negando consequentiam. Ad probationem dicimus, quod veritas propositionum magis pendet à subiecto, quod est causa prædicati, & ideò, quia esse passionis est inesse subiecto, in ipsa demonstratione demonstratur, non tamen præcognoscitur antè demonstrationem; quando dicitur, quod maior propositio præcognoscitur quoad quia est, dicimus, quod est quia est principiorum non prædicati, seù subiecti.

Obijc. quartò, Esse Passionis potest demonstrari, quod insit huic subiecto, & præsupponi quod insit subiecto communi, ergò de Passione potest præsupponi quia est.

Resp. Negando antecedens, nam demonstratio non est de subiecto particulari, sed de subiecto communi, cui per se primò conuenit passio, & de ipso

ipso

ipso subiecto communi demonstratur.

Quaritur, Præcognitiones de subiecto, Passione, & Dignitate debent nè haberi ante demonstrationem, vel in ipsa demonstratione?

Resp. Quod possunt haberi antè demonstrationem, quia nos semper cognoscimus præmissas antequã formemus demonstrationes, vt experientia patet; tamen non est semper necessarium, quia contingere potest, quod vnum, vel alterum non cognoscamus ante demonstrationem, sed in ipsis præmissis, ipsas disponendo.

QVAESTIO IX.

An cognitio conclusionis fiat ex cognitione principiorum in aliquo genere causæ?

QVæstio supponit conclusionem fieri ex præmissis, & quærit, nùm fiat ex illis in genere causæ materialis, vel formalis, vel efficientis, vel finalis, pro qua sit

Conclusio affirmatiua in genere causæ efficientis. Probatur, quod constituit potentiam in actu primo, concurrit efficienter cum ipsa potentia ad actum secundum, sed intellectus per cognitionem principiorum constituitur in actu primo ad eliciendam conclusionem, ergò cognitio principiorum effectiuè concurrit ad conclusionem. Maior patet de specie sensibili, vel intelligibili, quæ cum constituat potentiam in actu primo, cum ea concurrit ad eliciendum actũ secundum. Minor patet, nam intellectus nudus non est sufficiens vt assentiat conclusioni, nisi prius habeat cognitionem principiorum, ergo &c.

Obijc. primo, Causa efficiens agit, dum actu est in rerum natura, sed quando intellectus assentitur conclusioni, assensus principiorum non est, quia intellectus non potest habere simul plures actus, sed habet vnum post alium, ergò nec cognitio principiorum potest habere rationem causæ efficientis respectu conclusionis.

Resp. Negando minorem. Ad probat. disting. antecedens, vt plures concedo; vt vnum, nego; nam intellectus intelligit principia, & conclusiones non vt plura, sed vt vnum, quatenus cognitio vnius est ratio assentiendi alteri. Vel secundo dicimus, quod intellectus potest habere plures actus ordinatos ad inuicem, & hoc modo nullum est inconueniens.

Obijc. secundo, Vnus actus non habet virtutem effectiuam respectu alterius, sed assensus principiorum, & conclusionum sunt actus intellectus, ergo &c.

Resp. Distinguen. maiorem, vnus actus non habet &c. vt Quod, concedo; vt Quo, nego; nam efficiens, vt Quod, est intellectus, efficiens vt Quo in casu est actus intellectus circa principia, seu est assensus principiorum, quia est id, quo intellectus assentitur conclusioni.

Dices, Assensus principiorum distinguitur specie ab assensu conclusionis ergò si assensus principiorum esset causa assensus conclusionis, esset cau-

sa

sa æquiuoca, sed hoc non potest esse, quia causa æquiuoca semper est vniuersalis, & remota, assensus verò principiorum esset causa particularis, & proxima, ergo &c.

Resp. Negando minorem subsumptam. Ad probationem dicimus, quod causa æquiuoca potest esse particularis, & proxima, vt patet, quandò producit effectum diuersæ speciei.

QVAESTIO X.

An cognitis præmissis simul tempore cognoscatur conclusio?

CONclusio affirmatiua, intelligitur de præmissis applicatis, & dispositis iuxtà formam syllogismi, & cognitis cum attentione intellectus. Est Scoti q. 9. Probatur, conclusio continetur in præmissis tanquam in causa, sed cognita causa vltimatè disposita necessariò sequitur cognitio effectus, ergo in eodem tempore, in quo cognoscuntur præmissæ applicatæ, habetur cognitio conclusionis, tamen est semper prioritas naturæ, quia conclusio sequitur ex præmissis; si præmissæ considerentur secundùm se, ac si essent quædam diuersæ enunciationes, tunc prius tempore, imò sine conclusione cognosci possunt; si verò considerentur in ratione causæ, & effectus, tunc cognoscuntur non solùm simul tempore, sed etiam natura, quia causa, & effectus sunt relatiua, ideo &c.

Obijc. primo, Intellectus non potest plura simul tempore cognoscere, quia intellectus noster cognoscit vnū post alium, ergò cognitis præmissis non simul tempore cognoscitur conclusio.

Resp. Disting. antecedens, sub ratione plurium, concedo; sub ratione vnius, nego; nam &c. Vel quandò illa plura non dicunt ordinem inter se, concedo, quandò dicunt ordinem, nego; nam præmissæ, & conclusio, licet sint plura, tamen inter se dicunt aliquam connexionem; Vel distinguendo antecedens, actu simplici, concedo; comparatiuo, nego; nam &c.

Obijc. secundo, intellectus discurrit à præmissis ad conclusionem, sed discursus est cum prioritate, & posterioritate, ergò intellectus intelligit præmissas, & conclusionem cum prioritate, & posterioritate.

Resp. Disting. minorem, cum prioritate, vel posterioritate temporis, vel naturæ; nam de ratione discursus non est vt sit cum prioritate, & posterioritate temporis, sed sufficit prioritas, & posterioritas naturæ, ita est in casu.

Obijc. tertio; Præmissæ respectu conclusionis se habent vt causæ efficientes, sed causa efficiens continet effectum in virtute, non in actu, ergò cognitis præmissis actualiter simul nō cognoscitur conclusio.

Resp. Disting. minorem, causa efficiens non applicata continet in virtute tantùm, concedo; vt applicata, nego; nam præmissæ applicatæ ad conclusionem continent actualiter, illam

iam, licèt vt non applicatæ contineat illam in virtute tantùm.

Notandum, quod tunc præmissæ dicuntur applicatæ, quandò cognoscitur minorem contineri sub maiori, vt omne animal rationale est risibile, Omnis homo est animal rationale, ergò &c. nam cognita maiori, & minori, & si constat minorem contineri sub maiori, scilicet hominem sub animali rationali, quia homo est animal rationale, statim cognoscitur conclusio; si autem non constat, minorem non contineri sub maiori, idest hominem sub animali rationali, tunc non simul tempore cognoscuntur præmissæ, & conclusio, sed oportet assumere aliquod medium, quo possit probari, hominem esse animal rationale, quod non potest fieri nisi cum successione temporis.

Quaeritur, An cognitis præmissis dispositis possit intellectus non cognoscere conclusionem?

Resp. Negatiuè; Est Scoti in primo d.1.q.4. Probatur, nam potentia, quæ de se non est formaliter libera, positis omnibus requisitis ad agendum, & remotis omnibus impedimentis, necessariò agit, sed intellectus non est potentia formaliter libera, ergò cognitis præmissis applicatis non potest intellectus non assentire conclusioni.

Dices, Potentię, quę sunt determinatę ad vnum, non indigent habitu, quià ab obiecto iam sunt determinatæ, vt patet de potentia visiua, sed intellectus est capax habituum, qui ipsum adiuuant in ordine ad assensum conclusionis, ergò non est omninò determinatus.

Resp. Disting. maiorem, non indigent habitu ad hoc vt sint determinatę, concedo; vt euidentius cognoscant, nego; nam habitus iuuat intellectum, vt facilè cognoscat, tollit impedimentum, vt clarè appareat illa connexio extremitatum, & confert, ne insurgant rationes oppositę apparentes, ideo &c.

DISPVTATIO SECVNDA

DE DEMONSTRATIONE.

QVAERITVR, Quid est demonstratio? *Resp.* Quod ab Aristotele cap. 2. huius Libri, duæ assignantur notificationes demonstrationis; prima, Demonstratio est syllogismus scientialis, idest faciens scire: secunda, Demonstratio est syllogismus procedens ex primis, veris, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis; prima definitio est communis demonstrationi quia, & propter quid; secunda datur solùm de demonstratione propter quid.

QVÆSTIO I.

An Definitiones demonstrationis sint rectæ?

PRima conclusio; prima definitio demonstrationis est bona, in qua dicitur, Demonstratio est syllogismus faciens scire; Patet, nam constat ex genere, & differentia, ergò est bona. Antecedens patet, nam ponitur ly syllogismus loco generis, ly faciens scire loco differentiæ, quia per hanc particulam differt à syllogismo Topico, qui parit opinionem, & Elencho, qui parit deceptionem, ergò &c. hæc definitio datur per causam finalem, dicitur formalis non propriè, sed transumptiuè, idest similis formali, quia sicuti forma est actus, ità & finis.

Secunda conclusio. Secunda definitio demonstrationis est bona, in qua dicitur. Demonstratio est syllogismus constans ex primis, veris &c. Probatur, nam constat ex genere, & differentia, vt patet, ergò &c.

Secundò probatur quoad omnes particulas, primò ex primis, idest indemonstrabilibus, nam demonstratio procedit ex principijs, sed principia sunt prima, ergò &c. secundò ex veris, nam conclusio vera non scitur nisi ex veris, sed conclusio demonstrationis est vera, ergò &c. tertiò ex immediatis, si demonstratio esset ex mediatis, tunc aut esset processus in infinitum, aut esset status ad immediata, non primum, quia tunc nihil sciretur, ergò secundum, & sic habetur propositum: Item primum, & immediatum idem sunt, sed procedit ex primis, ergò ex immediatis; quartò ex prioribus, & notioribus, nam intellectus noster syllogizando pro-

cedit à magis ad minus notum, quia minus notum, vel æqualiter notum non facit ſcientiam de ignoto; quintò ex cauſis, nam demonſtratio facit ſcire, ſed ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, ergò &c.

Obijc. primo, contrà primam concluſionem. Intellectus, & obiectum concurrunt ad producendam ſcientiam, ergò non demonſtratio. Conſequentia ſequitur; Antecedens patet, nam ex cognoſcente, & cognito paritur notitia.

Reſp. Diſting. conſequens, non demonſtratio effectiuè, concedo; inſtrumentaliter, nego; nam intellectus & obiectum concurrunt effectiuè ad producendam ſcientiam, demonſtratio verò, vt inſtrumentum.

Notandum, ſcientia cauſatur ab intellectu, & obiecto tamquam à duabus cauſis efficientibus; intellectus verò eſt agens principalius, obiectū, eſt agens minus principale, eo modo quo Pater, & Mater concurrunt ad generationem prolis, & ſicut cauſæ naturales nō agunt niſi ſint diſpoſitę, & conuenienter approximatæ, ità nec ſcientia cauſabitur in intellectu, niſi cauſæ ipſius obiecti (per quas elicitur perfecta notitia) ritè ordinentur, & hæc ordinatio eſt ſyllogiſmus demonſtratiuus, qui pro connotato dicit ipſas cauſas diſpoſitas, pro formali eſt ens rationis repræſentatiuum ipſarum cauſarum, & vt ſic eſt purum inſtrumentum, ſed neceſſarium ratione fundamenti; Scientia cauſatur à demonſtratione, tamquam ab inſtrumento; nam demonſtratio poteſt comparari ad concluſionem, quam inducit, ad ſcientiam quam producit, & ad ſcibile, vel obiectum, quod ordinatim repræſentat, ſi comparatur ad concluſionem; ſic ſe habet vt cauſa materialis, quia propoſitiones ſunt materia ſyllogiſmi; ſi ad ſcientiam, ſic eſt cauſa efficiens inſtrumentalis, quia eſt inſtrumentum intellectus; ſi ad ſcibile, ſic poteſt pertinere ad quamlibet cauſam, ſicut ex vnaquaque demonſtratione contingit, ideò &c.

Obijc. ſecundo, Si demonſtratio facit ſcire, vel facit ſcire dùm eſt, vel dum non eſt; non ſecundum, quia quod non eſt, non facit ſcire; nec primum, quia quàndò demonſtratio eſt, tunc eſt etiam ſcire, ergò &c.

Reſp. Quod demonſtratio facit ſcire dùm eſt in eodem inſtanti temporis, & licèt ſint ſimul ſimultate temporis, non tamen ſimultate naturæ, ideò &c.

Obijc. tertio, contrà ſecundam concluſionem. Demonſtratio procedit ex primis, ergò ſuperfluum ponitur ex prioribus; Conſequentia ſequitur, quia primum, & priùs idem ſunt.

Reſp. Negando conſequentiam. Ad probationem dicimus, quod ponitur ly ex primis, propter dignitatem demonſtrationis, ponitur ly ex prioribus, propter cauſalitatem; nam principia in ſe dicuntur prima, dicuntur priora in ordine ad concluſionem.

Obijc. quarto, Cauſa eſt ſemper prior ſuo effectu, ergò ſi demonſtratio procedat ex cauſis, intelligitur, quod procedat ex prioribus, & conſequen-

sequenter superflua est talis particula.

Resp. Negando vltimam consequentiam; nam si omnes causæ sunt priores, tamen non est omnibus notum, vel non valet è contrà, ideò debebat expliciter explicari.

Obijc. quinto, Multa non sunt vera, & tamen sciuntur demonstratiuè, ergò demonstratio non est ex veris. Antecedens patet, nam oppositorum eadem est disciplina, ergò qui scit aliquod sub ratione veri, debet quoque scire falsum, quomodo sibi opponatur.

Resp. Negãdo antecedens. Ad probationem dicimus, quod falsum pro formali est verum, & scibile, scilicet, in hunc sensum, quod sciamus quid sit, & quomodo sit falsum, & qua ratione opponatur vero; sed scire falsum, vt falsum sub ratione veri, est impossibile, & implicans.

Obijc. sexto, Demonstratio quia etiam procedit ex causis, ergò non solùm demonstratio propter quid. Antecedens patet, nam demonstratio quia facit scire, & scire est per causam, ergò &c.

Resp. Disting. antecedens, ex causis in cognoscendo, concedo; in cognoscendo, & essendo simul, nego; nam demonstratio quia est tantùm ex causis in cognoscendo, quia notitia præmissarum est causa notitiæ conclusionis; demonstratio propter quid est ex causis in cognoscendo, & essendo simùl, quia non solùm notitia præmissarum est causa notitiæ conclusionis, sed res significatæ per præmissas sunt causæ rei significatæ per conclusionem.

Dices, Contrà omnes particulas definitionis demonstrationis; nam idem est primum, immediatum, notius, priùs, causa, vt patet discurrenti, ergo est magna nugatio dicendo, demonstratio est ex primis, veris &c.

Resp. Negando antecedens; nam quædam possunt esse vera, & non prima, vt patet; quædam sunt prima, scilicet vniuersalissima, non tamen immediata, ità vt ex ipsis immediatè fluat effectus; quædam sunt notiora, non autem immediata, vt patet de remotis quibusdam; & si omnes causæ sunt priores, vel hoc non est omnibus notum, vel non valet è contrà; ideò singulæ particulæ habent proprium significatum, & consequenter non ponuntur superfluæ, ideò &c.

Quæritur, Quid est Propositio immediata?

Resp. Ex tex. 12. est illa, qua non est altera prior; sensus est, propositio immediata est illa, cuius prædicatum sic primò, & per se subiecto dicitur conuenire, quod non per aliã causã, vel medium, vt sunt omnes propositiones, in quibus prædicatur definitio, vel pars definitionis, vt homo est animal rationale.

Propositio immediata duplex est, scilicet per se nota, & non per se nota; propositio immediata per se nota est illa, quæ ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius, vt sunt eius, habet euidentem veritatem, & non propter aliquod aliud, quod sit extrà terminos proprios; Ità Scotus in 1. d. 2. q. 2. vel est illa, quæ cognoscitur cognitis terminis mediante

diante

diante lumine intellectus, absque extranea cognitione aliorum, vt omne totum est maius sua parte, nam cognito quid significet totum, & pars, statim assentimus propositioni. Propositio immediata non per se nota, est illa, quæ requirit maiorem expositionem, vel declarationem, quàm sit appræhensio terminorum, vt intellectus est substantia, est propositio immediata, tamen non est per se nota, quia aliqui dicunt, quod intellectus sit qualitas de secunda specie; si esset per se nota, ipsi dicerent sicut & nos. Sola illa dicitur propositio per se nota, quæ in terminis sic conceptis nata est habere euidentem veritatem sine vlla alia causa, præter solam appræhensionem terminorum, vt omne totum est maius sua parte, homo est animal rationale.

Dices, Potest ostendi hominem esse animal rationale, quia ordinatur ad beatitudinem, ergò talis propositio non est immediata.

Resp. Disting. antecedens, à priori, nego; à posteriori, concedo; nam &c.

QVAESTIO II.

An Principia Demonstrationis sint magis nota, quàm conclusio?

Scire (prout ad præsens spectat) est duplex, scilicet magis propriè, & proprijssimè; scire magis propriè est appræhensio veritatis necessariorum, & hoc modo sciuntur tam principia, quàm conclusiones; Scire proprijssimè est scire per causam, & hoc modo tantùm conclusiones sciuntur, pro qua sit

Conclusio affirmatiua in scientia magis propria tantùm. Est Scoti q. 13. Probatur, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, sed conclusiones sunt scitæ per principia, ergò principia sunt magis scita. Minor patet, quia axioma Aristotelis habet veritatem in casu; nam principia sunt causæ vniuocæ conclusionis in scientia magis propria, & hæc scientia competit tam principijs, quàm conclusionibus; suscipit magis, & minus, & principia sunt causa totalis, quarè conclusio sciatur hac scientia.

Secundò, nihil agit vltrà suam virtutem, sed principia per suam virtutem sunt causa conclusionis, ergò maiorem cognitionem non possunt facere in conclusione, quam habent in se, nec tantam, quia quod reperitur in causa, & effectu, excellentiùs reperitur in causa.

Obijc. primò, principia non sunt scita, ergò non sunt magis scita. Antecedens patet, nam si principia scirentur, ergò per alia principia, & sic in infinitum.

Resp. Disting. antecedens, principia nō sunt scita scientia proprijssima, concedo; magis propria, nego; nam si scirentur scientia proprijssima, esset processus in infinitum.

Obijc. secundo, Quod est notum per causam est magis notum, quàm illud, quod non est notum per causam,

sam, sed conclusiones sunt notæ per causam, principia non, ergò non sunt notiora conclusione.

Resp. Disting. maiorem, quando vtrũque est cognoscibile per causam, concedo; non verò quandò vnum est cognoscibile per causam, & aliud non, sicut est in casu.

Obiic. tertio, Principia respectu conclusionis se habent, vt causa æquiuoca, ergò inter ipsa non debet fieri comparatio, & consequenter principia non dicuntur magis scita. Sequela sequitur, quia comparatio fit solùm in vniuocis ex 7. Phys.

Resp. Disting. antecedens, quoad scientiam proprijssimam, concedo; quoad scientiam magis propriam, nego; nam principia in scientia magis propria vniuocè se habent respectu conclusionis, & hoc modo conclusiones, & principia sunt comparabilia, quia sic in vtroque appræhenditur veritas necessariorum, quæ est scientia magis propria.

Obiic. quarto, Si sic, tunc magis perfectum ordinaretur ad minùs perfectum. Sequela patet, nam perfectius est magis scire, quàm minus scire, sed principia sciuntur magis, quàm conclusiones, & principia ordinantur ad conclusionem, ergò magis perfectum ordinatur ad minus perfectum.

Resp. Negando sequelam. Ad probationem dicimus, quod conclusiones sciuntur minus in scientia magis propria, quia sic sciuntur in vniuersali, & modo confuso in principijs, sed quia sciuntur etiam scientia proprijssima, ideò dicuntur perfectiores hoc modo, & consequenter principia meritò ordinantur ad conclusionem, tamquàm ad aliquod perfectius.

Dices, Nihil est verius veritate necessaria, sed conclusio est veritas necessaria, ergò non datur aliquod, quod sit verius.

Resp. Quod etiam principia sunt vera necessaria, & quia conclusio dependet à principijs, & non è contrà, ideò &c. Item magis verum est, cuius necessitas, & veritas ab alio non dependet, quàm illud, cuius necessitas ab alio, dependet.

Quæritur, An illud Axioma Aristotelis, scilicet, *Vnumquodque propter quodque, & illud magis*, sit verum?

Resp. Affirmatiuè, obseruatis tribus conditionibus, prima quod debeat esse in causis vniuocis; & per se; secunda, quod prædicatum, secundùm quod fit comparatio, conueniat vtrisque comparatis, & quod illud prædicatum suscipiat magis, & minus; tertia, quod vnum illorum sit causa totalis, & adæquata, propter quam illud prædicatum conueniat causato.

Ex defectu primæ ista non valet, Sol constringit lutum, & dissoluit glaciem, ergò in Sole est constrictio, & dissolutio; nam Sol non est causa vniuoca, & per se illorum effectuum, sed æquiuoca, & per accidens.

Ex defectu secundæ non valet, est calidus propter Solem, ergò Sol est magis calidus, est ebrius propter vinum, ergò vinum est magis ebrium; Item non valet, Filius est homo propter

ter

ter Patrem, ergò Pater est magis homo; quia homo, in quo Pater, & Filius comparantur, non potest suscipere magis, & minus.

Ex defectu tertiæ non valet, compositum est perfectum propter formam, ergò forma est perfectior, quia forma non est causa adæquata, & totalis perfectionis compositi, sed partialis, & inadæquata; ferrum est calidum propter ignem, ergò ignis est magis calidus, nam ignis non est causa adæquata caliditatis ferri, sed partialis.

QVÆSTIO III.

An demonstratio circularis sit bona?

DEmonstratio dicitur circularis duobus modis, primò quod sicut per causam demonstramus effectum à priori, & propter quid, ità eadem demonstratione à priori demonstramus causam per effectum, ità quod sicut causa est verè causa, & prior effectu, ità effectus sit prior, & causa eiusdem causæ; secundò quatenùs demonstramus causam per effectum demonstratione quia, deindè per eamdem causam demonstramus eumdem effectum nō demonstratione quia, sed propter quid: Prima demonstratio est impossibilis, quia idem esset priùs, & posteriùs, causa & causatum; & hanc demonstrationem circularem esse tollendam docet Aristoteles in tex. Secunda demonstratio circularis verè datur; Vel dicimus, quod in demonstratione non datur circulus, sed regressus; Vndè hæc est differentia inter circulum, & regressum; circulus est quandò ostendimus conclusionem per præmissas, & præmissas, per conclusionem eadem via, scilicet, demonstratione propter quid, ità quod vtraque demonstratio est propter quid. Regressus est, quandò ostendimus causam per effectum, & deindè reuertimur, & per causam ostendimus effectum, & sic in circulo vterque processus est propter quid, sed in regressu prior processus est ab effectu, & à posteriori; secundus est propter quid, & à priori. His positis sit

Conclusio affirmatiua, loquendo de secunda demonstratione circulari, seu regressu. Est Scoti q. 7. quol. & in Prologo quæst. de subiecto. Probatur primò ex tex. 22. vbi postquam Aristoteles confutauit primam demonstrationem circularem, seu circulum, quia tunc idem esset notum, & ignotum, subiungit, quod non est inconueniens, si diuersis modis accipiatur notiùs, & ignotiùs, & vna demonstratio sit propter quid, & alia quia, & tex. 97. arguit ab effectu ad causam sic, *Omne non scintillans est propè, sed planetæ non scintillant, ergò sunt propè*, deindè arguit à causa ad effectum sic, *Omne quod est propè non scintillat, sed planetæ sunt propè, ergò non scintillant*, & consequenter datur demonstratio circularis, seu regressus hoc modo.

Secundò ratione, si talis demonstratio

stratio non datur, tunc sequeretur, quod nulla esset scientia à priori, quod est falsum. Sequela patet, nam Philosophi venerunt in cognitionem eorum, quæ nobis sunt ignota ex notioribus nobis, sed notiora nobis sunt effectus, ergò habita cognitione causarum per effectus, si ex causis non possumus deuenire in cognitionem effectus, tunc non dabitur scientia à priori.

Tertiò, Per effectum necessarium possumus ostendere syllogisticè causam necessariam, sed hic syllogismus non est dialecticus, neque Sophysticus, ergò demonstratiuus, & consequenter sicut demonstrauimus hunc effectum per illam causam, sic è contrà, & sic habetur demonstratio circularis.

Obijc. primo, Si datur talis demonstratio, tunc idem esset notius, & ignotius, quod est falsum. Sequela patet, nam in vna demonstratione effectus est notior causa, & in altera est ignotior, quia demonstratur, ergò &c.

Resp. Disting. sequelam, idem esset notius, & ignotius respectu diuersorum, concedo; respectu eiusdem, nego; nam effectus est notior causa cognitione confusa in demonstratione quia; est ignotior causa cognitione distincta in demonstratione propter quid, ideò nullum est inconueniens idem esse notius, & ignotius in diuersa cognitione.

Obijc. secundo, Quandò ostendimus causam per effectum, vel cognoscimus illum effectum pendere ab illa causa, vel non; si secundum, ergò non possumus ostendere causam per illum effectum, cum nesciamus illum effectum esse ab illa causa, & consequenter nulla esset talis demonstratio, quia maior esset ignota; si primum, ergò inutilis erit alia demonstratio, in qua ostenditur effectus per causam, quia iam per priorem demonstrationem essent noti effectus, & causa.

Resp. Concedendo, quod cognoscimus illum effectum pendere ab illa causa, quandò dicitur, ergò inutilis erit alia demonstratio, negando consequentiam, quia in priori demonstratione cognoscitur confuso modo, effectum pendere à causa; in alia demonstratione cognoscitur distinctè, & ideò vt cognoscatur distinctè, talem effectum esse à tali causa, est necessaria alia demonstratio.

Obijc. tertiò, Omnis demonstratio est ex notioribus nobis, sed demonstratio in secundo processu, scilicet demonstratio propter quid, non est huiusmodi, quia causa non est notior ipso effectu, cùm notitia effectus sit causa notitiæ ipsius causæ, ergò &c.

Resp. Negando minorem. Ad probationem dicimus, quod in cognitione confusa, notitia effectus est causa notitiæ causæ, tamen in cognitione distincta non est sic, sed talis cognitio distincta habetur ex labore, & examine intellectus circà cognitionem illius causæ, & habita cognitione distincta causæ, per illam potest effectus distinctè cognosci in secundo processu.

Obijc.

Obiic. quarto, Si sic, ergò quælibet scietia posset demõstrare subiectũ suũ à priori. Sequela patet, nam datur, v. g. corpus compositum, ergò est corruptibile, & consequenter habet materiam, & sic cognoscimus materiam ab effectu; deindè regrediamur à causa ad effectum, datur materia, ergò corpus corruptibile, ergò compositum, quod est subiectum in Philosophia.

Resp. Negando sequelam. Ad probationem dicimus, quod in demonstratione propter quid demonstratur passio de subiecto, non verò subiectum esse, ideò nihil concludit.

Dices, In secundo processu, scilicet in demonstratione propter quid præmissæ non sunt necessariæ, ergo non est vera demonstratio. Antecedens patet, quia sunt necessariæ ex suppositione, nam si effectus est, causa est, ergò si effectus non esset, neque causa esset.

Resp. Negando antecedens; Ad probationem dicimus, quod licèt cognitio præmissarum originetur à cognitione confusa effectus, tamen habita illa, venimus posteà in cognitionem distinctam causæ, & sic formamus propositiones necessarias per se, licèt habeant euidentiam ex illis; nec sequitur, quod sint necessaria ex alio, sed tantùm, quod cognitio distincta præsupponit aliquam cognitionem confusam.

QVAESTIO IV.

An demonstratio debeat constare ex propositionibus de omni, per se, & vniuersali?

Conclusio affirmatiua, loquendo de demonstratione potissima, & propter quid. Patet, nam in talibus demonstrationibus semper ostenditur passio de subiecto per causam necessariam, sed propositiones, ex quibus ostenditur passio de subiecto sunt per se, de omni, & vniuersales, ergò &c.

Obiic. primo, Propositiones singulares possunt componere demonstrationem, ergò demonstratio non est necesse, vt constet ex propositionibus de omni &c. Antecedens patet, nam de Deo demonstratur esse, esse vnum, esse æternum, quia est immutabilis, sed hæ sunt propositiones particulares, quia iste terminus, Deus, est singularis, ergó &c.

Resp. Negando antecedens. Ad probationem dicimus, quod de illis singularibus, in quibus idem est esse Indiuiduale, & essentiale, possunt demonstrari passiones, quia tales propositiones singulares sunt vniuersaliter vniuersales, vt est in casu; de singularibus verò, in quibus esse Indiuiduale distinguitur ab esse essentiale, nulla potest dari demonstratio per se, licèt à posteriori hoc possit esse.

Obyc. secundo, Per se dicit illud, quod non est cum alio, sed maior propositio est cum minori propositio-

ne, ergò demonstratio non est necesse, quod constet ex propositionibus per se.

Resp. Disting. maiorem, Si ly per se dicit solitudinem, concedo; si dicit habitudinem prædicati cum subiecto, nego; nam in præsenti loquimur de per se, prout dicit habitudinem prædicati cum subiecto.

Quæritur primo, Quid est propositio de omni?

Resp. Est, cuius prædicatum prædicatur de omni contento sub ipso subiecto, quæ duplex est, prioristica, & posterioristica; propositio de omni prioristica est, cuius prædicatum contingenter conuenit subiecto, vt omnis homo currit; posterioristica est, cuius prædicatum necessariò conuenit subiecto, vt omnis homo est animal, est rationalis.

Quæritur secundo, Quid est propositio per se?

Resp. Est illa, cuius prædicatum conuenit subiecto in aliquo modo dicendi per se; Quatuor sunt modi dicendi per se, primus, quandò prædicatum est de essentia subiecti, vt homo est animal rationale, vel Superius prædicatur de Inferiori, vt homo est viuens, est substantia &c. secundus, quandò passio prædicatur de subiecto, vt homo est risibilis; tertius, quandò illud, quod prædicatur per se, nec dicitur de subiecto, nec est in subiecto, vt Petrus per se est, qui modus dicitur potiùs modus essendi, quàm prædicandi; quartus, quandò in subiecto includitur causa, vel ratio, propter quàm prædicatum sibi inest, vt pictor pingit, voluntas vult, interemptus interijt; nam pictor per artem pingendi pingit, voluntas per volitionem vult, interemptus per interemptionem interijt; istorum modorum duo tantùm ingrediuntur demonstrationem, scilicet primus, & secundus; tertius & quartus non sunt propriè modi dicendi per se; nam tertius dicitur potiùs modus essendi, quartus potiùs modus causalitatis, quàm prædicandi.

Quæritur tertio, Quid est propositio de vniuersali, seu secundùm quod ipsum?

Resp. Est illa, cuius prædicatum conuertitur cum subiecto, vt homo est animal rationale, homo est rationalis, homo est risibilis, secundùm quod ipsum idem est, ac conuertibiliter, ista non est vniuersalis hoc modo, homo est animal, quia non conuertitur cum homine; Vndè vniuersale hìc assignatum differt ab vniuersali Porphirij, nam vniuersale Porphirij dicitur vniuersale simpliciter, quatenùs directè, & limitatè prædicatur de pluribus; vniuersale hìc dicitur posterioristicum, & demonstratiuum, quatenùs termini in tali propositione vniuersali conuertuntur, vt dictum est.

Quæritur quarto, Quomodo propositiones de omni, de per se, & de vniuersali differant?

Resp. Quod differunt hoc modo; nam omnis propositio de vniuersali posterioristico est de omni, & de per se, vt patet; similiter omnes propositiones de omni posterioristico est de per se, sed non de vniuersali, vt omnis homo est animal, est de omni,

tamen

tamen non est de vniuersali, quia animal non conuertitur cum homine: propositiones de per se non oportet quod semper sint de vniuersali, vel de omni, vt Petrus est rationalis, est de per se, tamen non est de omni, nec de vniuersali, ideò &c.

Quaeritur quinto, An propositiones per se conuertantur in propositiones per se;

Resp. Negatiuè ex Scoto in 1.d.3. q.3.G. Patet, quia impossibile est, vt aliquod sit constituens, & constitutum, passio, & subiectum respectu eiusdem, sed ista impossibilia acciderent, si propositiones per se conuerterentur in propositiones per se, ergò &c. minor patet distinctè ex declaratione, nam in primo modo dicendi per se, definitio, & partes definitionis prædicantur de definito, & ideò dicuntur prædicari per se, quia definitum constat ex ipsis partibus, si verò è contrà, definitum per se prædicaretur de definitione, tunc ipsum definitum constitueret definitionem, & sic esset constituens, & constitutum. Similiter passio ideò per se dicitur de subiecto, quia ex illius natura fluit, & veluti in proprio subiecto fundatur, si verò è contrà, subiectum per se diceretur de passione, tunc ab ipsa flueret, & in ipsa fundaretur, & sic idem esset passio, & subiectum.

Notandum, quod licèt propositiones de per se non conuertantur in alias propositiones de per se, tamen possunt conuerti in propositiones necessarias, vt homo est animal rationale, ergò animal rationale est homo, quę ambę sunt necessariæ, propter eamdem essentiam, & identitatem, homo est risibilis, risibile est homo, homo est animal, quoddam animal est homo; prima est directa, secunda indirecta; Propositio directa dicitur illa, in qua superiùs prædicatur de inferiori, vel definitio de definito, passio de eius subiecto, accidens de substantia; Indirecta est, quandò fiunt prædicationes è contrà, vt inferiùs de superiori.

Quaeritur sexto, An Propositiones negatiuæ possint esse per se?

Resp. Negatiuè. Patet, nam si essent per se, vel essent in primo modo dicendi per se, vel in secundo, sed non in primo modo, quia quod remouetur ab alio, non est de eius essentia, sed in propositione negatiua prædicatum remouetur à subiecto, ergò &c. Nec in secundo modo, quia quod remouetur à subiecto, non est eius passio, ergò &c.

QVAESTIO V.

An species demonstrationis sint tantùm duæ.

CONclusio affirmatiua. Ità Aristoteles primo Libro cap. 14. est Scoti q. 7. quol. scilicet, propter quid, & quia, seù à priori, & à posteriori. Probatur ratione, Omne verum necessarium, non euidens ex terminis, habens tamen necessariam connexionem ad aliud verum necessarium, & euidens, potest probari per illud, quia ex propositionibus eui-

dentibus ex terminis probamus propositiones veras ineuidentes, tunc sic. Omnes veritates necessariæ non euidētes possunt probari per veritatē euidentem deductam, vel à causa, vel ab effectu, sed si probātur primo modo, sic est demonstratio propter quid, si secundo modo, sic est demonstratio quia, ergò tantùm duæ sunt demonstrationes. Maior patet, nam solùm inter causam, & effectum, & è conuerso datur necessaria connexio, & essentialis vis illationis.

Secundò, distinctio demonstrationis habetur à distinctione medij, sed duo sunt media in demonstratione, scilicet definitio subiecti in demonstratione propter quid, & effectus proximus in demonstratione quia, ergò &c. Demonstratio enim propter quid est illa, quæ facit scire per causam proximam, & immediatam, vt scire risibilitatem de homine per rationalitatem: demonstratio quia procedit ab effectu ad causam, vt scire rationalitatem per risibilitatem, scire Deum per creaturas, ergò &c.

Obijc. primò, Datur demonstratio vnius effectus per alium effectum, sed talis non est demonstratio propter quid, nec quia, ergò tres sunt species demonstrationis, & ista tertia demonstratio dicitur demonstratio ab æquali ad æquale: maior patet, nam febris putrida habet duos effectus, scilicet, alterationem pulsus, & certum calorem in ægroto, ergò si aliquis inferret ex alteratione pulsus illum calorem, verè demonstraret.

Resp. Negando maiorem. Ad probationem nego consequentiam, quia isti duo effectus non habent necessariam connexionem, vnus enim non est causa alterius; Vndè cùm in demonstratione requiratur necessaria connexio, quæ solùm est inter causam proximam, & effectum proximum, & fit in demonstratione propter quid, & quia, sequitur quod non datur alia species demonstrationis; quandò in argumento dicitur, ex vno infertur aliud, dicimus quod hoc non est demonstratiuè, sed in quantum tales effectus semper sunt cum tali febri.

Obijc. secundo, Demonstratio potissima est diuersa à demonstratione propter quid, & quia; sed talis est vera demonstratio, ergò &c. maior patet, nam in demonstratione potissima medium semper est causa formalis; in demonstratione propter quid sunt omnia quatuor genera causarum, sed ex distinctione medij habetur distinctio demonstrationis, ergò &c.

Resp. Et pro solutione sit

QVAESTIO VI.

An demonstratio potissima sit distincta à demonstratione propter quid.

AVerroistæ, & Sectatores, & præcipuè Bernardinus Petrella affirmant, tres esse species demonstrationis, prima ab effectu ad causam, & est demonstratio quia; Secunda à causa ad effectum, & hæc est duplex, scilicet, propter quid, & potissima, & sic per ipsos tres sunt species demonstrationis; Vndè dicti Aucto-

Auctores ponunt quatuor differentias inter demonstrationem propter quid, & potissimam; Prima, in demonstratione potissima medium est causa formalis; in demonstratione propter quid sunt omnia quatuor genera causarum; Secunda, in demonstratione potissima termini reciprocantur, scilicet medium cum effectu; in propter quid non; Tertia, in demonstratione potissima medium est notum natura, & nobis immediatè per sensum, & sine demonstratione quia; in propter quid medium est solùm notum natura, non nobis, & venimus in cognitionem illius medij per demonstrationem quia; Quarta; demonstratio potissima facit scire quod est, & propter quid est, & sic satisfacit duobus quæsitis; propter quid solùm facit scire quod est, non autem quid est, quia iam scitur per demonstrationem quia.

Contrà primam differentiam. Demonstratio propter quid fit per causam formalem, ergò differentia nulla. Antecedens patet, nam potest contingere, quod causa formalis sit nobis ignota, & illius effectus sit notus, tunc per effectum possumus deuenire in cognitionem causæ formalis demonstratione quia; hoc facto possumus regredi, & per illam causam demonstrare effectum propter quid, tunc erit demonstratio propter quid per causam formalem; nec esset potissima, quia non facit scire quid est de effectu, quia iam illud est notum, ergò differentia nulla.

Contrà secundam differentiam, In omni demonstratione, in qua præmissæ sunt immediatæ, est reciprocatio, quia causa quarè termini sunt reciproci est, quia vnus immediatè sequitur alterum, vt posito homine, ponitur risibilitas, sed in demonstratione propter quid propositiones sunt immediatę, ergò est reciprocatio terminorum. Minor patet, quia in demonstratione propter quid non ingreditur causa remota, sed proxima, vt patet de homine, & risibilitate.

Contrà tertiam differentiam. Illa demonstratio est potissima, quæ habet conditiones assignatas ab Aristotele cap. 2. sed quod medium debeat esse notum nobis, & natura, non ponitur inter illas conditiones, ergò frustrà assignatur tertia differentia; minor patet, nam conditiones demonstrationis potissimæ sunt istæ, scilicet, quod præmissæ sint veræ, immediatę, priores, notiores, & causæ conclusionis, ergò non ponitur inter conditiones demonstrationis potissimæ, quod medium debeat esse notum nobis, & natura, sed cum demonstratio propter quid habeat omnes istas conditiones, sequitur quod idem sit demonstratio propter quid, & potissima.

Contrà quartam differentiam. Nulla demonstratio potest ostendere propter quid de effectu, nisi etiam ostendat quia est de illo effectu, ergò si demonstratio propter quid ostendit de effectu propter quid, etiam ostendit quia est. Antecedens patet, quia quæstio quid est includit quia est,

est, & secundùm propriam naturam quid est præsupponit quia est &c.

Conclusio negatiua. Est Scoti q. 7. quol. Probatur, demonstratio potissima dicitur illa, quæ habet conditiones assignatas ab Aristotele cap. 2. & 4. sed tales conditiones conueniunt demonstrationi propter quid, ergò demonstratio propter quid non est distincta à potissima. Minor patet, nam quinque sunt conditiones demonstrationis potissimæ, scilicet, quod præmissæ sint veræ, immediatę, priores, notiores, & causæ conclusionis, quæ omnes conueniunt demonstrationi propter quid, ergò &c.

Secundò, Demonstratio potissima, per Aduersarios, semper habet pro medio causam formalem, sed demonstratio propter quid est huiusmodi, ergò non est distincta. Minor patet, nam potest contingere, quod aliqua causa formalis sit ignota, & quod effectus sit nobis notus, tunc per effectum possumus deuenire in cognitionem causæ formalis demonstratione quia, hoc facto possumus regredi, & per illam causam cognoscere effectum quoad propter quid, non quoad quia est, cum iam sit notus, ergò demonstratio propter quid habet pro medio causam formalem.

Obijc. In demonstratione potissima medium est notum natura, & nobis immediatè per sensum, & sine demonstratione quia; In demonstratione propter quid medium est solùm notum natura, non nobis, quia venimus in cognitionem illius medij per demonstrationem quia, ergò sunt distinctæ demonstrationes.

Resp. Negando antecedens quoad primam partem; nam illa conditio non est necessaria ad demonstrationem potissimam, quia Aristoteles postquàm dixit, præmissas debere esse notiores, ait, quod ly notiores potest dupliciter accipi, scilicet, pro notiores nobis, & natura; deindè dicit, quod præmissæ debent esse notiores natura, non nobis, aliter esset demonstratio quia, & reddit rationem, quia præmissæ sunt causæ, sed causæ sunt priores, & notiores natura, ergò &c.

Dices, Demonstratio est inuenta propter nos, ergò principia debent esse notiora nobis.

Resp. Negando consequentiam; nam nota natura, & nobis sunt eadem, differunt tantùm in ordine distinctè, & confuse concipiendi; quæ concipiuntur distinctè à nobis dicuntur nota natura, quæ confusè, dicuntur nota nobis; non enim est credendum, quod sint aliqua, quæ sint nota naturæ, quasi quod natura sit vis aliqua cognoscens ea, quæ nos non cognoscimus, sed in tantùm dicuntur nota naturæ, in quantùm sunt nobis nota eo ordine, quo natura procedit, idest cognitione distincta, & ideò principia sunt nota natura, idest sunt nota nobis cognitione distincta.

QVÆ-

QVAESTIO VII.

An demonstratio quia sit vera demonstratio.

CONclusio affirmatiua. Est Scoti quæst. 7. quol. Probatur, Omnis Syllogismus, in quo est connexio necessaria propositionum, est vera demonstratio, sed quandò demonstratur causa per effectum proximum est connexio necessaria propositionum, ergò demonstrare causam per effectum est vera demonstratio. Minor patet, quia effectus dicit necessariam connexionem cum causa, ergò &c.

Obijc. primo, Demonstratio constat ex propositionibus necessarijs, sed demonstratio quia non est huiusmodi, ergò &c. Minor patet, nam in demonstratione quia accipimus accidens proprium inhærere subiecto, & per illud accidens demonstramus illud subiectum, tamquàm per effectum demonstramus causam, sed quod effectus inhæreat subiecto necessariò est nobis ignotum, quia non possumus scire certè, nisi cognoscamus causam, ergò demonstratio quia non est ex certissimis, & necessarijs, & consequenter non est demonstratio.

Resp. Negando minorem. Ad probationem nego min. nam ad probationem dicimus, quod non est necesse, quod effectus semper sciatur per causam, sed possumus ipsum scire per experientiam; experientia enim est cognitio certior, quàm si sciremus per causam.

Dices, Non omnes propositiones notæ experientia sunt necessariæ, & essentiales, omnes enim experimur Coruos esse nigros, & tamen hæc propositio non est necessaria, sed accidentalis, ergò &c.

Resp. Negando consequentiam, nam omnes experimur, nigredinem non esse proprium Corui, cùm non accidat soli Coruo, passio verò multoties videtur experientia, quod inhæreat subiecto omni, soli, & semper.

Obijc. secundo, Demonstratio est Syllogismus faciens scire, sed demonstratio ab effectu non est sic, quia non est per causam, ergò &c.

Resp. Negando minorem; Ad probationem dicimus, quod demonstratio ab effectu est per causam in cognoscendo, licèt non in essendo.

QVÆSTIO VIII.

An in demonstratione potissima medium sit definitio subiecti.

CONclusio affirmatiua. Est Scoti in Secundo d. 3. q. 6. soluendo vltimum principale, lit. M. Probatur, in demonstratione potissima semper demonstratur passio de subiecto, ergò illud erit medium in tali demonstratione, quod est causa proxima inhærentiæ

rentiæ passionis cum subiecto, sed tale est definitio subiecti, ergò &c. Antecedens patet, nam accidentia communia non demonstrantur, quia de eis non datur scientia, ergò accidentia propria erunt, quæ demonstrantur.

Secundò, illud est medium in demonstratione potissima, quod est causa proxima passionis, sed definitio subiecti est huiusmodi, ergò &c. minor patet, nam illa est causa proxima passionis, qua posita ponitur passio, & qua remota remouetur, vt patet de rationali respectu risibilitatis, quod non est sic dicendum de causa remota, nam posito animali, non ponitur risibilitas, sed posita definitione subiecti, ponitur passio, ergò &c.

Obijc. primo, Scientia, quæ acquiritur per demonstrationem potissimã, est scientia passionis, non subiecti, cùm ipsum sit præcognitum, ergò medium in tali demonstratione est causa passionis, sed definitio passionis includit causam passionis, ergò definitio passionis est medium, non definitio subiecti.

Resp. Concedendo totum, quod causa passionis sit medium, quæ est definitio subiecti, & ponitur in definitione passionis ad perfectè quietandum intellectum.

Notandum, quod ponentes definitionem passionis esse medium dicunt, quod duplex est definitio passionis, scilicet, incompleta, & completa; prima datur per illa, quæ sunt eiusdem generis cum passione, vt risibile est aptum natum ridere; secunda datur per illa, quæ sunt eiusdem generis cum passione, & subiecto, vt risibile est animal rationale aptum natum ridere, & dicunt, quod ista definitio secunda est medium, quia in ea includitur causa passionis.

Obijc. secundo, Aristoteles in 2. Post. t. 41. facit multas demonstrationes, & assumit pro medio definitionem passionis, sed tales sunt potissimæ, ergò &c. maior patet; nam ad ostendendum eclypsim inhærere lunæ, dicit quod interpositio terræ est medium, sed interpositio non est definitio lunæ, benè tamen est causa eclypsis, ergò &c.

Resp. Negando minorem, nam illa demonstratio, in qua medium non est definitio subiecti, non est potissima, & consequenter tales demonstrationes non esse potissimas.

Obijc. tertio, Si definitio subiecti esset medium in demonstratione, esset petitio principij in demonstratione, sed talis petitio non est danda, ergò &c. Sequela maioris patet, quia definitio, & subiectum sunt vna res.

Resp. Negando sequelam maioris. Ad probationem dicimus, quod licèt definitio, & subiectum sint vna res, tamen sunt diuersi termini diuerso modo cogniti.

Obijc. quarto, Si medium esset definitio subiecti, tunc demonstratio non esset ex proprijs, quod est falsum. Sequela probatur, nam definitio hominis, v. g. non solùm est medium ad ostendendum risibilitatem de homine, sed

sed capacitatem disciplinæ, ergò vnaquæque passio non erit ex propria causa, quæ illi solùm competat, ergò &c.

Resp. Negando sequelam. Ad probationem, nego consequentiam; nam demonstrationem procedere ex proprijs est ipsam procedere ex causa per se, & immediata, licèt ab vna causa possint plures passiones pullulare, ac peripsam demonstrari.

QVAESTIO IX.

An demonstrationes, in quibus medium non est definitio subiecti, sint potissimæ?

Conclusio negatiua. Probatur, illa demonstratio est potissima, quæ facit perfectissimam scientiam, scilicet scire simpliciter, sed demonstrationes, quæ pro medio non habent definitionem subiecti non sunt sic, ergò &c. Minor probatur, nam illa demonstratio facit scire simpliciter, quæ constat ex propositionibus de omni, per se, & vniuersali, sed tales demonstrationes non sunt huiusmodi, ergò &c. hæc minor probatur; nam in demonstrationibus, in quibus medium est causa externa, & non definitio subiecti, ostenditur accidens commune, non proprium, ergò propositio non erit vniuersalis, idest conuertibiliter; nec esset per se, quia medium, quod prædicatur de subiecto, non conuenit ipsi nec in primo, nec in secundo modo dicendi per se, cùm sit causa externa.

Secundò, medium in demonstratione potissima est per se, & vniuersale, sed quod terra causet eclypsim in Luna, accidit Lunæ, ergò talis demonstratio non erit potissima. Minor patet, nam si esset aliud corpus interpositum inter Solem, & Lunam, adhuc causaret in Luna eclypsim, ergò interpositio terræ non erit causa per se, & vniuersalis.

Obijc. primo, Illa demonstratio dicitur potissima, quæ tradit perfectam scientiam, ità vt nihil amphùs de ea re possit quæri, sed demonstrationes per causam extrinsecam pariunt talem scientiam, ergò &c. Minor probatur, nam de qualibet re possunt sciri, an sit, quid sit, an insit, & cur insit, sed potest haberi cognitio omnium istorum, inuento vno medio extrinseco, vt inuenta de Eclypsi interpositione terræ inter Solem, & Lunam, statim scimus, an sit Eclypsis, quid sit, an insit, & cur insit, ergò per illam causam omnia de subiecto sciri possunt.

Resp. disting. maiorem, quæ tradit perfectam scientiam per causam per se, necessariam, & vniuersalem, concedo; per causam, scilicet extrinsecam, nego; nam ad demonstrationem potissimam non sufficit, vt per ipsam sciamus de subiecto an insit, quid insit &c. sed requiritur, vt sciamus per causas per se, vniuersales, & necessarias, quæ causæ necessariæ debent esse definitiones subiecti. Explicatur exemplo, nam si cadit lapis, & occidit Franciscum, me vidente, tunc ego perfectissimè scio, an sit occisio in Francisco, quid sit occisio in Francisco, an illi insit, & propter

Nn quid

quid insit, quia omnibus his quæstionibus satisfacit casus lapidis, hæc enim omnia sunt à casu lapidis, ergò hæc cognitio est certa, & perfectissima, qua melior haberi non potest, quia est propter causam proximam, tamen non dicitur scientia, quia hoc medium est accidentale, accidit enim lapidi cadenti, quod occideret Franciscum, non enim casus lapidis necessariò producit hunc effectum, sed in demonstratione opus est, quod medium sit causa necessaria, necessariò inducens talem effectum.

Obijc. secundo, Liber Secundus Post. est præstantissimus, ergò illa demonstratio, de qua in illo Libro loquitur Aristoteles erit præstantissima, sed in secundo libro loquitur de demonstrationibus iam dictis, ergò licèt sint per causam extrinsecam, erunt tamen potissimæ.

Resp. Negando vltimam consequentiam; nam Aristoteles ibi exemplificauit de illis demonstrationibus, quia illæ erant magis notæ, non quia re vera erant potissimæ.

QVAESTIO X.

An sola causa formalis sit medium in demonstratione potissima?

CONclusio affirmatiua, quatenus respectu passionis est efficiens. Probatur, forma subiecti (vt probatum est) est medium in demonstratione potissima, sed forma subiecti est causa efficiens passionis, ergò forma subiecti, prout est causa efficiens, est medium in demonstratione potissima. Secundò, nulla causa efficiens est necessaria respectu passionis, nisi sit etiā forma subiecti, ergò forma subiecti, prout est causa efficiens, erit medium in demonstratione potissima.

Obijc. primo, Ex 2. Post. habetur, quod nos possumus demonstrare per omnia quatuor genera causarum, ergò medium non est solùm causa efficiens, quod est forma subiecti, verùm etiam causa materialis, & finalis.

Resp. Negando consequentiam, nam tales demonstrationes non erunt potissimæ, nec perfectissimæ demonstrationes, de quibus modò loquimur.

Obijc. secundo, subiectum passionis conuertitur cum ipsa passione, ergò poterit esse causa demonstrandi passiones, sed subiectum est causa materialis, ergò &c.

Resp. Negando sequelam; nam subiectum conuertitur cum passione per formam suam, & ideò sola illa causa formalis erit medium.

Obijc. tertio, demonstratio propter quid, & potissima non distinguuntur, sed sunt aliquæ passiones propter quid, quæ prouenitunt ab omni genere causæ, ergò & demonstratio potissima.

Resp. Quod demonstratio propter quid, & potissima differunt sicut magis commune, & minus commune, nam omnis demonstratio potissima est propter quid, sed non è contrà; sunt enim aliquæ demonstrationes, quæ (cùm sint per causam) sunt propter

ter

ter quid, tamen quia causa in eis non est necessaria, nec proxima, ideò non sunt potissimæ, sed potiùs reducuntur ad demonstrationem per causam remotam, licèt nobis videatur esse per causam proximam, hoc prouenit, quia non benè cognoscimus naturam rerum; si enim naturam Lunæ benè cognosceremus, certè aliam esse causam proximam suæ eclypsationis cognosceremus, quòd interpositio terræ, quæ est accidentalis, & remota, licèt nobis appareat proxima.

Obijc. quarto, Vnius rei vnica est causa, per quam notificatur propter quod est res, ergò si per causam formalem ostenderetur in demonstratione potissima, & per alias causas in demonstratione propter quid, tunc sequeretur quod vna res plures haberet causas, & non vnam.

Resp. Quod in demonstratione potissima est vna causa proxima, & necessaria, licèt in alijs demonstrationibus minus perfectis possint esse aliæ causæ.

DISPVTATIO TERTIA

DE SCIRE.

QVÆRITVR, Quid est Scire?

Resp. Scire autem opinamur vnumquodq. simpliciter, sed non Sophistico modo, qui est secundùm accidens, cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, & quoniam illius est causa, & hoc non contingit aliter se habere; & ad hoc quod aliquod sic sciatur, requiruntur tres conditiones, quarum prima, quod sciatur per causam, & hoc innuitur, cum dicitur, *cum causam arbitramur cognoscere*; secunda, quod causa sit applicata ad effectum, cum dicitur, *quoniam illius est causa*; tertia, quod scitum sit necessarium, cum dicitur, *non contingit aliter se habere*.

QVÆSTIO I.

An definitio ipsius Scire sit bona.

DEfinitio ipsius Scire suprà allata licèt sit expressa, tamen potest reduci ad clariorem, scilicet, hoc modo, *Scientia est notitia certa, & euidens alicuius obiecti necessarij, &*

nata causari per discursum Syllogisticũ; dicitur, certa, ad differentiam opinionis; dicitur, euidens, ad differentiam fidei diuinæ; dicitur, obiecti necessarij, ad differentiam cognitionis intuitiuæ de rebus caducis; dicitur, per discursum Syllogisticum, ad differentiam scientiæ principiorum; Vel compendiosè potest dici, *Scire est rem per causam cognoscere*, intelligendo tamen virtualiter alias particulas; quod est duplex, scilicet per se, & per accidens; Scire per se est cognoscere rem ex propositionibus per se; Scire per accidens est cognoscere rem ex propositionibus per accidens, pro qua sit

Conclusio affirmatiua. Patet, nam constat ex genere, & differentia; genus potest suppleri reducẽdo ipsam ad clariorem, & sic notitia ponitur loco generis, cæteræ verò particulæ loco differentiæ.

Obijc. primo; Metaphysica est scientia perfectissima, sed non demonstrat per causas, quia ens, Deus, & alia vniuersalissima non habent causas, ergò scire non est necesse, quod sit per causas.

Resp. Negando minorem; Ad probationem dicimus, quod licèt Metaphysica non demonstret per causas essendi, tamen demonstrat per causas cognoscendi, & tales causæ sunt principia prima complexa, scilicet, *De quolibet verum est &c.*

Obijc. secundo, Prima principia verè, & propriè sciuntur ex 1. Post. tex. 16. sed ipsa non possunt sciri per causas, vt patet ex tex. 10. ergò &c.

Resp. Disting. maiorem, verè sciuntur scientia magis propria, non verò propriissima, quæ est per causas.

Obijc. tertio. Causæ vt plurimùm sunt ignotæ, sed ex ignotis nihil cognoscitur, ergò &c.

Resp. Negando consequentiam, nam causæ ignotæ inuestigantur per effectum, & sic cognitæ statim applicantur ad verè sciendum.

Obijc. quarto, habemus scientiam de rebus corruptibilibus, & de his quæ non sunt semper, sed raro; vt de eclypsi Lunæ, de terræmotu &c. ergò scire non est necessè quod sit de obiecto necessariò.

Resp. Negando consequentiam; nam licèt corruptibilia, & alia præcitata non habeant necessitatem existentiæ, tamen habent necessitatem essentiæ, seù prædicatorum essentialium, quæ nata sunt semper de eis verificari, vt semper homo est corruptibilis, rationalis &c.

QVAESTIO II.

An detur scientia actualis de nouo.

Conclusio affirmatiua; Patet primò, quod detur scientia, nam in omnibus hominibus est quædam inclinatio, per quam quilibet scire desiderat, ergò verè dabitur scientia. Sequela patet, quia inclinatio naturæ non est frustrà. Secundò probatur quod de nouo acquiratur, nam illud quod fit, de nouo acquiritur, sed sciẽtia fit in nobis, ergò de nouo, & sic datur scientia de nouo cõtrà Platonẽ, qui affirmabat, scientiam nostram non esse de nouo acquisitam, sed esse tan-

tantùm reminiſcentiam; putabat enim ipſe, quod Deus ab æterno creaſſet animas noſtras extrà corpora, & illas habuiſſe perfectiſsimas ſcientias; quarum oblitæ ſunt, dum corpori vniuntur. Hoc dictum Platonis ſic impugnatur; nam implicat animas noſtras per vnionem amittere ſcientias, ſed poſt vnionem non habent, ergò nec anteà. Maior patet, nam finis naturalis vnionis animæ cum corpore eſt perfectio animæ, & corporis, ergò quomodo per illam Vnionem poteſt anima amittere ſcientiam; tùm etiam eſt error in fide, quod animæ fuerint creatæ ab æterno, & in tempore fuerint vnitæ, ergò &c.

Obijc. primo; Omnis noſtra cognitio ortum, ducit à ſenſu, ſed ſenſus aliquando fallitur, ergò & intellectus, & cõſequenter nõ datur vera ſcientia.

Reſp. Diſting. minorem, quando non ſunt debitæ circumſtantiæ, concedo; quandò ſunt, nego; nam circumſtantiæ requiſitæ ſunt tres, prima quod organum ſit benè diſpoſitum; ſecunda, quod medium ſit purum; tertia quod ſit debita diſtantia inter viſibile, & viſum, & quod obiectum ſenſibile ſit per ſe, non per accidens; poſitis his conditionibus inter obiectũ ſenſibile, & ſenſum, ſenſus non decipitur, & cõſequenter nec intellectus; Imò ſi ſenſus decipitur propter defectum alicuius conditionis, intellectus poteſt diſcurrere errorem, vt patet de baculo in aqua.

Obijc. ſecundo. Si puer in ſiluis educatur, cui nihil ſit oſtenſum, tunc ſi aliquandò interrogabitur, rectè reſpondebit, ergò ſignum eſt quod habuerit ſcientiam, cùm nulla alia ratio potuerit aſsignari, ergò ſcientia non eſt de nouo.

Reſp. Diſting. antecedens, rectè reſpondebit, ſi interrogabitur circà propoſitiones per ſe notas ſi ei explicantur termini, concedo; circà alias, nego; nam propoſitiones per ſe notæ ſunt nobis inſitæ à natura, & explicatis terminis, ſtatim cognoſcuntur, circà alias non rectè reſpondebit, niſi prærit ei aliqua cognitio diſcurſiua, & ſi reſpondebit, erit à caſu, & per accidens.

Quæritur primo, An euidentia ſit de eſſentia ſcientiæ?

Reſp. Affirmatiuè, quia per hoc diſtinguitur à fide, quia fides licèt ſit certa, tamen non eſt euidens; tum etiam aſſentimus præmiſſis propter euidentem veritatem, quam in ſeipſis habent, concluſioni autem aſſentimus propter præmiſſas, ergò eſt etiã euidens, & conſequenter ſcientia, quæ eſt effectus demonſtrationis.

Quæritur ſecundo, An ſcientia poſſit ſtare cum opinione?

Reſp. Negatiuè, nam ſcientia ſemper eſt per medium neceſſarium, opinio per medium probabile; tum etiam ſcientia eſt de rebus certis, euidentibus, & neceſſarijs, opinio verò ſemper eſt cum formidine, in ſe nullam habet euidentiam, & de opinabili, quod poteſt aliter ſe haberi, ergò &c. Notandum, quod eſt eſſentiale opinioni, vt includat formidinem, ſeù timorem partis oppoſitæ, non ſemper timorem actualem, cùm multoties habemus opinionem de aliqua re, & tamen de parte oppoſita actualiter non

non timemus; benè tamen timorem virtualem seù radicalem, quatenùs patti, cui assentimus, potest subesse falsum; quia medium, per quod illi assentimus, est tantùm probabile.

Quæritur tertio, An de singularibus detur scientia?

Resp. Negatiuè loquendo de vera scientia, quæ fit per demonstrationem; Patet, nam vera demonstratio debet esse ex propositionibus de omni, per se, & secundùm quod ipsum; sed hæc omnia in prædicatis singularibus non possunt esse, ergò de eis non potest esse vera scientia. De illis verò singularibus, in quibus idem est esse essentiale, & indiuiduale potest esse verè scientia, vt est Deus.

Quæritur quarto, An de ente per accidens possit dari scientia?

Resp. Negatiuè loquendo de ente per accidens, quod constat ex pluribus entibus in actu, quæ inter se nullum dicunt Ordinem, vt album musicum, cumulus lapidum &c. Affirmatiuè de illo, quod aggregatur ex entibus in actu, tamen ordinatis inter se, tamquàm determinans, & determinabile, quia licèt sit vnum per accidens entitate, tamen est vnum per se ordine, & sic potest habere definitionem, proprias passiones, vt patet de linea visuali, quæ licèt sit per accidens hoc modo, tamen de ea datur scientia prospectiua, & de numero sonoro, de quo est musica.

Quæritur quinto, An de casualibus detur vera scientia?

Resp. Affirmatiuè si considerantur in communi, quatenùs talia sunt, vt inuentio thesauri, percussio capitis &c. sicut tradit Aristoteles in 2. Phys. de casu, & fortuna, quia sic habent vnam rationem; negatiuè, si considerantur in particulari, quatenùs est hoc, vel illud casuale, quia sic de eis non datur determinata veritas; cum sint entia contingentia.

Quæritur sexto, Quænam est definitio subiecti scientiæ tradita à Scoto in 3. q. Prologi?

Resp. Est *quod continet primò in se virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius est subiectum*. Patet; nam obiectum respectu scientiæ se habet, vt efficiens, sed causa efficiens continet virtualiter suum effectum, ergó &c. Maior patet, nam potentia, & obiectum concurrunt ad cognitionem tamquàm duæ causæ partiales, vt obiectum primò continet propositiones immediatas, scilicet præmissas, deindè conclusiones, ergò continet omnes veritates habitus, siuè sint propositiones immediatæ, siuè mediatæ.

Notandum, quod talis definitio solùm conuenit obiecto specifico, non generico; quia obiectum genericum continet veritates specierum tantùm potentialiter, & sub ratione aliqua vniuersali, vt conceptus substantiæ non continet veritates animalis, & hominis sub ratione propria speciali, sed tantùm sub ratione vniuersali; obiectum specificum actualiter continet suas passiones, & sic potest actualiter gignere earũ notitiam, & consequenter cõtinet veritates virtualiter.

Quæritur septimo, An subiectum scientiæ necessariò debeat habere partes,

partes, & principia?

Resp. Affirmatiuè de principijs cognoſcendi, non verò eſſendi; Eſt Scoti q. 3. prologi; Patet, nam ens eſt ſubiectum in Metaphyſica, ſed ens non habet principia eſſendi, ergò &c. tum etiam corpus naturale, quod eſt ſubiectum in Philoſophia non habet principia eſſendi; & licèt materia, & forma poſſint aſſignari pro principijs, tamen non ſunt principia corporis naturalis, ſed principia corporis generabilis, & corruptibilis, quia cælum eſt corpus naturale, & non habet talem materiam, & formam, ergò &c.

Notandum quod in ſcientia generica ſubiectum debet habere partes ſubiectiuas, non autem in ſcientia ſpecifica, quia genus habet ſub ſe ſpecies, ergò cum ſubiectum ſit genericum, habebit ſub ſe partes ſubiectiuas ſpecificas, ſpecies non habet ſub ſe niſi indiuidua, de quibus non datur ſcientia.

De ſubalternatione ſcientiarum.

Quæritur octauo, Quid eſt ſcientia ſubalternans, & ſubalternata?

Resp. Scientia ſubalternans eſt, quæ tractat de ſubiecto vniuerſali; ſcientia ſubalternata tractat de eodē ſubiecto, ſub ratione particulari, vt Geometria eſt circa lineam; Proſpectiua, quæ ſubalternatur Geometriæ eſt circa lineam viſualem; Arithmetica, quæ eſt ſubalternans, eſt circa numerum; muſica quæ eſt ei ſubalternata eſt circa numerum ſonorum, ergò &c.

Quæritur nonò, Quot ſunt conditiones requiſitæ ad ſubalternationem ſcientiarum?

Resp. Tres, prima, quod ſubiectum ſcientiæ ſubalternatæ ſit idem, ac ſubiectum ſcientiæ ſubalternantis, ſecunda, quod ſubiectum ſcientiæ ſubalternatæ addat differentiam accidentalem ſuprà ſubiectum ſcientiæ ſubalternantis; tertia, quod ſubalternata ſumat ſua principia à ſubalternante; ità quod concluſiones ſcientiæ ſubalternantis ſint principia ſcientiæ ſubalternatæ, vt concluſiones Arithmeticæ ſint principia muſicæ.

Obijc. primo, Contrà ſecundam conditionem; ſi ſic, ergò Mathematica ſubalternatur Metaphyſicæ, quod eſt falſum; Sequela patet, nam Metaphyſica tractat de Ente, vt ens eſt; Mathematica de Ente, vt quantò, ergò Mathematica addit ſuprà ens differentiam accidentalem.

Resp. Negando ſequelam; Ad probationem dicimus, quod Mathematica non addit ſuprà ens differentiam accidentalem, quia licèt quantitas reſpectu ſubſtantiæ ſit accidens, tamen reſpectu entis non eſt accidens, ideò Mathematica non ſubalternatur Metaphyſicæ.

Obijc. ſecundo, Si ſic, ergò ſcientia ſubalternata non erit vna ſcientia per ſe, quod eſt falſum; ſequela patet, nam obiectum eius eſſet vnum per accidens, vt numerus ſonorus, quod eſt obiectum muſicæ, eſt vnum per accidens.

Resp. Negando ſequelam; Ad probationem dicimus, quod licèt obie-

obiectum scientiæ subalternatæ sit vnum per accidens entitate, est tamen vnum per se ordine, vt numerus ordinatur vt determinabile ad sonorum tamquàm ad determinans.

Dices, Ergo saltem subalternabitur duabus scientijs, vni, à qua sumit obiectum, alteri, à qua sumit differentiam accidentalem; vt prospectiua subalternatur Geometriæ, à qua sumit obiectum, scilicet lineam, & Philosophiæ, à qua sumit esse visuale, quod est differentia accidentalis.

Resp. Negando sequelam, quia scientia subalternatur tantùm illi, à qua sumit obiectum materiale; nam ab illa sumit tantùm principia, non autem ab ea, quæ dat differentiam accidentalem.

Quæritur decimo, An si affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis?

Resp. Affirmatiuè in causis præcisis, vt si habere pulmonem est causa respirandi, tunc non habere pulmonem est causa non respirandi; in causis verò non præcisis illa propositio non est vera.

FINIS.

Laus Deo, Beatæ Mariæ, Beato Francisco, atque Beato Antonio Patauino.

INDEX

RERVM NOTABILIVM.

Numerus paginam denotat, A, priorem, B, posteriorem columnam indicat.

INDEX

Deus.

Mo-

IL FINE.

FINE